





VAN DER

PHILOSOPHIAE



1




B839

A2

v. 1

009658



EX LIBRIS  
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ  
Episcopi Leonensis



1080014403



5 vol  
P. 2. 50

PRAELECTIONUM

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

BREVIS CONSPECTUS.

UANTL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



PRAELECTIONUM  
PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

BREVIS CONSPECTUS

AUCTORE

J. VAN DER AA S. J.

PHILOSOPHIAE PROFESSORE  
IN COLLEGIO SOCIETATIS JESU LOVANIENSI.

EDITIO ALTERA.

VOLUMEN PRIMUM  
LOGICA ET ONTOLOGIA

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

LOVANI

TYPIS CAROLI FONTEYN, BIBLIOPOLAE

VIA BRUXELLENSI, 6.

1888.




Capilla Alfonsina  
Biblioteca Universitaria

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN  
Biblioteca Valverde y Teller

46115

B839  
A2  
v.1



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

## INTRODUCTIO AD PHILOSOPHIAM.

In ipso nostrae tractationis limine pauca dicenda occurrunt 1° de notione philosophiae, 2° de ejus excellentia et utilitate, 3° de ejus divisionibus, 4° de methodo circa eam scribendi.

I. **Definitur philosophia, cognitio omnium rerum universim per causas ultimas, lumine naturali quaesita.** Cujus definitionis singulas voces explicemus. Ac primo quidem philosophiam *cognitionem* aliquam esse non video quis negare posset, studio enim, nec levi mentis conatu, acquiritur. Deinde *cognitio omnium rerum universim* dicitur haec cognitio; quemadmodum enim de una re particulari aliqua possum cogitare et causas effectusve inquirere, ita et de pluribus rebus simul sumptis indaginem instituere, quatenus aliquo communi caractere insignitae, communem aliquam relationem habent; eritque haec cognitio aliqua generalis de toto aliquo rerum ordine; quod si igitur de omni re cogitabili velim rationes investigare, non quidem singulas res percurrens, sed omnes secundum communes suas notas examini subjiciens, studium versabitur meum circa omnes res universim sumptas. Si insuper de his rebus omnibus inquiram, non solum an sint, quid sint, sed etiam quomodo sint, cur sint, a qua causa sint, et reliqua similia, cognitio mea, ut satis patet, non aliqua historica erit, neque solum aliqua practica, sed excellentior, *per causas* scilicet, seu *scientifica*; at quoniam causas non alicujus ordinis tantum, sed omnes omnino omnium rerum quaero, jam scientia mea *per causas ultimas* habebitur. *Lumine naturali* tamen utemur ut

LIB. I.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
BIBLIOTECA  
009658

instrumento, sive aliis ut verbis dicam, non lumine supernaturali revelationis tanquam cognitionum fonte utemur, quod theologicae scientiae est, sed viribus nostrae naturae intellectualis operantes, veritatem omnem nobis accessibilem scrutabimur, dispicientes quid nobis pervium sit ut clarum fiat, quid nostram debilitatem superans, vestigabile non sit, et cur nobis inaccessum manere debeat; unde cognitio nostra humanos limites attingens, ipsius etiam suae ignorantiae rationem reddere queat. Atque hanc ob causam philosophia dicitur cognitio non habita sed *quaesita*. — Horum sit unus conspectus :

omnis cognitio est :

vel acquisita lumine naturali

experimentalis :

{ de facto uno — — — — — cognitio historica.

{ de factis pluribus, in complexu — — — — — historia.

practica : de mediis ad finem — — — — — ars.

theorica :

{ per causas immediatas, unius rei — — — — — cognitio scientifica.

{ per causas altiores, totius alicujus rerum or-

dinis — — — — — scientia.

{ per causas altissimas, omnium rerum — — — — — philosophia.

vel acquisita lumine revelationis — — — — — theologia.

II. **Utilitas et excellentia philosophiae** multiplex est : nam 1° consonat maxime inclinationi nobilissimae naturali nostrae, curiositati nempe sciendi omne verum : — 2° perficit maxime hominem secundum suam naturam humanam, quandoquidem inter omnes naturales cognitiones humanas altissima haec est et maxime intellectualis, per rationes scilicet et causas supremas de omnibus quaerens scientiam ; — 3° lucem et principia reliquis scientiis suppeditat, quum rerum intimiores essentias, causas, operationes, ordinem rimans, generaliores etiam rationes ostendat, in unitatem et concordiam reliquas cognitiones retineat, singularum devia et indebitos excursus ostendat ; — 4° multum influit in operationes et mores, imo et in res politicas ac sociales ; ejus enim est mentis humanae rectitudinem tueri, ac voluntatis ceterarumque facultatum objecta discernere, conclusiones veras, honestas, utiles deducere, falsas, perniciosas avertere ; — 5° ipsi religioni plurimum deservit, ad confutandos errores, ad demonstranda fidei praeambula, ad plenius intelligendas veritates revelatas.

III. **Divisio philosophiae** non una nec similis passim apud philosophos

invenitur. Nobis unam sufficiat assignare quae pro nostra tractatione utilis, facilis, et clara simul atque completa sit, relictis aliis quae sive a magnis viris usurpantur sive adhuc excogitari possint. Inquirat ergo philosophia in omnes res, id est in omne quod est vel esse potest, scilicet in *omne ens* ; inspiciunturque :

generatim : ens	— — — — —	ontologia.
	speciatim : entia varia, quae sunt :	
mundus aspectabilis	non viventia	— — — — — cosmologia.
	viventia in genere	
	{ quoad vitam materiale	— — — — — organologia.
	{ quoad vitam intellectualem in se spectatam :	psychologia
specialius	{ quoad normam intellectus	— — — — — logica.
	{ quoad normam voluntatis	— — — — — ethica.
auctor mundi : Deus	— — — — —	theologia naturalis.

IV. **Methodus** erit in his praelectionibus tenenda, qua rationabiliter ex notis ad ignota ordine procedatur, intelligentiaeque quantum fieri possit satisfiat. Brevitati proinde et perspicuitati dictionis attendentes, simul inutiles et antiquatas quaestiones supprimentes, secundum supra dictam divisionem libros septem edemus ; quorum tamen duos extra suum locum mutantes, logicam primo, septimo ethicam reponemus. Cujus rei causae sunt, circa logicam quidem, quod haec nos doceat valorem et ordinem rationis nostrae, qua ceteris studendum est ; simul etiam quod ea pars facilius incipientibus discipulis apparere soleat. Circa ethicam vero notandum quod ea nos doceat ordinem voluntatis nostrae ex relationibus tum hominum inter se, tum hominis ad Deum, praecognitam proinde supponat theologiam naturalem.

Illud etiam monitum velim, ne quaerat benevolus lector multas citationes auctoritatesve. Quum enim philosophia sit scientia ex rationibus, non ex magistri verbis stabilienda, praestat ut discipuli ruminando, reflectendo, sibi objiciendo, disputando, rem intime penetrent, potius quam ut libros multos ac varios legentes, eruditionis speciem superficie tenus acquirant, affirmantque plurima dum intelligant pauca. Neque professoribus mens nostra est nova proferre, libros docere quos et ipsi procul dubio assidue pervolverunt. Sit nempe discipulus *vir unius libri* tenax et studax, sit professor *vir omnium librorum* collex et judex. Adde quod si cui praeclara opera legere placuerit, huic praesto sint magnorum virorum, S<sup>i</sup> Thomae Aquinatis, et B<sup>i</sup> Alberti Magni scripta, quibus si recentiores Suarez ac Goudin, Conimbricenses ac

Toletus, nec non coaevi nostri Sanseverino, Liberatore, Kleutgen, Zigliara, Pesch, Stöckl adjiciantur, utilissima certe atque uberrima lectio simul et plurimorum aliorum apud eos cognitio invenietur. Nos interim in scholaribus praelectionibus non tam exponere curamus *quis et quomodo dixerit*, quam potius *quid et cur verum sit*. Qua re fit ut, si cui accedat nostra doctrina, hoc non ita sit quia is vel iste dixit, sed quia rationabilius dixit. Quam nostram opinandi libertatem non alius nos docuit quam ipse quem plerumque sequimur Doctorem, quem nonnisi raro et gravate relinquimus, Angelicum scilicet Aquinatem. Is enim non minore fidelitate simul ac libertate suos etiam doctores et magistros sequens dijudicabat.

Ultimum notare juvat, scientiarum naturalium physicarum in philosophia non quidem tractationes ex professo venire, earum tamen notitiam ita esse necessario connexam et suppositam, ut vix, ac ne vix quidem, philosopho illam negligere liceat, quum istae scientiae ipsius philosophiae subsidiariae ac quasi integrantes partes videantur esse dicendae.

## LIBER PRIMUS.

### LOGICA.

#### PROOEMIUM.

Ex praecedente divisione philosophiae sequitur DEFINITIO LOGICAE : *institutio rationis humanae ad recte judicandum*. De logica generatim pauca haec notentur :

1° *Finis logices* est mentem ita instruere ut facilius, promptius, securius in omnibus recte et cum certitudine judicet.

2° *Objectum logices* sunt variae rationis operationes ita considerandae ut certis regulis ad finem logices, ad certitudinem nempe dirigantur.

3° *Medium logices* est distincta et completa notio regularum quas ratio ad recte cogitandum et judicandum sequi debet.

4° *Divisio logices* repetitur ex objecto ejus; est autem alia *logica subjectiva* (seu formalis, dialectica, minor), traditque normas rationis necessarias ut operationes rectae sint in seipsis; — alia est *logica objectiva* (seu materialis, critica, major), traditque normas ut rationis cognitiones sint verae.

5° *Natura logices* sub duplici respectu describi potest; est enim logica *ars*, quatenus tradit regulas et praecepta ad recte judicandum, ac proinde cognitio practica est; — *scientia* autem dicitur quatenus multa per demonstrationem cognoscens, et sub principiis redigens cognitio theoretica est.

6° *Auctor logices* alius ac primus quidem est ipse Auctor naturae, seu Creator D. O. M. qui inditam nostrae menti naturalem rectitudinem communicavit, quae et *logica naturalis* vocatur. Alius tamen assignatur *logicae artificialis* auctor, qui nimirum scientificam logicam scientiae expositionem primus, eamque mirae sagacitatis plenam conscripsit : *Aristoteles* Stagirita, in libris quorum collectioni nomen alii postea dederunt *ὄργανον*, organum, quos inter de logica subjectiva agunt : *analytica priora, categoriae, de interpretatione, de sophisticis elenchis, topica*; de logica objectiva agunt *analytica posteriora*.



Toletus, nec non coaevi nostri Sanseverino, Liberatore, Kleutgen, Zigliara, Pesch, Stöckl adjiciantur, utilissima certe atque uberrima lectio simul et plurimorum aliorum apud eos cognitio invenietur. Nos interim in scholaribus praelectionibus non tam exponere curamus *quis et quomodo dixerit*, quam potius *quid et cur verum sit*. Qua re fit ut, si cui accedat nostra doctrina, hoc non ita sit quia is vel iste dixit, sed quia rationabilius dixit. Quam nostram opinandi libertatem non alius nos docuit quam ipse quem plerumque sequimur Doctorem, quem nonnisi raro et gravate relinquimus, Angelicum scilicet Aquinatem. Is enim non minore fidelitate simul ac libertate suos etiam doctores et magistros sequens dijudicabat.

Ultimum notare juvat, scientiarum naturalium physicarum in philosophia non quidem tractationes ex professo venire, earum tamen notitiam ita esse necessario connexam et suppositam, ut vix, ac ne vix quidem, philosopho illam negligere liceat, quum istae scientiae ipsius philosophiae subsidiariae ac quasi integrantes partes videantur esse dicendae.

## LIBER PRIMUS.

### LOGICA.

#### PROOEMIUM.

Ex praecedente divisione philosophiae sequitur DEFINITIO LOGICAE : *institutio rationis humanae ad recte judicandum*. De logica generatim pauca haec notentur :

1° *Finis logices* est mentem ita instruere ut facilius, promptius, securius in omnibus recte et cum certitudine judicet.

2° *Objectum logices* sunt variae rationis operationes ita considerandae ut certis regulis ad finem logices, ad certitudinem nempe dirigantur.

3° *Medium logices* est distincta et completa notio regularum quas ratio ad recte cogitandum et judicandum sequi debet.

4° *Divisio logices* repetitur ex objecto ejus; est autem alia *logica subjectiva* (seu formalis, dialectica, minor), traditque normas rationis necessarias ut operationes rectae sint in seipsis; — alia est *logica objectiva* (seu materialis, critica, major), traditque normas ut rationis cognitiones sint verae.

5° *Natura logices* sub duplici respectu describi potest; est enim logica *ars*, quatenus tradit regulas et praecepta ad recte judicandum, ac proinde cognitio practica est; — *scientia* autem dicitur quatenus multa per demonstrationem cognoscens, et sub principiis redigens cognitio theoretica est.

6° *Auctor logices* alius ac primus quidem est ipse Auctor naturae, seu Creator D. O. M. qui inditam nostrae menti naturalem rectitudinem communicavit, quae et *logica naturalis* vocatur. Alius tamen assignatur *logicae artificialis* auctor, qui nimirum scientificam logicam scientiae expositionem primus, eamque mirae sagacitatis plenam conscripsit : *Aristoteles* Stagirita, in libris quorum collectioni nomen alii postea dederunt *ὄργανον*, organum, quos inter de logica subjectiva agunt : *analytica priora, categoriae, de interpretatione, de sophisticis elenchis, topica*; de logica objectiva agunt *analytica posteriora*.

## PARS PRIMA.

## LOGICA SUBJECTIVA.

Ex ante dictis nota jam sunt quid sit logica subjectiva seu dialectica, quis ejus finis, quod ejus objectum. Restat ejus divisio facienda.

Quum igitur tres sint modi disserendi, quibus omnis cognitio comparatur, *divisio* videlicet quae omnia rerum genera, singularumque rerum partes excurrens, omnem notionum confusionem explicat; *definitio* deinde quae cujusque rei naturam describens, docet quid quaeque res cum aliis rebus commune, quid sibi proprium habeat; ac tandem *ratiocinium* quod ex notis ignota concludit et rei cuique applicat quae illi conveniunt; quum deinde hi tres modi sciendi praesupponant *judicia*, quae iterum praesupponant *ideas* ex quarum comparatione oriuntur, ordo videtur naturalis exigere ut a simplicioribus ad complexiora gradum facientes, serie statuamus:

Caput 1. De simplici apprehensione, ejusque signo: termino.

Caput 2. De judicio, ejusque signo: propositione.

Caput 3. De primo modo sciendi: divisione.

Caput 4. De altero modo sciendi: definitione.

Caput 5. De tertio modo sciendi: ratiocinio.

Sed et illud praenotare juverit quoad expositionis modum, quum res sit multus memoriae labor simul et intelligentiae, atque incipientibus discipulis non raro taediosus et obscurus, brevitatis et claritatis causa nihil utilius esse visum, quam si tabellis synopticis, utique a magistro explicandis uteremur, quoties possibile esset.

## CAPUT I.

## DE SIMPLICI IDEA, EJUSQUE SIGNO.

QUAESTIO 1<sup>a</sup>.

## De simplici idea.

## § 1. DE NATURA IDEAE.

*Apprehensio* seu *perceptio* intellectualis est actus quo mens alicujus objecti notitiam accipit, id est: actus mentis quo in se mens similitudinem quamdam objecti gignit. Quoties nempe rem aliquam simpliciter cogito, nihil de ea affirmans vel negans, eam mihi quasi praesentem in mente sisto; attamen res prout revera existit, tota quanta extra me manet, non ergo eam ipsam mihi

praesentem in mente efficio, sed potius per iteratam praesentiam idealem, seu per repraesentationem aliquam; quae repraesentatio rei, altera rei praesentia idealis in mea mente, praeter ipsam rem in se existentem extra me, ure dicitur a S<sup>o</sup> Thoma: *forma alicujus rei praeter ipsam rem existens in mente*. Haec etiam aliis nominibus dicitur objecti *idea*, *conceptus*, *notio*.

*Idea* objectum est id quod idea repraesentat, seu id quod actus percipiendi in mente reproducit; et est *objectum materiale* res prout est in se, quae percipitur; *objectum formale* res percepta, prout eas habet notas quibus hic et nunc percipitur.

## § 2. DE DIVISIONIBUS IDEARUM.

Multipliciter partiri possunt ideae nostrae, prout secundum varias considerationes inspicuntur.

I. **Secundum suam originem**, seu modum quo in nobis oriuntur, ideae sunt:

- intuitivae — — — ad quas mens determinatur ex ipsa objecti praesentia,
  - directae — — si objectum existit extra nos, v. g. *sol*, *sonus*, *mel*...
  - reflexae — — si objectum existit intra nos, praesertim si intra ipsam nostram mentem, v. g. *dolor*, *sitis*, *cogitatio*, *amor*...
- factitiae — — — quas sibi ipsa mens format, alias intuitivas conjungendo,
  - discursivae — ope ratiocinii componendo, v. g. *Deus*.
  - arbitrariae — ad libitum componendo, v. g. *ramus aureus*.

*Notandum*: si componantur notae insociabiles, i. e. quae se mutuo destruant, jam non idea factitia erit, sed *chimaera*, v. c. *circulus quadratus*, *angelus aureus*, cogitatu impossibilis, nam dum una nota ponitur altera tollitur, neque unquam erunt simul compositae, etiamsi vocabula externa copulentur; nisi forte quis alium alii conceptui temere substituatur, v. c. dicendo: *angelum aureum*, cogitet statum factam ex auro, non jam substantiam spiritualem ex auro!

II. **Secundum objectum** quod repraesentant, ideae sunt:

- concretæ — — — quae rem totam exhibent sicut existit,
- metaphysice — quae rem exhibent cum nota sibi essentialiter inseparabili, v. c. *homo animatus*, *homo rationalis*...
- physice — — quae rem exhibent cum nota sibi de facto sed non essentialiter inhaerente, v. c. *homo doctus*, *homo currens*.
- logice — — quae rem exhibent cum nota non sibi inhaerente, sed in alio unde ipsa denominetur, v. c. *homo laudatus*: laus nempe non est in hoc homine, sed in alio qui eum laudat, unde fit ut ipse denominetur *laudatus*.
- abstractae — — — quae non totam rem sicut existit repraesentant, sed aliquam ejus notam sive essentialem sive accidentalem, v. c. *humanitas*, *doctrina*, *animalitas*, *color*...

III. **Secundum comprehensionem** suam, i. e. secundum numerum notarum quas per modum unius **complexus** exhibent, ideae sunt :


- simplices — quae non pluribus **constant** notis, neque in plures resolvable sunt, v. c. *existentia*.
- compositae — quae pluribus **constant** notis, vel in plures notas resolvi possunt, v. c. *homo* : scilicet ens substantiale corporeum vivens sentiens **rationabile**.

IV. **Secundum extensionem** suam, i. e. secundum amplitudinem repraesentationis, seu multitudinem **individuum** entium quae exhibentur, ideae sunt :

- singulares — quae certum **exhibent** individuum, v. c. *Johannes, hic equus*. Notae individuantes ordinario enumerantur : forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen.
- particulares — quae **individuum** exhibent, sed incertum, indeterminatum, v. c. *aliquis homo*.
- collectivae — quae **plura individua** per modum unius **complexus** exhibent, v. c. *civitas, familia*.
- universales — quae unum **attributum** exhibent, quod totum pluribus individuis **inesse** potest, et totum de singulis dicitur. v. c. *homo, arbor*.
- specificae — quae **speciem** exhibent, i. e. id totum quod communem **essentiam** plurium individuum constituit, seu quod respondet **complete** quaestioni : « quid est hoc ? » v. c. *pinus, quercus, bos, equus*.
- genericae — quae **genus** exhibent, i. e. id quod pluribus speciebus est **commune**, v. c. *arbor, animal* ; et respondet **incomplete** quaestioni : « quid est hoc ? »
- differentiales : quae **differentiam** exhibent, i. e. id quo **discriminantur** essentialiter **variae** species in eodem genere, v. c. *animal rationale, irrationale*.
- propriae — quae **proprium** exhibent, i. e. id quod non est ipsa **essentia**, sed **cum** ea inseparabiliter connectitur, seu quod tali **omni** et **soli** convenit, v. c. *locutio* (proprium hominis).
- accidentales — quae **accidens** exhibet, i. e. id quod **salva** natura rei **inesse** vel **desse** potest, v. c. *motus hominis, rotunditas marmoris*.
- transcendentales — quae **notam** exhibent quae **de omnibus** dici potest, non solum **de pluribus** sicut universales ; hae sunt : *ens, res, aliquid, unum, verum, bonum*.

*Notandum.* Plura genera possunt simul comparari, et se habere ut species relate ad genus superius ; hoc iterum genus cum alio genere relate ad genus superius commune, v. c. :

substantia :



Nimirum legatur haec tabella ascendendo, et apparent primo duae species : *homo* et *brutum*, quae differunt *rationalitate*, sed conveniunt in genere *animalis*. Sed hoc genus *animalis* comparetur cum genere *plantae* ; jam haec duo genera tanquam duae species differunt *sensitivitate*, sed conveniunt in genere superiore *viventis*. Et ita sursum usque ad substantiam.

Ergo 1° quo minor est ideae universalis comprehensio, eo major est ejus extensio, et e converso ; v. c. *substantia*, una nota constans, minimam habet comprehensionem, sed repraesentat tum corpus tum spiritum, et maxima est ejus extensio ; addatur nota *materialitatis*, fit idea composita *corporis*, augetur comprehensio, sed minuitur extensio nam haec jam non repraesentat spiritum. Et ita porro.

2° *genus proximum* vocatur illud quod est immediate supra speciem de qua quaeritur ; — *genus subalternum* illud quod est simul genus quoad inferiora, et species quoad superiora ; — *genus supremum* quod sub nullo altiori genere est.

3° *differentia specifica* est quae dividit species, *generica* quae dividit genera.

4° *species infima* est sub qua jam non dantur aliae species.

5° quidquid convenit superiori essentialiter, convenit inferiori ; v. c. essentialiter convenit *viventi* ut moveat se, nutriat se, moriatur, ergo eadem conveniunt et homini et bruto. Utilitatis igitur maximae erit coordinatio omnium rerum sub generibus subalternis et generibus supremis. Hae sunt decem *categoriae* seu *praedicamenta* (cfr. ontologia).

6° quinque universalium modi supra in tabella descripti dicuntur *categoremata* seu *praedicabilia*. ®

V. **Secundum descensum** suum ad inferiora, i. e. secundum modum varium quo universales ideae varia individua repraesentant, ideae sunt :

- univocae — — — quae plura inferiora repraesentant sub notis plane iisdem; v. c. *vivens* exhibet animal et plantam eodem modo, sub eadem unica nota *vitaliter seipsum moventis*.
- analogae — — — quae plura inferiora exhibent sub notis partim iisdem partim diversis, v. c. *sanum* exhibet hominem ut habentem sanitatem, cibum ut dantem sanitatem, colorem ut testantem sanitatem.
- proportionis — quae ita diverse pluribus applicantur ex mera mentis nostrae consideratione, sine fundamento in re; v. c. *ridens* dicitur homo quia vere ridet, sed *ridens* dicitur pratum vel hortus non quia vere rideat vel aliquid simile faciat, sed quia mihi tam jucundo aspectu apparet quam ridens homo.
- attributionis — quae ita applicantur diversis ex consideratione mentis quidem, sed cum fundamento in re;
- extrinsecae, si unam rem propriis suis notis inhaerentibus exhibet, alias autem non per notas proprias sed per relationem ad id unum prius, v. c. *sanitas* de homine proprie, de cibo, aere, colore, per relationem ad hominem.
- intrinsicae, si propriis notis singulas res exhibent, primario tamen unam; v. c. *ens* exhibet primario Deum, secundario autem, at vere et proprie, hominem, lapidem (cfr. ontologia).
- inaequalitatis — quae diverse pluribus applicantur quia repraesentatae notae singulis propriae sunt, inaequali perfectione quidem, sed ita ut non magis primario de uno quam de alio verae sint, atque iis insint sine habitudine ad alias; v. c. *subsistens* est tum spiritus tum corpus, neutrum dependenter ab altero, utrumque tamen vere et proprie, sed inaequaliter quoad perfectionem subsistendi (cfr. ontologia).

*Notanda.* 1° *Analogum princeps* vocatur ea res de qua dicitur simpliciter et absolute ac primario, et ad quam cetera analogae referuntur, quae ab ea derivatam habent appellationem.

2° Cum analogae ideae confundi non debet *vocabulum aequivocum*, quod non unam ideam exprimit, sed casu unum quum sit, plane diversas ideas significat, v. c. *Taurus* : mons et bos; *Gallus* : homo et avis; *Tartarus* : homo et infernus.

VI. **Secundum comparisonem idearum inter se**, ideae sunt :

- identicae — — — quae idem repraesentant objectum.
- formaliter — — — quae iisdem notis constant, idem exhibent objectum formale, nec nisi verbis differunt, v. c. *Tullius* et *Cicero*.
- materialiter — — — quae notis variis eandem rem repraesentant, exhibent idem objectum materiale sed ut objectum formale varium, v. c. *Cicero* et *Orator Romanus*.
- diversae — — — quae varia repraesentant objecta.
- sociabiles — — — quae varias notas exhibent quae possint simul uni rei convenire, v. c. *color* et *motus*.
- connexae — — — quarum altera alteram infert, i. e. una data, necessario adsit altera.
- convertibiles — — — quarum altera alteram infert et mutuo ab ea inferitur, v. c. *appetitivum* et *cognoscitivum*.
- inconvertibiles, — — — quarum altera alteram infert, sed non mutuo ab ea inferitur; v. c. *animal* et *appetitivum*, nam etiam spiritus appetit et non est animal.
- disparatae — — — quae se mutuo nec inferunt neque excludunt, v. c. *sapiens* et *niger*.
- oppositae — — — quae non possunt uni rei simul convenire, v. c. *angelus* et *aureum*.
- contradictoriae — — — quae eandem notam affirmant et negant, v. c. *justus* et *non justus*.
- privativae — — — quae eandem notam affirmant et negant de subjecto ad eam habendam apto, v. c. *videns* et *caecus*, nam caecus supponit subjectum aptum ad visionem.
- contrariae — — — quae notas affirmant quae sub eodem genere maxime differunt, et eidem subjecto successive, non simul, inesse possunt, v. c. *album* et *nigrum*; *virtus* et *vitium*.
- relativae — — — quarum utraque concipitur per respectum ad alteram, v. c. *pater* et *filius*; *similia*.

*Notandum.* Ergo oppositio contradictoria est omnium maxima, nam aliae vel medium habent, v. c. inter *nigrum* et *album* est *caeruleum*, *flavum*, etc; — vel in eodem genere aut subjecto conveniunt, v. c. *videns* et *caecus* conveniunt in subjecto homine, *album* et *nigrum* conveniunt in genere *colorati*; — vel se mutuo demonstrant et eo modo connexae dici possunt, v. c. *pater* et *filius* (Cfr. S. Thom. opusc. 37, de quatuor oppositis). — Unde aliae oppositiones aliquam tamen convenientiam inter opposita relinquunt, contradictio autem nullam.

VII. **Secundum perfectionem in repraesentando**, ideae sunt :

comprehensivae	— — —	quae omne id exhibent quod de objecto intelligi potest. Tales solus Deus habet.
apprehensivae	— — —	quae non omne id exhibent.
clarae	— — —	quae tot ac tales rei notas exhibent, quibus res ab omni alia re discernatur.
distinctae	— — —	si notas illas distinguere et enumerare possumus.
complete	— — —	si notas illas omnes distinguere et enumerare possumus.
adaequate	— — —	si etiam illarum notarum analysim usque ad notas simplices possumus continuare.
inadaequate	— — —	si hanc analysim non usque ad simplices notas continuare possumus.
incomplete	— — —	si notas illas non omnes distincte enumerare novimus.
confusae	— — —	si notas illas minime distinctim percipimus, enumerare nescimus.
obscurae	— — —	quae notas rei non exhibent sufficientes quibus res ab aliis rebus discernatur.

*Notandum.* Usu satis frequenti receptum est ut idea distincta jam non subdividatur, sed sumantur nomina ideae *completae* vel *adaequatae* ut synonyma ideae *comprehensivae*, ideae vero *incompletae* vel *inadaequatae* ut synonyma ideae *apprehensivae*. Quare ex contexta oratione ordinario judicandum est quo sensu hic et nunc ea vocabula usurpentur.

QUAESTIO 2<sup>a</sup>.

## De termino, ideae signo.

## § 1. DE NATURA SIGNI ET TERMINI.

I. **Signum** in genere est id quod ex sui cognitione mentem nostram inducit ad cognitionem alterius rei; et partitur in

naturale	— — —	si connexio duarum rerum est naturalis, v. c. <i>fumus</i> signum <i>ignis</i> , <i>vestigium</i> signum <i>viatoris</i> .
arbitrarium	— — —	si connexio est hominum arbitrio vel conventionem inducta, v. c. <i>scriptura</i> signum <i>loquelae</i> , <i>laurus</i> signum <i>victoriae</i> .
manifestativum	— — —	signum quod aliam rem manifestat tantum, v. c. <i>inscriptio</i> manifestans <i>facinus</i> .
suppositivum	— — —	quo utimur eodem modo ac si esset ipsa res significata, v. c. <i>claves</i> victori offeruntur quasi <i>ipsum oppidum</i> afferatur, <i>crux</i> adoratur quasi <i>ipse Christus</i> adsit.

II. Plura quidem signa habemus quibus cogitationes nostras aliis hominibus manifestemus, quae inter praecipue utile ac commune est *locutio*, et si de simplici idea quaeras, signum erit *vocabulum* seu *terminus*, qui prout signum est, dividetur :

- 1) significans per se, si solus jam ideam repraesentet, v. c. *equus, homo, currens*.  
 significans cum alio, si non solus ideam repraesentat, sed alii additur quem modificet, v. c. *ille, meus*.
- 2) connotativus, qui aliquid significat ut alteri inhaerens, seu qui unum directe (*in recto*) significat, sed aliud indirecte (*in obliquo*) significat subaudiendum, cui primum inhaereat, v. c. *candidum* (subauditur *marmor*), *philosophus* (subauditur *homo*), *ligneum* (connotatur *opificium*).  
 absolutus, qui aliquid significat non ut inhaerens alteri, sed ut per se subsistens, vel saltem abstrahendo a subjecto inhaesionis, v. c. *lapis, homo, Roma*; — *candor, philosophia*.
- 3) simplex, qui unico vocabulo ideam unam significat, sive simplicem sive compositam, v. c. *domus*.  
 complexus, qui pluribus vocabulis ideam unam compositam exprimit, v. c. *liber Petri, domus mea, urbs Roma*.

*Notandum.* 1° In termino complexo alterum vocabulum est *principale*, quod rem significat, alterum est *incidens*, quod rei affectionem significat, v. c. *Plato philosophus* (*Plato* est res, *philosophus* est ejus modus essendi, ejus affectio); *liber Platonis* (*liber* est res, *Platonis* est ejus affectio); et dicitur vox *incidens* : epitheton.

2° Terminus incidens est

- |   |
|---|
| explicativus, si affectionem addit principali secundum totam hujus extensionem, v. c. <i>homines mortales</i> (omnes homines, tota extensio hominis, est mortalis); <i>Plato philosophus</i> (tota extensio Platonis, ille solus Plato...). |
| determinativus, si affectionem addit, restringendo principalis termini extensionem ad aliquam partem, v. c. <i>homines irati</i> (non omnes homines, sed pars illa).  |

3° Ex omnibus modo de vocabulorum natura et divisione dictis apparet divisiones alias etiam esse tradendas, easdem scilicet quae de ideis superius datae fuerunt, quandoquidem idearum signa correspondentia sunt.

## § 2. DE USU TERMINORUM.

I. De illorum terminorum usu, quos *nomina* vocamus, peculiare illud notandum nunc venit, quod *sunt nomina signa manifestativa idearum, et simul suppositiva rerum* per ideas cognitarum. Si v. c. dico : *Plato est philosophus*, singula nomina tibi manifestant me cogitare de Platone illo, et de philosopho;

sed ego illis utor nominibus quasi ipsa objecta praesentia ostendens, de altero dicam esse alteri identicum; pono nempe nomina pro rebus; et haec *suppositio nominis* vocatur. Est ergo suppositio usus termini loco alicujus rei de qua verificatur. Sed multiplex dividitur usus ille, est est suppositio:

- |              |       |   |
|--------------|-------|---|
| materialis   | — — — | si vox adhibetur pro seipsa, ut res, non ut signum; v. c. <i>Cicero est trysyllabum.</i>  |
| formalis     | — — — | si vox adhibetur pro re significata.  |
| logica       | — — — | si pro ipsa idea quam vox manifestat, v. c. <i>Plato est idea singularis; bos est idea specifica.</i>   |
| realis       | — — — | si pro re quam ipsa idea repraesentat, v. c. <i>bos est animal.</i>   |
| absoluta     | — — — | si adhibetur pro ipsa natura, essentia, rei repraesentatae, v. c. <i>bos est quadrupes ruminans</i> (sensus est: naturam, essentiam bovis, nempe omnium boum, esse ut sint quadupedia ruminantia).  |
| personalis   | — — — | si adhibetur vox pro ipsa re hanc naturam habente, v. c. <i>bos meus mortuus est.</i>   |
| collectiva   | — — — | si stat vox pro re quam exhibet idea collectiva, v. c. <i>omnes partes aequant totum</i> (partes collective sumptae simul, non singulae...).  |
| distributiva | — — — | si stat vox pro re quam exhibet idea universalis.   |
| completa     | — — — | si stat pro individuis singulis, v. c. <i>homines sunt mortales</i> (omnes et singuli...).  |
| incompleta   | — — — | si stat pro speciebus alicujus generis, i. e. pro aliquibus individuis ex singulis speciebus, v. c. <i>omnia animalia fuerunt in arca Noe.</i>  |
| confusa      | — — — | si manifestat ideam particularem, v. c. requiritur <i>navis</i> ad navigandum (aliqua navis, sed indifferenter sive navis A, sive navis B, sive...).  |
| determinata  | — — — | si stat nomen pro re quam repraesentat idea singularis, sed quam manifesto ad modum ideae particularis, v. c. <i>aliquis Atheniensis fuit Platonis magister</i> (dico aliquem Atheniensem, sed cogito <i>Socratem</i> , non indifferenter Atheniensem quemlibet). |
| singularis   | — — — | si stat pro re cogitata et manifestata ut singularis haec determinata est, v. c. <i>Plato est philosophus.</i>  |

II. Est et aliud de vocabulorum usu notandum. Saepe enim applicatur unus terminus supra alium, quae applicatio vocatur *APPELLATIO*; v. c. si dico: *homo justus*, terminus *justus* appellat *hominem*. Et duplex invenitur appellatio, nam est *appellatio formalis* si terminus appellans applicatur subjecto ratione illius notae quae per terminum appellatum exprimitur, v. c. *medicus sanans*,

i. e. ideo ille homo est sanans quia medicus est; sed est *appellatio materialis* si terminus appellans subjecto applicatur non ratione illius notae quae per terminum appellatum exprimitur, v. c. *medicus cantans*, i. e. cantans est ille homo qui medicus est, sed non ideo quia medicus est. Unde distingui potest duplex sensus hujus dicti: *medicus doctus*, scilicet si *doctus* appellat formaliter, ille homo est in arte medicinae doctus; si vero materialiter, ille homo qui in medicina satis ignarus forsitan est, in aliis disciplinis, puta in litteratura, historia, doctus dicitur.

## CAPUT II.

## DE JUDICIO, EJUSQUE SIGNO.

QUAESTIO 1<sup>a</sup>.

## De judicio.

*Judicium est perceptio identitatis vel repugnantiae inter duas ideas objectivas, i. e. inter objecta repraesentata per duas ideas; v. c. Deus est bonus.*

Judicium supponit: 1<sup>o</sup> duas saltem ideas in mente versari, 2<sup>o</sup> eas inter se comparari, ut percipi queat objectorum identitas vel repugnantia.

Ipsa haec *perceptio* vocatur *judicium*. Hanc ordinario comitantur alii actus minime cum ea confundendi, v. c.: 1<sup>o</sup> *assensus mentis*, seu acquiescentia mentis in re cognita, quae non ipse actus cognoscendi, judicandi, sed potius ejus effectus, quies sequens, est; — 2<sup>o</sup> *actus mentis reflexus* quo mens ipsum priorem actum cognoscendi inspicit; — 3<sup>o</sup> *imperum voluntatis* ad enunciandum externe *judicium*; — 4<sup>o</sup> ipsa *affirmatio* seu enuntiatio per verba externa veritatis perceptae.

Idea objectiva altera vocatur *subjectum* *judicii*, seu id cui alterum cernitur convenire; altera *praedicatum*, seu id quod cernitur convenire alteri (vel non convenire).

*Materia judicii* dicuntur duae ideae objectivae quarum percipitur identitas vel repugnantia; — *forma judicii* dicitur ipsa perceptio hujus identitatis vel repugnantiae.

*Judicia dividuntur* multimode; sed rejecta in alium locum utiliorenumeratione, pauca hic sufficit indicare.

*Secundum fundamentum suum*, *judicium est*:

a priori, — seu *analyticum*, si sola idearum consideratio nos docet eas unum idemque repraesentare, vel non, v. c. *totum est majus sua parte.*

a posteriori, seu *syntheticum*, si experientia nos docet objectivam identitatem vel repugnantiam, v. c. *nix est frigida.*

sed ego illis utor nominibus quasi ipsa objecta praesentia ostendens, de altero dicam esse alteri identicum; pono nempe nomina pro rebus; et haec *suppositio nominis* vocatur. Est ergo suppositio usus termini loco alicujus rei de qua verificatur. Sed multiplex dividitur usus ille, est est suppositio:

- |              |       |   |
|--------------|-------|---|
| materialis   | — — — | si vox adhibetur pro seipsa, ut res, non ut signum; v. c. <i>Cicero est trysyllabum.</i>  |
| formalis     | — — — | si vox adhibetur pro re significata.  |
| logica       | — — — | si pro ipsa idea quam vox manifestat, v. c. <i>Plato est idea singularis; bos est idea specifica.</i>   |
| realis       | — — — | si pro re quam ipsa idea repraesentat, v. c. <i>bos est animal.</i>   |
| absoluta     | — — — | si adhibetur pro ipsa natura, essentia, rei repraesentatae, v. c. <i>bos est quadrupes ruminans</i> (sensus est: naturam, essentiam bovis, nempe omnium boum, esse ut sint quadupedia ruminantia).  |
| personalis   | — — — | si adhibetur vox pro ipsa re hanc naturam habente, v. c. <i>bos meus mortuus est.</i>   |
| collectiva   | — — — | si stat vox pro re quam exhibet idea collectiva, v. c. <i>omnes partes</i> aequant totum (partes collective sumptae simul, non singulae...).  |
| distributiva | — — — | si stat vox pro re quam exhibet idea universalis.   |
| completa     | — — — | si stat pro individuis singulis, v. c. <i>homines sunt mortales</i> (omnes et singuli...).  |
| incompleta   | — — — | si stat pro speciebus alicujus generis, i. e. pro aliquibus individuis ex singulis speciebus, v. c. <i>omnia animalia fuerunt in arca Noe.</i>  |
| confusa      | — — — | si manifestat ideam particularem, v. c. requiritur <i>navis</i> ad navigandum (aliqua navis, sed indifferenter sive navis A, sive navis B, sive...).  |
| determinata  | — — — | si stat nomen pro re quam repraesentat idea singularis, sed quam manifesto ad modum ideae particularis, v. c. <i>aliquis Atheniensis fuit Platonis magister</i> (dico aliquem Atheniensem, sed cogito <i>Socratem</i> , non indifferenter Atheniensem quemlibet). |
| singularis   | — — — | si stat pro re cogitata et manifestata ut singularis haec determinata est, v. c. <i>Plato est philosophus.</i>  |

II. Est et aliud de vocabulorum usu notandum. Saepe enim applicatur unus terminus supra alium, quae applicatio vocatur *APPELLATIO*; v. c. si dico: *homo justus*, terminus *justus* appellat *hominem*. Et duplex invenitur appellatio, nam est *appellatio formalis* si terminus appellans applicatur subjecto ratione illius notae quae per terminum appellatum exprimitur, v. c. *medicus sanans*,

i. e. ideo ille homo est sanans quia medicus est; sed est *appellatio materialis* si terminus appellans subjecto applicatur non ratione illius notae quae per terminum appellatum exprimitur, v. c. *medicus cantans*, i. e. cantans est ille homo qui medicus est, sed non ideo quia medicus est. Unde distingui potest duplex sensus hujus dicti: *medicus doctus*, scilicet si *doctus* appellat formaliter, ille homo est in arte medicinae doctus; si vero materialiter, ille homo qui in medicina satis ignarus forsitan est, in aliis disciplinis, puta in litteratura, historia, doctus dicitur.

## CAPUT II.

## DE JUDICIO, EJUSQUE SIGNO.

QUAESTIO 1<sup>a</sup>.

## De judicio.

*Judicium* est perceptio identitatis vel repugnantiae inter duas ideas objectivas, i. e. inter objecta repraesentata per duas ideas; v. c.: *Deus est bonus*.

Judicium supponit: 1<sup>o</sup> duas saltem ideas in mente versari, 2<sup>o</sup> eas inter se comparari, ut percipi queat objectorum identitas vel repugnantia.

Ipsa haec *perceptio* vocatur *judicium*. Hanc ordinario comitantur alii actus minime cum ea confundendi, v. c.: 1<sup>o</sup> *assensus mentis*, seu acquiescentia mentis in re cognita, quae non ipse actus cognoscendi, judicandi, sed potius ejus effectus, quies sequens, est; — 2<sup>o</sup> *actus mentis reflexus* quo mens ipsum priorem actum cognoscendi inspicit; — 3<sup>o</sup> *imperum voluntatis* ad enunciandum externe *judicium*; — 4<sup>o</sup> ipsa *affirmatio* seu enuntiatio per verba externa veritatis perceptae.

Idea objectiva altera vocatur *subjectum* *judicii*, seu id cui alterum cernitur convenire; altera *praedicatum*, seu id quod cernitur convenire alteri (vel non convenire).

*Materia judicii* dicuntur duae ideae objectivae quarum percipitur identitas vel repugnantia; — *forma judicii* dicitur ipsa perceptio hujus identitatis vel repugnantiae.

*Judicia* dividuntur multimode; sed rejecta in alium locum utiliore enumeratione, pauca hic sufficit indicare.

Secundum fundamentum suum, *judicium* est:

a priori, — seu analyticum, si sola idearum consideratio nos docet eas unum idemque repraesentare, vel non, v. c. *totum est majus sua parte*.

a posteriori, seu syntheticum, si experientia nos docet objectivam identitatem vel repugnantiam, v. c. *nix est frigida*.

Secundum formam suam iudicium est :

affirmativum — — si percipitur identitas objectiva duarum idearum.

negativum — — si percipitur repugnantia...

infiniti subjecti : si negotio afficit subjectum, v. c. *non Joannes tradidit Jesum*, i. e. qui tradit, non Joannes est sed quilibet inter alios infinitos...

infiniti praedicati : si negatio afficit praedicatum, v. c. *Joannes Jesum non tradidit*, i. e. fecit aliud quolibet, sed non tradidit.

Potest proinde resolvi iudicium negativum quodlibet in affirmativum, nam percipere repugnantiam idearum est percipere non identitatem earum, i. e. negare identitatem est affirmare repugnantiam, v. c. *nullus angelus est lapis*, i. e. omnis angelus est non lapis (infiniti praedicati), vel etiam : non angelus (sed aliud quid = infinitum subjectum) est lapis; — *lapis non est vivens*, i. e. lapis est non vivens (infinitum praedicatum).

#### QUAESTIO 2<sup>a</sup>.

#### De propositione, iudicii signo.

##### § 1. DE NATURA PROPOSITIONIS.

*Signum* quo iudicium per vocem exprimimus, vocatur *propositio*; haec ergo est oratio qua aliquid de aliquo affirmatur vel negatur. Eius elementa sunt : *subjectum, praedicatum, et copula*.

*Subjectum* est id de quo aliquid affirmatur vel negatur.

*Praedicatum* est id quod de subjecto affirmatur vel negatur.

*Copula* est ipsa expressio identitatis vel repugnantiae inter hos duos terminos; quae semper est verbum *esse* in praesenti indicativo (nam de aliis propositionibus, modalibus nempe, quae dictum modificant, nondum hic agimus).

Copula saepe cum praedicato, vel cum ejus parte, in unum vocabulum coalescit, v. c. *justi erunt felices*, i. e. justis futuri felices; — *martyres vixerunt mundum*, i. e. sunt olim vincentes mundum.

Copulae significatio est identitatem exprimere inter subjectum et praedicatum, et hanc exprimit ut actualiter veram. Subjecti et praedicati est exprimere, per varias significationes et suppositiones, modificationes hujus veritatis, v. c. in tempore futuro, in ordine reali vel possibili, v. c. *omnis homo morietur*; — *homo est animal rationale*.

Saepe ex defectu nostrorum idiomatum nonnisi aliqua attentione distingui possunt propositiones infiniti subjecti et infiniti praedicati, v. c. si latine dicam : *Joannes non tradidit Jesum*.

Quoad significationem et suppositionem terminorum in variis propositionibus, notanda occurrunt sequentia :

1<sup>o</sup> in propositione affirmativa : a) praedicatum tribuitur subjecto juxta omnes et singulas notas comprehensionis suae, v. c. *leo est brutum*, i. e. leoni conveniunt omnes et singulae notae bruti : est *ens, substantia, corpus, vivens, sentiens*; — b) praedicatum est generatim terminus particularis, suppositione confusa, vel determinata, v. c. *Caesar est homo*, i. e. est aliquis homo, et quidem certus ille aliquis; — aliquando etiam venit suppositione singulari, v. c. *Christus est Filius Dei*, i. e. est ille unicus singularis Filius Dei.

2<sup>o</sup> in propositione negativa : a) terminus negatus (sive subjectum illud sit, sive praedicatum) sumendus est secundum omnes notas comprehensionis suae, collective, non distributive, v. c. *non leo occidit Achillem*, i. e. qui Achillem occidit non omnes simul habebat notas leonis, licet aliquas forsitan earum haberet, v. g. erat *ens, substantia, vivens, sentiens*, sed non *irrationalis, carnivorum, quadrupes*, etc. — *lapis est non animal*, i. e. lapidi conveniunt non omnes simul, sed aliquae forsitan notae animalis; — b) terminus negatus est generatim universalis, suppositione distributiva, v. c. *Deus est non mortalis*, i. e. est nullus inter omnes mortales; — *non homo creavit coelum*, i. e. nullus ex omnibus hominibus; — aliquando etiam venit suppositione singulari, v. c. *non Dominus haec mandavit*; — *divitiae sunt non summum bonum*.

3<sup>o</sup> ergo perperam aliquando philosophi dicunt, in propositione affirmante subjectum contineri in praedicato; quod ita explicant : *Plato est homo*, i. e. Plato est *aliquis homo*, i. e. est unus ex hominibus, continetur in homine, in idea universali hominis. Si vero recte inspicias, videbis vocabulum *homo* quod est praedicatum, esse in suppositione particulari, ac proinde subjectum non in eo contineri sed esse cum eo identicum. Aliquo tamen sensu improprio verum est philosophorum dictum, quia scilicet praedicatum est terminus significatione (non suppositione) sua universalis.

##### § 2. DE DIVISIONIBUS PROPOSITIONUM.

Quum ad nullam particularem linguam, puta latinam, graecam, germanicam, gallicam, attendere nobis nunc in mente sit, sed rem potius philosophice inspicientes, generalia velimus considerare quae omnibus linguis humanis, quatenus signa iudiciorum sunt, communia esse debeant, plures hic non iudicandae videntur propositionum divisiones, v. c. in plenas et ellipticas, in rectas et inversas, quae ad particulares grammaticas potius spectant. Sed aliae nobis explicandae veniunt divisiones propositionum.



I. **Secundum extensionem subjecti**, propositio est :

- singularis — — — — — cujus subjectum supponitur materialiter, v. c. *bos est monosyllabum*; — vel logice, v. c. *bos est species infima*; — vel singulariter, v. c. *hic bos est albus*.
- collectiva — — — — — cujus subjectum supponitur collective, v. c. *centum tauri sunt hecatomba*.
- particularis — — — — — cujus subjectum supponitur particulariter, sive confuse sive determinate, v. c. *bos fuit mactatus*.
- universalis — — — — — cujus subjectum supponitur distributive.
- metaphysice, — — — — — si talis enuntiatur veritas ut absolute impossibilis sit exceptio quaecumque, v. c. *totum est majus sua parte*.
- physice — — — — — si talis veritas ut secundum naturalem ordinem repugnet quidem, non vero praeter naturalem ordinem repugnet exceptio, v. c. *nullus homo potest ambulare super aquas*, nempe secundum naturam, sed per miraculum fieri potest.
- moraliter — — — — — si talis veritas, ut ordinarie verum sit, quamvis naturaliter plures dentur exceptiones, v. c. *omnis juvenis est inconstans*.
- indefinita — — — — — cujus subjectum supponitur absolute, v. c. *bos est cornutus*.

II. **Secundum modum copulae**, i. e. secundum varios modos quibus praedicatum potest subjecto convenire, seu quibus ei applicatur, propositio est :

- indicativa — — — — — quae simpliciter affirmat vel negat identitatem terminorum, v. c. *Deus est bonus*.
- modalis — — — — — quae hanc identitatem una cum aliqua habitudine varia inter subjectum et praedicatum enuntiat.
- objective — — — — — si a parte rerum est modificata habitudo. Sunt autem quatuor tales modificationes : necessitas, contingentia, possibilitas, impossibilitas; v. c. *Deus necessario est bonus*, i. e. debet esse, non potest non esse bonus; — *lapis contingenter frangitur*, i. e. contingit ut frangatur, potest non frangi; — *aliquis possibiliter dicet*, i. e. poterit dicere; — *circulus impossibiliter est quadratus*, i. e. non potest esse, nequit esse quadratus.
- subjective — — — — — si a parte loquentis est modificatio habitudinis inter subjectum et praedicatum, seu connotatur modificatio subjecti cogitantis ac loquentis, et est :
- admirativa — — — — — exclamativa... v. c. *quantum mutatus ab illo!*
- imperativa — — — — — optativa, permissiva... v. c. *veni tecum*; — *adveniat regnum tuum*; — *pereat mundus!*...
- interrogativa — — — — — v. c. *venietne?*

*Notandum.* 1<sup>o</sup> Propositiones *objective modales* solent linguis nostris Europaeis alio vocabulorum ordine enuntiari, v. c. *accidit ut lapis frangatur, dicat aliquis, nequit circulus esse quadratus*...

2<sup>o</sup> Propositiones *subjective modales* solent per grammaticales conjugationum varietates enuntiari; ubi vero tales conjugationum modi, v. g. optativus, permissivus deficiunt, variae sunt singularum linguarum regulae syntacticae, quibus illis formis suppleatur.

III. **Secundum materiam significandam**, i. e. secundum varietatem judiciorum manifestandorum et veritatum enuntiandarum, propositio est :

- simplex — — — — — quae unum subjectum, unumque praedicatum habet, v. c. *vir constans est impavidus*.
- composita — — — — — quae plura subjecta, vel plura praedicata habet; quae proinde plura judicia exprimit, v. c. *Petrus et Joannes sunt Apostoli*, i. e. Petrus est Apostolus, et Joannes est Apostolus.
- aperte — — — — — si in ipsa dictione apparet compositio, seu aequivalentia pluribus propositionibus.
- copulativa — — — — — v. c. *ille homo est probus et prudens*, i. e. est probus, et est prudens.
- adversativa — — — — — v. c. *ille homo est probus, sed non prudens*.
- disjunctiva — — — — — v. c. *ille homo est aut probus aut improbus*.
- occulte — — — — — si non ex ipsa dictione apparet compositio, sed exponi debet pluribus propositionibus; unde dicitur propositio *exponibilis*.
- exclusiva — — — — — quae aliquam partem ex affirmatione excludit.
- subjecti — — — — — v. c. *solus Deus est aeternus*, i. e. Deus est aeternus, sed cetera non sunt aeterna.
- praedicati — — — — — v. c. *brutum est materiale tantum*, i. e. est materiale, sed non est aliquid perfectius.
- comparativa — — — — — v. c. *Joannes est Petro major*, i. e. Joannes est magnus, Petrus est magnus, sed Joannes magis quam Petrus.
- reduplicativa — — — — — quae aliquem terminum repetit, ut ita duplicatus magis appareat, ac vim veritatis exprimendae extollat.
- causae — — — — — v. c. *homo, ut homo, est liber*, i. e. homo est liber, et causa hujus libertatis est quia homo est, seu ipsa ejus humanitas.
- determinationis, — — — — — v. c. *homo, ut homo, est doctus*, i. e. homo est doctus, et ipsa ejus humanitas non quidem est causa cur sit doctus, sed est nota determinata per quam potuit fieri doctus, sine qua non potuisset.

Notandum. 1° Ut vera sit propositio *disjunctiva* : a) divisio sit adaequata, b) per membra quae non possint esse simul vera, c) nec simul falsa; v. c. non verae erunt : *consensus plurium testium aut nunquam errat, aut semper errat*; — *homo vel dives est vel miser*; — *vel catholicus est vel turca*.

2° Saepe dicitur *reduplicativa* propositio cujus repetitur terminus aliquis antea non expressus sed subauditus, v. c. *homo, ut animal, multis sensibilibus eget*; i. e. homo animal, ut animal.

IV. **Secundum modum exprimendi vocabulis** cogitationem, propositio est :

incomplexa	— — —	cujus subjectum et praedicatum singulis vocabulis exprimuntur, v. c. <i>Plato est philosophus, Petrus orat.</i>
complexa	— — —	cujus subjectum vel praedicatum pluribus vocabulis compleri debet, v. c. <i>Deus est creator mundi.</i>
in nomine	— — —	sive substantivo, sive adjectivo, sive pronomine completur; et quidem hoc nomen habet :
appositum	— — —	v. c. <i>Deus bonus me diligit.</i>
regimen	— — —	v. c. <i>Deus angelorum me diligit.</i>
propositionem relativam		
explicativam	— — —	v. c. <i>Petrus, quem vidisti, veniet.</i>
determinativam	— — —	v. c. <i>is, quem vocasti, veniet.</i>
in adverbio	— — —	habens propositionem comparativam :
aequalitatis	— — —	v. c. <i>ibi jacet, ubi cecidit.</i>
differentiae	— — —	v. c. <i>magis clamat quam dolet.</i>
in verbali	— — —	habens :
regimen	— — —	sive directum, v. c. <i>amat patrem</i> , sive indirectum, v. c. <i>dat patri</i> , sive circumstantiale, v. c. <i>currit in horto.</i>
propositionem	— — —	objectivam, seu quae tota sit regimen directum, v. c. <i>sentio calere ignem.</i>

Notandum. 1° Propositio *relativa explicativa* potest falsa esse, nec tamen necessario falsa ideo erit propositio principalis, v. c. *amicus, quem invisi, mortuus est* (etiam si non invisi, potest mortuus esse).

2° Propositio *relativa determinativa* est *correlativa*, i. e. semper alicui vocabulo demonstrativo propositionis principalis correspondet vocabulum illud quod propositionem secundariam introducit, v. c. *is quem vocasti...*; quae correspondentia saepe etiam ex ipsa vocabulorum forma apparet, v. c. *talis qualis, tantus quantus*.

3° Eodem modo *correlativa* est propositio *adverbialis aequalitatis*, v. c. *tam sapiens est Petrus quam Paulus*; quam correspondentiam exprimit saepe ipsa

vocabulorum forma, v. c. *tam quam, tum quum*; alias vero non exprimit, v. c. *post quam, eo quod, ideo ut, ideo quia, sic ut*.

4° Ut vera sit propositio *correlativa* quaecumque, tria debent vera esse : utraque separatim propositio, principalis et secundaria, et ipse nexus inter utramque indicatus, v. c. *jacet — ibi ubi — cecidit*. Quorum si vel unum deerit, falsa est propositio complexa, v. c. si *cecidit*, et si *jacet*, sed non *ibi ubi...*

5° Ad propositiones *correlativas* revocanda est propositio *conditionalis*; utique *si, forsitan si, non si, utique si non*; eaque omnibus iisdem regulis subjacet ac *correlativae* aliae; v. c. *ab illo si peteres, utique acciperes*; — *si non petes utique non accipies*; — *non accipies si petes*; — *utique accipies si non petes*.

6° Quae modo dicebantur, vera sunt de omni propositione; attamen humanae linguae vario usu vel totum exprimunt, vel partes aliquas, particulas praesertim seu brevissima vocabula, subaudiunt vel contrahunt; qua de re consulenda grammatica particularis ejusque linguae.

### § 3. DE COMPARATIONE PROPOSITIONUM.

Inter varias propositiones si *comparationem* instituas, aliquas invenies sibi invicem oppositas, alias aequipollentes, alias inter se convertibiles.

I. **Opponuntur propositiones** inter se : 1° *contradictorie*, illae quarum una tantum affirmat aut negat, quantum sufficit ut altera sit falsa, v. c. *omne corpus est grave, aliquod corpus non est grave*; — 2° *contrarie*, quarum una tantum affirmat quantum altera negat, v. c. *omne corpus est grave, nullum corpus est grave*; — 3° *disparate*, quarum una plus negat, quam sufficit ut altera sit falsa, v. c. *omne corpus est grave, decem corpora non sunt gravia*.

Unde synoptice exponi possunt oppositiones : quoad propositionis quantitatem :

	contrariae	
A. OMNE CORPUS EST GRAVE		NULLUM CORPUS EST GRAVE. E.
	subalternae	supalternae
	contra	toriae
	dic	
	contra	toriae
I. ALIQUOD CORPUS EST GRAVE	subcontrariae	ALIQUOD CORPUS NON EST GRAVE. O.

vel etiam, quoad propositionis qualitatem :

A. NECESSARIO EST  
(i. e. debet esse)

contrariae

IMPOSSIBILITER EST. E.  
(i. e. nequit esse)

subalternae

contra-  
dic-  
toriae

subalternae

I. POSSIBILITER EST  
(i. e. potest esse)

subcontrariae

CONTINGENTER EST. O.  
(i. e. potest non esse)

*Notandum.* 1° *Contradictoriae* non possunt simul esse verae, nec simul falsae. Ergo ex veritate unius infertur falsitas alterius, et vice versa.

2° *Contrariae* (vel *disparate oppositae*) non possunt simul esse verae, sed possunt simul esse falsae. Ergo ex veritate unius infertur falsitas alterius, sed non vice versa.

3° *Subcontrariae* possunt esse simul verae, sed non possunt esse simul falsae. Ergo ex falsitate unius infertur veritas alterius, sed non vice versa. Nec sunt vere oppositae nisi subjectum in utraque supponatur determinate pro eodem objecto, ac proinde sint *contradictoriae*.

4° *In subalternis* ex veritate universalis infertur veritas particularis, sed non vice versa.

5° Quae modo dicta sunt, propositiones simplices respiciebant. Si vero fuerint propositiones nimis compositae vel complexae, resolvantur in simplices, et facile dignoscetur oppositio.

II. **Aequipollentes** sunt propositiones quae idem valent quoad amplitudinem significationis et veritatem, licet sub aliis verbis enuntiatae, v. c. *omnis homo est mortalis, nullus homo non est mortalis*.

III. **Conversio** propositionis est commutatio terminorum, ita ut subjectum fiat praedicatum et vicissim, non mutata veritate, v. c. *omnis homo est mortalis, aliquid mortale est homo*.

Quaeritur regula modificandi unam propositionem, ut convertatur in aliam sibi aequipollentem. — Regula haec universalis est, ut sub quibusvis verbis, et permutatis quomodovis subjecto et praedicato, maneant eadem terminorum *significationes* et *suppositiones*. — Particulares regulas et media suppeditabit grammatica, varias pro variis linguis.

Conversio est : 1° *simplex*, si servatur eadem quantitas propositionis, v. c. *aliquis homo est felix, aliquis felix est homo*; — *nullum corpus cogitat, nullum cogitans est corpus*. — 2° *per accidens*, si non servatur quantitas, v. c. *omnes homo est vivens, aliquid vivens est homo*; — *nullum corpus cogitat, aliquid non cogitans est corpus*. — 3° *per contrapositionem*, si praefigitur negatio utrique termino, v. c. *aliquis homo est grammaticus, aliquis non grammaticus est non homo*; — *omnis homo est rationalis, omne non rationale est non homo*.

## CAPUT III.

## DE DIVISIONE, PRIMO SCIENDI MODO.

Primus modus res per suas rationes cognoscendi, ideasque earum distinctas acquirendi, simul atque aequivocationes vitandi, est ut objectum cognoscendum dividamus in suas partes; quarum singularum consideratione multo clarius et plenius totum ex illis compositum postea cognoscamus. Atque haec mentis nostrae operatio dicitur *divisio* seu *analysis*.

Divisio aliqua improprie vocatur, illa nimirum quae *vocem aequivocam* in diversas significationes suas dividit; quae melius et proprie dicitur *distinctio*, v. c. *Gallus est vel homo ex Gallia, vel avis gallinacea*.

Divisio proprie dicta seu realis, multiplex est pro multiplici toto cujus partes explicat. Quum enim toti diviso correspondeat totius divisio, quale est totum, talis divisio.

Est ergo divisio :

totius actualis — —	in partes físicas	— i. e. rei quae habet essentiam compositam, quae realiter sunt distinctae et separabiles.
	essenciales	— quae toti ita sunt necessariae, ut vel una sublata, conceptus totius pereat, v. c. <i>hominis in corpus et animam</i> .
	integrales	— quae totum constituunt integrum, sed quarum una vel pluribus sublatis non mutatur totius natura.
	homogeneas	— ejusdem naturae et appellationis ac totum, v. c. <i>aquae in duas lagenas</i> ; — <i>lineae in duas</i> .
	heterogeneas	— diversae naturae ac totum, v. c. <i>corporis in membra</i> ; — <i>versus in pedes</i> .
in partes metaphysicas, i. e. quae distinctae et separabiles sunt, non realiter, sed solum per mentis considerationem, v. c. <i>hominis in animal et rationale</i> .		
totius logici — —	— i. e. ipsius ideae universalis, prout divisibilis in sua inferiora est (partes subjectivas seu extensionis).	
generis in species suas, v. c. <i>viventis in animal et plantam</i> .		
speciei in sua individua, v. c. <i>hominis in Joannem, Paulum, X, Y, Z</i> .		
subjecti secundum accidentia, v. c. <i>corporis in motum, et immotum</i> .		
accidentis secundum subjecta, v. c. <i>liquidi in aquam, vinum, lac...</i>		
accidentis secundum accidentia, v. c. <i>candidi in durum, molle, liquidum</i> .		

*Notandum.* 1° Totum actuale dividitur in partes suae comprehensionis; totum logicum in partes suae extensionis.

vel etiam, quoad propositionis qualitatem :

A. NECESSARIO EST  
(i. e. debet esse)

contrariae

IMPOSSIBILITER EST. E.  
(i. e. nequit esse)

subalternae

contra-  
dic-  
toriae

subalternae

I. POSSIBILITER EST  
(i. e. potest esse)

subcontrariae

CONTINGENTER EST. O.  
(i. e. potest non esse)

Notandum. 1° *Contradictoriae* non possunt simul esse verae, nec simul falsae. Ergo ex veritate unius infertur falsitas alterius, et vice versa.

2° *Contrariae* (vel *disparate oppositae*) non possunt simul esse verae, sed possunt simul esse falsae. Ergo ex veritate unius infertur falsitas alterius, sed non vice versa.

3° *Subcontrariae* possunt esse simul verae, sed non possunt esse simul falsae. Ergo ex falsitate unius infertur veritas alterius, sed non vice versa. Nec sunt vere oppositae nisi subjectum in utraque supponatur determinate pro eodem objecto, ac proinde sint *contradictoriae*.

4° *In subalternis* ex veritate universalis infertur veritas particularis, sed non vice versa.

5° Quae modo dicta sunt, propositiones simplices respiciebant. Si vero fuerint propositiones nimis compositae vel complexae, resolvantur in simplices, et facile dignoscetur oppositio.

II. **Aequipollentes** sunt propositiones quae idem valent quoad amplitudinem significationis et veritatem, licet sub aliis verbis enuntiatae, v. c. *omnis homo est mortalis, nullus homo non est mortalis*.

III. **Conversio** propositionis est commutatio terminorum, ita ut subjectum fiat praedicatum et vicissim, non mutata veritate, v. c. *omnis homo est mortalis, aliquid mortale est homo*.

Quaeritur regula modificandi unam propositionem, ut convertatur in aliam sibi aequipollentem. — Regula haec universalis est, ut sub quibusvis verbis, et permutatis quomodovis subjecto et praedicato, maneant eadem terminorum *significationes* et *suppositiones*. — Particulares regulas et media suppeditabit grammatica, varias pro variis linguis.

Conversio est : 1° *simplex*, si servatur eadem quantitas propositionis, v. c. *aliquis homo est felix, aliquis felix est homo*; — *nullum corpus cogitat, nullum cogitans est corpus*. — 2° *per accidens*, si non servatur quantitas, v. c. *omnes homo est vivens, aliquid vivens est homo*; — *nullum corpus cogitat, aliquid non cogitans est corpus*. — 3° *per contrapositionem*, si praefigitur negatio utrique termino, v. c. *aliquis homo est grammaticus, aliquis non grammaticus est non homo*; — *omnis homo est rationalis, omne non rationale est non homo*.

## CAPUT III.

## DE DIVISIONE, PRIMO SCIENDI MODO.

Primus modus res per suas rationes cognoscendi, ideasque earum distinctas acquirendi, simul atque aequivocationes vitandi, est ut objectum cognoscendum dividamus in suas partes; quarum singularum consideratione multo clarius et plenius totum ex illis compositum postea cognoscamus. Atque haec mentis nostrae operatio dicitur *divisio* seu *analysis*.

Divisio aliqua improprie vocatur, illa nimirum quae *vocem aequivocam* in diversas significationes suas dividit; quae melius et proprie dicitur *distinctio*, v. c. *Gallus est vel homo ex Gallia, vel avis gallinacea*.

Divisio proprie dicta seu realis, multiplex est pro multiplici toto cujus partes explicat. Quum enim toti diviso correspondeat totius divisio, quale est totum, talis divisio.

Est ergo divisio :

totius actualis	—	—	i. e. rei quae habet essentiam compositam,
in partes físicas	—	—	quae realiter sunt distinctae et separabiles.
essentiales	—	—	quae toti ita sunt necessariae, ut vel una sublata, conceptus totius pereat, v. c. <i>hominis in corpus et animam</i> .
integrates	—	—	quae totum constituunt integrum, sed quarum una vel pluribus sublatis non mutatur totius natura.
homogeneas	—	—	eiusdem naturae et appellationis ac totum, v. c. <i>aquae in duas lagenas</i> ; — <i>lineae in duas</i> .
heterogeneas	—	—	diversae naturae ac totum, v. c. <i>corporis in membra</i> ; — <i>versus in pedes</i> .
in partes metaphysicas,	—	—	i. e. quae distinctae et separabiles sunt, non realiter, sed solum per mentis considerationem, v. c. <i>hominis in animal et rationale</i> .
totius logici	—	—	i. e. ipsius ideae universalis, prout divisibilis in sua inferiora est (partes subjectivas seu extensionis).
generis in species suas,	—	—	v. c. <i>viventis in animal et plantam</i> .
speciei in sua individua,	—	—	v. c. <i>hominis in Joannem, Paulum, X, Y, Z</i> .
subjecti secundum accidentia,	—	—	v. c. <i>corporis in motum, et immotum</i> .
accidentis secundum subjecta,	—	—	v. c. <i>liquidi in aquam, vinum, lac...</i>
accidentis secundum accidentia,	—	—	v. c. <i>candidi in durum, molle, liquidum</i> .

Notandum. 1° Totum actuale dividitur in partes suae comprehensionis; totum logicum in partes suae extensionis.

2° Totum actuale est proprie *totum*; — totum logicum est proprie *omne*.

3° *Totum morale*, i. e. multitudo entium rationalium quae inter se relatione aliqua connectuntur, dividitur eodem modo ac totum actuale, v. c. *exercitus in milites et ducem*; — *vel in legiones, cohortes*.

4° Partes enumeratae in dividendo, vocantur *membra divisionis*.

**Regulae bonae divisionis** (in stadio esse, non in stadio fieri):

1° Sit divisio *adaequata*, i. e. in omnes partes quibus totum constat, et eas solas, non v. c. *domus in atria, cubilia, hortum*.

2° Nulla pars sit sola toti aequalis vel eo major, non v. c. *animalis in sensitivum et rationale*.

3° Nulla pars sit pars alterius partis, non v. c. *hominis in animam, corpus, caput*.

4° Partes sint proximae et immediatae totius; et fiat, si opus fuerit, subdivisio singularum vel alicujus partium, non v. c. *globo in Asiam, Africam, Americam, Oceaniam, Italiam, Galliam, Brabantiam, Flandriam*.

5° Maneat tota divisio in eodem ordine, non opponendo et enumerando partes alias metaphysicas cum aliis physicis vel logicis, non v. c. *hominis in substantiam, vivens, animam, album*.

#### CAPUT IV.

##### DE DEFINITIONE, SECUNDO SCIENDI MODO.

Alter modus rem clare et intime cognoscendi, est ut ex variis rei notis eas in unum complexum componamus quae ejus completam notionem essentialem expriment, neglectis aliis notis non essentialibus. Ita enim et rem in seipsa cognoscemus, et fundamentum discernemus cui innitantur cetera rei attributa, seu rationem cur rei haec attributa insint. Atque haec nostra operatio dicitur *definitio* seu *synthesis*.

Est autem definitio fructus simul et scopus aliquando multi et longi studii, quo debent eae notae quaeri essentialis quae debeant enunciari, discerni ab aliis non essentialibus quae non enunciandae sint, quantumcumque ab essentialibus inseparabiles. Sed hoc bonae definitionis magnum est commodum, quod ipsa tamquam duce prae oculis perpetuo retenta, plurima facillime vitantur devia, scopuli praecaventur. Adeo id verum est, ut ille saepe cum veritate dici possit dimidium sui studii, vel suae explicationis perfecisse, qui bonam claram objecti sui definitionem confecerit vel ostenderit.

Varia potest esse bona definitio; est enim:

nominalis — — —	quae vocis determinat significationem.
etymologica — — —	per translationem in aliud idioma, v. c. <i>ἄνθρωπος est homo</i> ; vel per originem grammaticalem, v. c. <i>rex est qui populum regit</i> ; vel aliis verbis melius notis, sicut fit v. c. in dictionariis.
	per eas notas quae inter loquentem et adversarium conveniunt, v. c. <i>anima est principium quo sentio, cogito, volo</i> .
communis — — —	per eas notas quae inter loquentem et adversarium conveniunt, v. c. <i>anima est principium quo sentio, cogito, volo</i> .
realis — — —	quae non jam vocis significationem, sed rei significatae notionem determinat.
essentialis — — —	philosophica: per eas notas quae rei propriam naturam exhibent.
	physica — per partes physicas, v. c. <i>homo est compositum ex corpore organisato et anima rationali</i> .
metaphysica,	per partes metaphysicas: genus et specificam differentiam, v. c. <i>homo est animal rationale</i> .
descriptiva — — —	rhetorica: per notas, proprietates, quae varias exhibent determinationes rei, sive propria, sive accidentia rei, sive causas, sive modum oriundi, v. c. <i>ilias est opus maximi poetae, Graecis quasi sacrum, Achilles iram canens</i> .

**Regulae bonae definitionis** (in stadio esse, non in stadio fieri):

1° Sit definitio clarior quam definitum, non v. c. *gladius est res quae manibus gestatur*; — ergo a) definitum definitionem suam ne ingrediatur, v. c. *homo est qui hominis habet proprietates*; — b) nec definitio fiat terminis metaphoricis, sed propriis.

2° Definitio conveniat omni et soli definito, non v. c. *homo est animal doctum*, — vel: *bipes*.

3° Definitio non sit negativa, non v. c. *homo non est brutum*; — nisi idea rei definiendae sit ipsa negatione oppositi constans, v. c. *simplex est quod partibus non constat*.

**Ergo** 1) Non omnia debent definiri, nam de pluribus ideas habemus adeo perfectas ut non requiratur definitio clarior, v. c. *existentiae, visionis*.

2) Possibilis erit semper aliqua definitio nominalis, vel realis descriptiva; — non autem realis essentialis, v. c. *de genere supremo, de transcendentali, de specie infima cujus ignota differentia specifica, de simplici*.

3) Nomen aequivocum non est definiendum, nisi prius secundum varias suas significationes distinctum sit.

**Methodus ad definitionem inveniendam**, est:

1° *Divisiva*, seu *via descensus* a magis generali ad minus universale, donec inveniatur species de qua quaeritur; et collectio notarum illa analysi inventarum erit definitio; sic v. c. supra invenimus definitiones philosophiae et logices.

2<sup>o</sup> *Collectiva*, seu *via ascensus* a minus universalibus ad magis universale, donec, per successivam abstractionem a differentiis, inveniatur genus commune; sic v. c. quaero definitionem *justitiae*: a) colligo exempla particularia (justi dicuntur *mercatores, emptores, parentes, principes, judices...*) — b) colligo in species communes (*mercator et emptor* justi sunt quia tantum dant quantum accipiunt, et est *justitia commutativa*; — *parens, princeps, judex* justi sunt quia praemia et poenas distribuunt cum proportione ad merita, et est *justitia distributiva*). — c) colligo in genus commune, abstrahendo a differentiis (omnis justus tribuit cuique suum; ergo *justitia* definitur: *habitus suum cuique tribuendi*).

ALERE FLAMMAM VERITATIS  
CAPUT V.  
DE RATIOCINIO, TERTIO SCIENDI MODO;  
EJUSQUE SIGNO: SYLLOGISMO.

§ 1. DE NATURA ET LEGIBUS SYLLOGISMI.

Tertius modus rem aliquam bene cognoscendi, est ut ex aliis cognitis veritatibus cum illa connexis procedamus, et ad ignotam concludamus. Ita enim cognitae veritates fundamentum et causa sunt cur alia veritas acquiratur. Prima autem quaedam fundamenta omnibus hominibus communia, omnique deductioni praesupposita, veniunt nunc inspicienda.

**Formulae generales** seu leges primariae cogitandi sunt **PRINCIPIA** quaedam seu **judicia analytica** aliqua immediate evidantia:

- 1) *principium identitatis*: quod est, est.
- 2) a) » *contradictionis*: nihil potest esse simul et non esse.
- b) » *exclusi medi*: quodlibet aut est, aut non est.  
    vel: inter duo contradictoria non datur medium.
- 3) a) » *convenientiae*: quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.
- b) » *discrepantiae*: si ex duobus, unum tertio convenit, alterum non, haec duo inter se non conveniunt.
- 4) a) » *rationis sufficientis*: nihil est (aut fit) sine ratione sufficiente.
- b) » *causalitatis*: non datur effectus sine causa.
- c) » *rationis logicae*: nihil est affirmandum sine ratione sufficiente.

☞ Si igitur ex duobus judiciis comparatis, mens percipit, unum terminum prioris judicii et unum secundi judicii, esse realiter unum idemque; oritur novum judicium: alteros terminos esse etiam realiter unum idemque. — Tota haec operatio est **RATIOCINIUM**; ultimum judicium est *conclusio*; signum ratiocinii est **SYLLOGISMUS**, i. e. argumentatio tribus constans propositionibus, ita inter se connexis, ut duabus positis, tertiam ponere necesse sit, v. c. *aliquis Apostolus est Judas, atqui Judas est proditor, ergo aliquis Apostolus est proditor*. Applicatur nempe principium convenientiae.

Vocatur *consequentia* rectitudo dispositionis propositionum ad concludendum, seu necessitas nexus inter duas propositiones praemissas et *propositionem consequentem* seu *conclusionem*. Terminus autem ille qui invenitur idem esse in duobus judiciis praemissis, qui in conclusione supprimitur, vocatur *medius terminus*; qui si est singularis, nullam facit difficultatem, appellaturque totus syllogismus *expositorius*, quia veritatem omnino evidenter exponit; si vero medius terminus non est *singularis*, cavendum ne idem verbum tali significatione vel suppositione veniat, ut jam non bis unum idemque exprimatur, sintque vere quatuor termini sub specie trium. — Hinc practicae proponuntur octo **REGULAE**, quarum prima praecipua est, reliquasque complectitur:

Terminus est triplex: major mediusque minorque.  
Latius hos quam praemissae conclusio non vult.  
Nequaquam medium capiat conclusio fas est.  
Aut semel aut iterum medius generaliter esto.  
Utraque si praemissa negat, nihil inde sequetur.  
Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.  
Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.  
Pejorem sequitur semper conclusio partem.

REGULA 1<sup>a</sup>.

*Tres sunt tantum in syllogismo termini;*

Quod manifestum est ex ipsa superius explicata syllogismi natura.

Peccatur contra hanc legem: a) si termini aequivoci adhibentur; hi enim sunt aequivalenter multiplices, quum diversas ideas significant. Sic peccat qui dicit: *Leo est animal rugiens; atqui Leo est imperator graecus; ergo imperator graecus est animal rugiens*; — b) si variatur suppositio medii, v. g. in majore distributive, in minore autem collective; sic enim non fit comparatio utriusque extremi cum eadem idea. Exemplo sit: *omnes milites* (h. e. distributive sumpti) *sunt impares superando hosti; atqui omnes milites* (collective sumpti) *sunt totus exercitus; ergo totus exercitus est impar superando hosti*.

REGULA 2<sup>a</sup>.

*Nullus terminus debet universalius accipi in conclusione quam in praemissis;*

Hinc nullus terminus in conclusione distributive supponitur, nisi in praemissis distributive suppositus fuerit.

Duplex habetur ratio: a) conclusio debet contineri in praemissis; sed non continetur nisi servetur regula, nam universale non continetur in particulari; — b) si termini ampliores fiunt, mutantur, igitur jam plures tribus terminis habentur. Hinc peccat sequens: *Corpus est substantia; atqui mens non est corpus; ergo mens non est substantia*. Terminus enim substantia est universalis in conclusione negativa; in majore vero positiva est particularis.

2<sup>o</sup> *Collectiva*, seu *via ascensus* a minus universalibus ad magis universale, donec, per successivam abstractionem a differentiis, inveniatur genus commune; sic v. c. quaero definitionem *justitiae*: a) colligo exempla particularia (justi dicuntur *mercatores, emptores, parentes, principes, judices...*) — b) colligo in species communes (*mercator et emptor* justi sunt quia tantum dant quantum accipiunt, et est *justitia commutativa*; — *parens, princeps, judex* justi sunt quia praemia et poenas distribuunt cum proportione ad merita, et est *justitia distributiva*). — c) colligo in genus commune, abstrahendo a differentiis (omnis justus tribuit cuique suum; ergo *justitia* definitur: *habitus suum cuique tribuendi*).

ALERE FLAMMAM VERITATIS  
CAPUT V.  
DE RATIOCINIO, TERTIO SCIENDI MODO;  
EJUSQUE SIGNO: SYLLOGISMO.

§ 1. DE NATURA ET LEGIBUS SYLLOGISMI.

Tertius modus rem aliquam bene cognoscendi, est ut ex aliis cognitis veritatibus cum illa connexis procedamus, et ad ignotam concludamus. Ita enim cognitae veritates fundamentum et causa sunt cur alia veritas acquiratur. Prima autem quaedam fundamenta omnibus hominibus communia, omnique deductioni praesupposita, veniunt nunc inspicienda.

**Formulae generales** seu leges primariae cogitandi sunt **PRINCIPIA** quaedam seu **judicia analytica** aliqua immediate evidētia:

- 1) *principium identitatis*: quod est, est.
- 2) a) » *contradictionis*: nihil potest esse simul et non esse.
- b) » *exclusi medi*: quodlibet aut est, aut non est.  
    vel: inter duo contradictoria non datur medium.
- 3) a) » *convenientiae*: quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.
- b) » *discrepantiae*: si ex duobus, unum tertio convenit, alterum non, haec duo inter se non conveniunt.
- 4) a) » *rationis sufficientis*: nihil est (aut fit) sine ratione sufficiente.
- b) » *causalitatis*: non datur effectus sine causa.
- c) » *rationis logicae*: nihil est affirmandum sine ratione sufficiente.

☞ Si igitur ex duobus judiciis comparatis, mens percipit, unum terminum prioris judicii et unum secundi judicii, esse realiter unum idemque; oritur novum judicium: alteros terminos esse etiam realiter unum idemque. — Tota haec operatio est **RATIOCINIUM**; ultimum judicium est *conclusio*; signum ratiocinii est **SYLLOGISMUS**, i. e. argumentatio tribus constans propositionibus, ita inter se connexis, ut duabus positis, tertiam ponere necesse sit, v. c. *aliquis Apostolus est Judas, atqui Judas est proditor, ergo aliquis Apostolus est proditor*. Applicatur nempe principium convenientiae.

Vocatur *consequentia* rectitudo dispositionis propositionum ad concludendum, seu necessitas nexus inter duas propositiones praemissas et *propositionem consequentem* seu *conclusionem*. Terminus autem ille qui invenitur idem esse in duobus judiciis praemissis, qui in conclusione supprimitur, vocatur *medius terminus*; qui si est singularis, nullam facit difficultatem, appellaturque totus syllogismus *expositorius*, quia veritatem omnino evidenter exponit; si vero medius terminus non est *singularis*, cavendum ne idem verbum tali significatione vel suppositione veniat, ut jam non bis unum idemque exprimatur, sintque vere quatuor termini sub specie trium. — Hinc practicae proponuntur octo **REGULAE**, quarum prima praecipua est, reliquasque complectitur:

Terminus est triplex: major mediusque minorque.  
Latius hos quam praemissae conclusio non vult.  
Nequaquam medium capiat conclusio fas est.  
Aut semel aut iterum medius generaliter esto.  
Utraque si praemissa negat, nihil inde sequetur.  
Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.  
Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.  
Pejorem sequitur semper conclusio partem.

REGULA 1<sup>a</sup>.

*Tres sunt tantum in syllogismo termini;*

Quod manifestum est ex ipsa superius explicata syllogismi natura.

Peccatur contra hanc legem: a) si termini aequivoci adhibentur; hi enim sunt aequivalenter multiplices, quum diversas ideas significant. Sic peccat qui dicit: *Leo est animal rugiens; atqui Leo est imperator graecus; ergo imperator graecus est animal rugiens*; — b) si variatur suppositio medii, v. g. in majore distributive, in minore autem collective; sic enim non fit comparatio utriusque extremi cum eadem idea. Exemplo sit: *omnes milites* (h. e. distributive sumpti) *sunt impares superando hosti; atqui omnes milites* (collective sumpti) *sunt totus exercitus; ergo totus exercitus est impar superando hosti*.

REGULA 2<sup>a</sup>.

*Nullus terminus debet universalius accipi in conclusione quam in praemissis;*

Hinc nullus terminus in conclusione distributive supponitur, nisi in praemissis distributive suppositus fuerit.

Duplex habetur ratio: a) conclusio debet contineri in praemissis; sed non continetur nisi servetur regula, nam universale non continetur in particulari; — b) si termini ampliores fiunt, mutantur, igitur jam plures tribus terminis habentur. Hinc peccat sequens: *Corpus est substantia; atqui mens non est corpus; ergo mens non est substantia*. Terminus enim substantia est universalis in conclusione negativa; in majore vero positiva est particularis.

REGULA 3<sup>a</sup>.

*Medius terminus nunquam debet inveniri in conclusione;*

Quod patet ex notione syllogismi. Hinc peccat: *Petrus est parvus; atqui Petrus est philosophus; ergo Petrus est parvus philosophus.*

REGULA 4<sup>a</sup>.

*Medius terminus saltem semel in alterutra praemissa sumi debet universaliter seu distributive, imo distributione completa;*

Secus enim bis sumitur particulariter seu pro aliqua parte extensionis; hinc utrumque extremum comparatur cum aliqua parte extensionis medii, non vero, quantum est ex forma syllogistica, cum eadem parte; consequenter haberentur quatuor termini, duo extrema et medius qui esset alius in majore, alius in minore. — Hinc peccat: a) *Homo est animal; atqui equus est animal; ergo equus est homo.* In utraque praemissa positiva animal supponit particulariter unde sensus majoris est: *homo est aliquod animal, seu aliqua species animalis*; sensus minoris est: *equus est aliqua species animalis*. b) *Omne animal fuit in arca Noe; atqui Petrus est animal; ergo Petrus fuit in arca Noe.* Terminus enim animal in majore distribuit incomplete.

REGULA 5<sup>a</sup>.

*Ex duabus praemissis negantibus nihil concludi potest;*

Nam talibus praemissis utrumque extremum dicitur medio non convenire; sed hoc integrum relinquit utrum extrema inter se conveniant, necne. Hinc peccat: *Homo non est lapis; atqui marmor non est homo; ergo marmor non est lapis.* — Observa tamen fieri posse ut negatio non totam propositionem afficiat, sed aliquam subjecti vel praedicati partem vel imo unicum vocem; tunc manet propositio affirmans, v. c. *homo qui non dormit potest currere; atqui Petrus non dormit, (seu: est homo qui non dormit); ergo Petrus potest currere.*

REGULA 6<sup>a</sup>.

*Si utraque praemissa est affirmans, conclusio debet affirmare;*

Nam quae conveniunt uni tertio, conveniunt inter se; utrumque autem extremum pronuntiatur convenire medio.

REGULA 7<sup>a</sup>.

*Nihil legitime concludi potest ex duabus praemissis particularibus;*

Etenim 1<sup>o</sup> si omnes praemissae affirmant, omnes termini sunt particulares; subjecta enim sunt particularia eo quod propositiones sunt particulares; praedicata sunt particularia eo quod propositiones supponuntur affirmantes. Ergo medius bis sumitur particulariter, contra reg. 4<sup>am</sup>.

2<sup>o</sup> Si una est affirmans, altera negans, conclusio debet esse negans, vi principii discrepantiae, quod patet ex ipsa natura syllogismi; — sed tunc invenies aut medium terminum bis particularem (contra reg. 4<sup>am</sup>), aut praedicatum conclusionis latius patens quam in praemissa (contra reg. 2<sup>am</sup>).

3<sup>o</sup> Si ambae negant, nihil legitime concludi patet ex reg. 5<sup>a</sup>.

REGULA 8<sup>a</sup>.

*Conclusio semper sequitur partem debiliorem; h. e.:*

1) *negativa est si una praemissa est negativa;*

2) *particularis est si una praemissa est particularis.*

In priore casu, unum extremum convenit cum medio, alterum non convenit; principium igitur discrepantiae requirit ut extrema inter se non conveniant, seu ut conclusio sit negativa. In altero casu, si conclusio esset universalis, aliquis terminus sumeretur latius in conclusione quam in praemissis, contra reg. 2<sup>am</sup>.

## § 2. DE FIGURIS SYLLOGISMI.

Si tres syllogismi terminos per totidem litteras repraesentemus, sit S = subjectum conclusionis, P = praedicatum conclusionis, M = medius terminus. Jam quatuor variae occurrunt terminorum dispositiones ad concludendum aptae, quae vocantur syllogismi *figurae*, scilicet

I		II		III		IV	
M.	P.	P.	M.	M.	P.	P.	M.
S.	M.	S.	M.	M.	S.	M.	S.
S.	P.	P.	P.	S.	P.	S.	P.

in quibus statim observabis: 1<sup>o</sup> Semper in priore praemissa contineri praedicatum conclusionis, seu extremum majus, unde haec praemissa dicitur *major*; in posteriore praemissa contineri subjectum conclusionis, seu extremum minus, unde haec praemissa dicitur *minor*. Neque mutatum iri figuram syllogismi patet, etiam si is *inverteretur*, i. e. si loco inter se commutarentur

duae praemissae; v. c. primae figurae syllogismus inversus  $\left\{ \begin{array}{l} S. M. \\ M. P. \\ S. P. \end{array} \right\}$ , est

tamen ejusdem primae figurae, non quartae!

2<sup>o</sup> Usu quotidiano saepe faciliorem esse syllogismum inversum; unde fit ut generatim proferantur syllogismi indifferenter nunc recti nunc inversi, et nuncupentur indifferenter major quae prius, minor quae posterius enunciatur praemissa, etiam in syllogismo inverso.

3<sup>o</sup> *Primam figuram* valere ad conclusiones *qualescumque*, universales vel particulares, affirmativas vel negativas; — sed debet esse major universalis, et minor affirmativa.



4<sup>o</sup> *Secundam figuram* valere solum ad conclusiones *negativas*; — debet esse major universalis, et alterutra praemissa negans.

5<sup>o</sup> *Tertiam figuram* valere solum ad conclusiones *particulares*; — debet esse minor affirmativa.

6<sup>o</sup> *Quartam figuram* valere ad conclusiones *quascumque non affirmativas universales*; — sed difficilis et contorta est haec figura, unde fere nullius usus; — si major affirmat, minor sit universalis; si minor affirmat, conclusio sit particularis; si conclusio negat, sit major universalis.

7<sup>o</sup> Ad aliquas formulas generales reduci posse omnes singularum figurarum syllogismos, quae vocantur *principia reductiva* syllogismi. Sicut enim in algebra omnia quadrata reduci possunt ad principium reductivum generale seu formulam  $(a \pm b)^2 = a^2 + b^2 \pm 2ab$ ; ita formulae generales syllogismi sunt:

in 1<sup>a</sup> figura: *dictum de omni, dicitur de singulis*; i. e. praedicatum quod distributive de omnibus in aliquo genere dicitur, singulis etiam inferioribus in hoc genere convenit.

in 2<sup>a</sup> figura: *exclusio unius a genere alterius, est negatio identitatis eorum*; i. e. si una res minime pertinet ad genus sub quo est altera res, hae duae res inter se differunt.

in 3<sup>a</sup> figura: *identitas unius cum parte alterius generis, est partialis identitas eorum*; i. e. si qua inferiora unius generis simul pertinent ad alterum genus, haec duo genera habent aliqua inferiora sibi communia.

### § 3. DE SYLLOGISMI MODIS.

Non indifferenter qualescumque propositiones possunt in syllogismo usu venire, sed ut servantur generales regulae consequentiae, variae in variis figuris propositionum combinationes utiles sunt, quae vocantur *syllogismorum modi*.

Sunt igitur modi singularum figurarum validi:

I	II	III	IV
M a e a e P	P e a e a M	M a e i a o e P	P a a i e e M
S a a i i M	S a e i o M	M a a a i a i S	M e a a a i S
S a e i o P	S e e o o P	S i o i i o o P	S e i i i o o P
barbara celarent darri ferio	cesare camestres festino baroco	darapti felapton disamis bocardo ferison	camestres bamalip dimatis fesapo fresiso

Solent hi modi versibus memoria teneri:

*Barbara, celarent, darri, ferio*; — *bamalip, Camentes, dimatis, fesapo, fresisomorum*; — *Cesare, camestres, festino, baroco*; — *darapti, Felapton, disamis, datisi, bocardo, ferison*.

In his vocibus fere singulae litterae suam habent significationem; scilicet:

1) Vocales a, e, i, o, indicant quantitatem et qualitatem propositionum secundum notationem superius usitatam in tabellis de oppositione propositionum.

2) Si quaeras modum quo possit exprimi in prima figura, clariore et faciliore, id quod in aliqua alia figura exprimitur, respondent consonantes:

Litterae b, c, d, f, initio vocis, dicunt verti posse in syllogismum 1<sup>ae</sup> figurae qui eadem consonante incipit.

Littera s, dicit propositionem notatam vocali praecedente convertendam esse simpliciter, i. e. servata sua quantitate.

Littera p, dicit propositionem praecedentem esse convertendam per accidens, i. e. mutata sua quantitate.

Littera m, ubicumque sit, dicit commutandas esse loco inter se duas praemissas.

Littera c, ubicumque sit in medio vocis, dicit verti syllogismum in 1<sup>am</sup> figuram non posse nisi ad probandum ex absurdis; si nempe ponas praemissam o in conclusione, et ejus loco conclusionem o negatam, habebis *barbara* ostendens absurditatem negationis.

3) Pro *camentes, bamalip, dimatis, fesapo, fresiso*, scribunt alii: *celantes, baralip, dabit, fapesmo, frisesom*; ast ita non quarta figura notatur, sed prima inversa!

4) Quae mox dicta sunt de *figuris* et de *modis* syllogismorum, subtilia et vera sunt, sed practice vix unquam utilia. Quapropter in illis longius explicandis non morabimur.

### § 4. DE ALIIS ARGUMENTATIONIBUS.

I. De simplici syllogismo actum est. Jam si quaeras DE SYLLOGISMO COMPLEXO, i. e. constante ex propositionibus complexis et compositis, haec tria generalia notasse sufficiat.

1<sup>o</sup> *Regula est*: quantumvis sint complexae vel compositae propositiones, resolvantur in simplices aequipollentes; termini sic inventi sint realiter tres tantum quoad significationem et suppositionem.

2<sup>o</sup> Videtur difficultas aliqua major ubi sunt *propositiones correlativae* compositae in una praemissa; — sed: teneatur haec praemissa pro universali, et ita enuntietur per aequipollentem, v. e. *ubi thesaurus tuus, ibi est cor tuum* = locus ubi... est locus ubi...; — *mundus aut est a se aut ab alio* = casus quo m. non sit a se, est casus quo sit ab alio; — *si Caesar loquitur, vivit* =

omne momentum quo C. loquatur, est momentum quo vivat; — *solus Deus est aeternus* == Deus est aeternus, et alia non sunt aeterna.

3° Speciatim pro conditionalibus, sunt figurae :

validae		invalidae	
si est A, erit B est A	si est A, erit B non est B	si est A, erit B non est A	si est A, erit B est B
erit B.	non est A.	non est B.	est A.

4° Saepe etiam fit ut vix aliud facile sit medium dignoscendi valorem syllogismi, praeter reductionem ad figurae suae principium reductivum.

II. Praeter syllogismum sunt et ALIA RATIOCINII SIGNA seu argumentationes, quas tamen per comparationem ad syllogismum reducendo facilius explicabimus. Breviter igitur.

1° *Enthymema* est syllogismus cujus reticetur alterutra praemissa, sive quia nimis evidens, sive quia modo concessa ab adversario.

2° *Epichere*ma est syllogismus cui innectitur probatio unius vel etiam utriusque praemissae.

3° *Prosylogismus*, vel *polysyllogismus* est argumentatio qua syllogismi unius conclusio statim assumitur ut major syllogismi alterius.

4° *Sorites* est gradatio propositionum, quarum primae praedicatum fit subiectum secundae, et porro, usque ad conclusionem quae constat subiecto primae et praedicato ultimae.

*Sorites* est polysyllogismus cujus successivae omnes reticentur minores.

— Ut recte concludat : a) nulla praemissa sit negans, nisi forte ultima, — b) nulla sit particularis, nisi forte prima, — c) conclusio sequatur partem pejorem.

5° *Dilemma* est argumentatio qua ex propositionis disjunctivae quoque membro arguitur, et concluditur per propositionem generalem. — Ut recte concludat : a) divisio disjunctiva sit adaequata, — b) inferatur ex singulis membris conclusio secundum regulas ordinarias syllogismi, — c) non possit retorqueri, i. e. ex eisdem membris inferri conclusio contraria. — *Dilemma* est complexus syllogismorum, quorum unus generalis, alii particulares probantes singula minoris membra primi syllogismi.

6° *Inductio* est argumentatio qua ex particularibus factis enumeratis generalem regulam derivamus. — Facta nos docet experientia.

### § 5. DE FALLACIIS.

Restat ut aliquid etiam DE FALLACIIS IN ARGUMENTANDO innuamus.

*Argumentum fallax* seu *sophisma* pluribus modis haberi potest (si speciatim

fallacia habetur ex vitio formae syllogisticae, vocatur *paralogismus*); sunt v. c.

1° *Ignoratio elenchi*, i. e. practice ignorare quaestionem propositam, eam negligere, et aliud quod probandum non erat, probare (saepe facilis victoria!)

2° *Mendacii impudentia* in affirmandis factis vel principiis gratuitis.

3° *Petito principii*, i. e. praesupponere cui innitatur argumentum, id ipsum quod est probandum, v. c. *Deus quando coepit existere, nondum antea fuerat, e. non aeternus.*

4° *Circulus vitiosus*, i. e. probare unum per alterum et hoc alterum per primum.

5° *Fallacia testimonii*, i. e. in probationem afferre testimonium a re probanda alienum.

6° *Fallacia inductionis*, i. e. enumeratis paucis particularibus, temere concludere idem de omnibus (ab uno disce omnes!)

7° *Fallacia accidentis*, i. e. quod alicui per accidens convenit, concludere hoc ipsi semper essentialiter convenire.

8° *Sensus compositus*, i. e. quae praedicata successive uni subiecto conveniunt, haec ei simul tribuere. — Vel *sensus divisus*, i. e. quae simul... convenire non possunt, concludere haec etiam successive... non posse.

9° *Non causa pro causa*, i. e. post hoc ergo propter hoc!

10° *A dicto secundum quid ad dictum simpliciter*, i. e. quod praedicatur aliquo sensu particulari, hoc praedicare omni sensu sine restrictione.

11° *De genere ad genus*, i. e. quod in aliquo ordine est verum, hoc concludere de alio ordine...

12° *Verborum ambiguitas* : homonymia, metaphora, homophonia....

## APPENDIX.

### REGULAE DISPUTATIONIS ORALIS.

1° *Ordo disputandi* : *objiciens* eligit thesim impugnandam; ponit ejus contradictoriam (aliquando contrariam); et enthymemate concludit contra thesim.

*Defendens* repetit enthymema propositum; — exponit suam thesim, et probat; — repetit enthymematis antecedens, et negat.

*Objiciens* probat antecedens syllogismo.

*Defendens* repetit argumentum; — si illud non est in forma, negat consequentiam; — si est in forma: repetit singulas propositiones, et negat, vel concedit, vel transmittit, vel distinguit; vel suppositum negat; — si opus est subdistinguit.

*Objiciens*, si quid negatur, probat syllogismo id quod negatum fuit; — si distinguitur, iustaurat argumentum, sive impugnando distinctionem, sive subsumendo et probando partem negatam majoris vel minoris, sive arguendo ex parte concessa.

2° **Regulae obijcientis.** 1) Licita sunt omnia argumenta, sed praestat syllogismus simplex et brevis; — abstinendum ab epichieremate.

2) Si negatur disjunctiva, potest petere membrum omissum.

3) Si negatur universalis synthetica, potest petere instantiam, i. e. exemplum exceptionis.

4) Si quam distinctionem non intelligit, potest petere explicationem.

3° **Regulae defendentis.** 1) Distinctio sit clara, brevis, terminis technicis.

2) Solum consequens negare non licet, si fuerint concessae praemissae.

3) Responsionem sponte non explicat, sed ea data tacet et audit obijcientem.

4) Rogatus, distinctionem breviter explicat, sed nunquam negationem suam probat.

5) Potest, si quid non intelligit, petere explicationem.

6) Potest, sed raro hoc fiat, retorquere argumentum.

7) Ubi obijciens instaurat argumentum, defendens negat minorem subsumptam, et ad hujus probationem iterum procedit tota disputatio sicut ad argumentum praecedens.

*Notandum.* 1) Distinguere est ostendere aequivocationem qua duplex terminus sub eadem dictione celatur, unde revera quatuor termini, apparenter tres tantum in syllogismo sunt. Ergo: a) si distinguitur in praemissa *terminus extremus*, idem terminus erit in consequente pariter distinguendus; — b) si distinguitur *medius terminus* in majore, idem terminus erit in minore contradistinguendus, et negandum consequens.

2) Subdistinguere est post datam distinctionem unius termini in syllogismo, addere distinctionem alius termini ejusdem syllogismi. Ergo a) subdistinguendus non est *idem terminus* syllogismi, sed unica distinctione simplici omnia colligantur; — b) vitari possunt et debent longae *scalae subdistinctionum*, quae et claritatem non afferunt, et disputationis processum impediunt, et ordinario extra quaestionem propositam vagantur.

## PARS SECUNDA.

### LOGICA OBJECTIVA.

Notum est ex ante dictis, objectum hujus logices partis esse veritatem nostrarum cognitionum. Post discussas igitur examinatasque mentis nostrae operationes in seipsis et quoad nos inspectas, quod opus fuit subjectivae logices, jam discutiendae manent eaedem mentis operationes, relate ad objecta sua inspiciendae; veritatis nimirum ac certitudinis media exploranda, quatenam sint, quibus cautionibus adhibenda, quam utilia ad finem. Sit ergo:

Caput 1. De natura veri et falsi.

Caput 2. De statibus mentis nostrae relate ad verum.

Caput 3. De statu mentis nostrae relate ad falsum.

Caput 4. De statu ignorantiae humanae, seu de limitibus rationis.

#### CAPUT I.

##### DE NATURA VERI ET FALSI.

Distincte dicemus de veri, postea de falsi natura, deinde de utriusque variis gradationibus. Sint ergo:

Quaestio 1. De vero.

Quaestio 2. De falso.

Quaestio 3. De gradibus veri et falsi.

#### QUAESTIO 1.

##### De vero.

##### Propositio 1.

**Verum in genere describi potest: adaequatio rei et intellectus.**

**Notiones.** 1) *Verum in genere*: non tantum verum logicum, sed omne verum. — *Describi*: non stricte definiri, nam est notio nimis simplex et clara.

2) *Adaequatio* seu conformitas haec intelligenda est de conformitate in repraesentando vel cognoscendo, non in essendo; i. e. requiritur ut objectum repraesentetur quale est, non autem requiritur ut ipsa haec repraesentatio seu cognitio sit aliqua res quale objectum est.

3) Neque adaequatio est intelligenda talis ut repraesententur omnes notae quae sunt in objecto (ita omnis idea vera esset idea comprehensiva); sed requiritur et sufficit ut notae quae repraesentantur in intellectu, sint revera in objecto.

2° **Regulae obijcientis.** 1) Licita sunt omnia argumenta, sed praestat syllogismus simplex et brevis; — abstinendum ab epichieremate.

2) Si negatur disjunctiva, potest petere membrum omissum.

3) Si negatur universalis synthetica, potest petere instantiam, i. e. exemplum exceptionis.

4) Si quam distinctionem non intelligit, potest petere explicationem.

3° **Regulae defendentis.** 1) Distinctio sit clara, brevis, terminis technicis.

2) Solum consequens negare non licet, si fuerint concessae praemissae.

3) Responsionem sponte non explicat, sed ea data tacet et audit obijcientem.

4) Rogatus, distinctionem breviter explicat, sed nunquam negationem suam probat.

5) Potest, si quid non intelligit, petere explicationem.

6) Potest, sed raro hoc fiat, retorquere argumentum.

7) Ubi obijciens instaurat argumentum, defendens negat minorem subsumptam, et ad hujus probationem iterum procedit tota disputatio sicut ad argumentum praecedens.

*Notandum.* 1) Distinguere est ostendere aequivocationem qua duplex terminus sub eadem dictione celatur, unde revera quatuor termini, apparenter tres tantum in syllogismo sunt. Ergo: a) si distinguitur in praemissa *terminus extremus*, idem terminus erit in consequente pariter distinguendus; — b) si distinguitur *medius terminus* in majore, idem terminus erit in minore contradistinguendus, et negandum consequens.

2) Subdistinguere est post datam distinctionem unius termini in syllogismo, addere distinctionem alius termini ejusdem syllogismi. Ergo a) subdistinguendus non est *idem terminus* syllogismi, sed unica distinctione simplici omnia colligantur; — b) vitari possunt et debent longae *scalae subdistinctionum*, quae et claritatem non afferunt, et disputationis processum impediunt, et ordinario extra quaestionem propositam vagantur.

## PARS SECUNDA.

### LOGICA OBJECTIVA.

Notum est ex ante dictis, objectum hujus logices partis esse veritatem nostrarum cognitionum. Post discussas igitur examinatasque mentis nostrae operationes in seipsis et quoad nos inspectas, quod opus fuit subjectivae logices, jam discutiendae manent eadem mentis operationes, relate ad objecta sua inspiciendae; veritatis nimirum ac certitudinis media exploranda, quatenam sint, quibus cautionibus adhibenda, quam utilia ad finem. Sit ergo:

Caput 1. De natura veri et falsi.

Caput 2. De statibus mentis nostrae relate ad verum.

Caput 3. De statu mentis nostrae relate ad falsum.

Caput 4. De statu ignorantiae humanae, seu de limitibus rationis.

#### CAPUT I.

##### DE NATURA VERI ET FALSI.

Distincte dicemus de veri, postea de falsi natura, deinde de utriusque variis gradationibus. Sint ergo:

Quaestio 1. De vero.

Quaestio 2. De falso.

Quaestio 3. De gradibus veri et falsi.

#### QUAESTIO 1.

##### De vero.

##### Propositio 1.

**Verum in genere describi potest: adaequatio rei et intellectus.**

**Notiones.** 1) *Verum in genere*: non tantum verum logicum, sed omne verum. — *Describi*: non stricte definiri, nam est notio nimis simplex et clara.

2) *Adaequatio* seu conformitas haec intelligenda est de conformitate in repraesentando vel cognoscendo, non in essendo; i. e. requiritur ut objectum repraesentetur quale est, non autem requiritur ut ipsa haec repraesentatio seu cognitio sit aliqua res quale objectum est.

3) Neque adaequatio est intelligenda talis ut repraesententur omnes notae quae sunt in objecto (ita omnis idea vera esset idea comprehensiva); sed requiritur et sufficit ut notae quae repraesentantur in intellectu, sint revera in objecto.

4) Objectum cognitionis verae non necessario est res existens in se; potest esse res mere intelligibilis.

**Prob. 1<sup>o</sup>** Recta definitio obtinetur vel via ascensus, vel via descensus (cfr. supr.); *a.* via ascensus invenitur definitio proposita; *e.*

*Prob. min.* Verum tripliciter dicitur: *a)* verae res, v. c. *aurum, amicus*; *b)* vera cognitio, v. c. *idea, iudicium*; *c)* verus sermo, v. c. *non mentientis*; *a.* in triplici hoc casu verum notat conformitatem seu adaequationem rei et intellectus; *e.*

*ad min. a).* Veritas rei (ontologica seu metaphysica) est ipsa rei realitas, quatenus est conformis ideae.

*ad b).* Veritas cognitionis (logica) est cognitio ipsa, quatenus conformis est rei quae est ejus objectum.

*ad c).* Veritas sermonis (moralis) est ipse sermo quatenus conformis est menti loquentis; sermo ipse est res aliqua, signum, quod in significando est conforme intellectui.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Bona est definitio quae dotibus gaudet bonae definitionis; *a.* definitio proposita...; *e.*

*Ad min. a)* Est in se clarior re definita; nam ideam veri exponit per alias simplices notiores.

*b)* Convenit omni et soli vero; — *c)* non est negativa.

**Scholion 1<sup>m</sup>** In veritate ontologica, res ut mensurata est adaequata intellectui ut mensurae; — in veritate logica, cognitio ut mensurata est adaequata rei ut mensurae; — in veritate morali, sermo ut mensuratus est adaequatus menti loquentis ut mensurae.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Quum sit relatio quaedam inter sensus et res, dici potest in sensibus esse similitudinem aliquam veritatis, seu verum analogice dictum, non univoce; nam sensatio est potius effectus rei in organismum, cum re- actione quidem organismi vitali, magis tamen passiva affectio, et tota mate- rialis (cfr. organ.)

### Propositio 2.

Veritas competere potest tum simplici apprehensioni, tum iudicio.

**Notiones.** Veritas ita definita ut supra, generice scilicet, adaequatio... competere potest, non debet, seu necessario competit.

*Simplici apprehensioni*, scilicet intellectuali; nam mere sensilis analogice solum vera dicitur; verax potius dicenda... (cfr. infra).

**Status quaest.** Adversarii hic non sunt sceptici, sed Cajetanus, Durandus, Vasquez... negantes veritatem competere simplici apprehensioni, quia sit solum adaequatio repraesentationis. — Ceterum propositio potius dogmatica est quam polemica.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*simplici apprehensioni*). Simplex apprehensio est mera intellectualis repraesentatio rei; *a.* talis repraesentatio potest esse conformis rei, seu esse vera; *e.*

*Prob. min. 1)* Sicut omnis imago potest esse conformis rei, ita et haec....

2) Fieri potest ut res habeat eas notas quae sunt in intellectuali repraesentatione; *a.* tunc erit repraesentatio conformis rei; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*iudicio*). Iudicium est perceptio, repraesentatio, identitatis vel diversitatis inter duas ideas objectivas; *a.* fieri potest ut res quae repraesentantur ut objective identicae vel diversae, sint in rerum natura tales; *e.* iudicium erit conforme objecto suo.

### Propositio 3.

Veritas speciali modo inest iudicio, ita ut tum solum veritatis proprie dictae nomine designetur, i. e. veritatis perfectae.

**Prob.** Usu communi desumendus est sensus et conceptus nominis veritatis; *a.* usu communi, tunc, et tunc solum censetur quis proprie verum cognoscere, quum ita cognoscit ut iudicium ferat; *e.*

*Prob. min. 1)* Usu communi dicitur verum proferre, qui propositionem profert, non qui vocabulum tantum; *a.* propositio est signum iudicii, vocabulum est signum ideae tantum; *e.*

2) Omnes fere philosophi veritatem proprie dictam unice iudicio seu propositioni tribuunt.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Quum mens ideam habet, cogitat; *a.* in cogitatione est veritas proprie dicta; *e.* — *R. d. maj.* cogitat inchoative et imperfecte, *c*; perfecte, *n*; — *c. d. min.* in cogitatione perfecta, *c*; imperfecta et inchoativa, *n*.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Multae ideae, usu communi, dicuntur verae; *e.* — *R. d. ant.* veritate inchoativa, imperfecta, *c*; perfecta, *n*. — vel *aliter d. ant.* ideae proprie dictae, *n*; ideae improprie, pro iudiciis, principiis, vel ita enuntiatae ut jam affirmantur de rebus, iudicio implicito, *tr*.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo veritas logica proprie et perfecte dicta, est adaequatio intellectus iudicantis (=componentis et dividensis) cum suo objecto.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo adaequatio illa quam habere potest simplex apprehensio, dici potest *veritas repraesentationis, seu inchoativa*; et sic vitabitur lis de verbo inter Durand., Cajet., Vasq., — et Fonsec., Suar., Conimbr.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ergo ab hac veritate inchoativa distinguenda et operatio fere semper in mente sequens, quae est iudicativa, habetque veritatem proprie dictam.

### Propositio 4.

Major haec perfectio veritatis in iudicio quam in idea, in eo consistit quod in iudicio veritas est in intellectu tamquam cognitum in cognoscente.

**Stat. quaest.** 1) Vidimus jam *a)* ideae competere veritatem aliquam, *b)* iudicio soli competere veritatem propriam. — Nunc quaerimus, qua in re consistat differentia quae perfectionem illam dat.

2) Dicunt aliqui: est in idea repraesentatio sola rei, in iudicio autem per-

ceptio et affirmatio identitatis vel diversitatis. — Sed R. Hoc ostendit esse aliam veritatis rationem perfectiorem, *c*; ostendit quae sit major haec perfectio, *n*.

3) Dicunt alii : in iudicio mens perceptionem suam refert ad ordinem objectivum; unde dicendo explicite *v. c*: toto minor est pars, dico implicite: et hoc ita est in ordine objectivo. — Sed R. Hoc ostendit esse differentiam et majorem perfectionem, *c*; ostendit in quo consistat haec major perfectio, *n*.

4) Dicimus (cum S. Thom. Suar. Cajet...): quia intellectui iudicanti veritas inest ut cognitum in cognoscente, reduplicative; i. e. a) intellectus non jam aliquomodo se passive habet ut in idea, sed plena activitate sua, se facit conformem rei objectivae, — et b) huius suae conformitatis sibi conscius ita est ut eam implicite saltem cognoscat.

5) Explicite cognoscere aliquid, est huius rei cognitionem hic et nunc apertam habere; implicite cognoscere, est aliud quidem hic et nunc cogitare, ita tamen ut in illa alia cognitione omnia elementa adsint, quibus haec de qua agitur prior cognitio constituatur.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (plena activitate propria).** In omni iudicio habetur activitas propria intellectus comparantis duos terminos, et percipientis identitatem eorum; *a*. haec propria activitas sola sufficit ut intellectus fiat similis rei; *e*. ex sua activitate propria plene conformis fit intellectus rei objectivae.

*Ad maj.* Cfr. definitio et praesupposita iudicii.

*Ad min.* Hae propria activitate fit quidquid in iudicio invenitur, nec quidquam habetur activitatis rei in mentem; *e*.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (consciis implicite cognoscit).** In omni iudicio cognoscitur identitas inter subjectum et attributum; *a*. subjectum exhibet rem objective, praedicatum vero notam intellectu conceptam et subjecto conformem, applicandam; *e*. intellectus saltem implicite cognoscit suum conceptum esse conformem rei objectivae.

**Objic. 1<sup>o</sup>** In omni iudicio habetur copula « est »; *a*. copula « est » implicite significat : « est verum »; *e*. in omni iudicio habetur affirmatio ordinis objectivi, quae sufficit ad explicandam perfectionem iudicii prae idea. — R. *c. maj.* — *d. min.* significat implicite, et consciis; *n. donec prob*; implicite sed inconscie, *c*. — *d. cons.* 1) habetur affirmatio implicita et conscia, *n. donec prob*; inconscia, *e*; 2) et haec sufficit, *n*.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Ex thesi sequeretur nullum dari iudicium nisi reflexum. — **Prob.** Iudicium reflexum est quod de ipso iudicio priore formatur; *a*. secundum thesim in omni iudicio mens iudicat suam in iudicando conformitatem; *e*. — R. *n. ant.* — *ad prob*: *c. maj.* — *n. min.* vel *d. min.* proprie iudicat reflexe, *n*; improprie, analogice, i. e. conscia est in iudicando, *c*.

## QUAESTIO 2.

## De falso.

## Propositio 5.

**Falsitas positiva competere non potest per se simplici apprehensioni.**

**Notiones.** 1) *Falsitas* in genere est difformitas mentis et rei.

*Falsitas logica* est difformitas intellectus ab objecto.

2) *Falsitas* potest esse a) *negativa*, scilicet cum intellectus vel nihil percipit de re, vel non id omne quod inest; nam quoad id quod non percipit, non est toti rei conformis, et differt per negationem ulterioris conformitatis; — vel b) *positiva*, scilicet cum intellectus alias notas percipit quam quae insunt rei, sive eas addat, sive substituat notis objectivis; et differt per positionem notarum alienarum a re.

3) *Falsitate negativa* caret sola cognitio comprehensiva (divina): patet. — Sed quaerimus de positiva.

4) *Per se*: i. e. sine influxu cujuscumque iudicii impliciti, sive antecedentis, sive concomitantis.

**Stat. quaest.** Quatenus agitur de idea simplici (ratione objecti) nemo negat; sed plures negant de idea composita.

**Prob. 1<sup>o</sup>** Mens percipiens, aut apprehendit rei similitudinem, aut non; *a*. si primum, idea est rei conformis et vera; — si secundum, non haec res percipitur, sed aliud objectum, cui ut objecto suo conformis est idea; *e*.

*Ad min. 2 part.* Potuit haec res esse occasio qua percipit mens aliud, at ipsa non percipitur sed ignoratur.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Objectum proprium ideae est res ad quam refertur vi repraesentationis; *a*. vi repraesentationis idea refertur solum ad id quod et quatenus repraesentatur (seu: id cui et quatenus est conformis); *e*.

*Ad maj.* Refertur potest ad rem imago, aut vi repraesentationis (i. e. quia similis ei est), aut vi iudicii (i. e. quia tribuitur per iudicium haec relatio, sicut fit de statuis sanctorum...); — *a*. in mera idea non potest praesupponi iudicium; *e*.

*Ad min.* Imago, in quantum est imago, seu vi repraesentationis, non exhibet naturam suam nisi id cui est similis, etiamsi alia res ignota fuerit occasio huius imaginis.

**Scholion.** Quaeritur an et quomodo possint ideae esse improprie falsae. — R. *Possunt*: 1) *abusive*, si ideae sumuntur pro iudiciis, — 2) *occasionaliter*, si praebent occasionem falso iudicio, — 3) *praesuppositive*, si iudicio implicito vel praesupposito tribuitur rei conceptus non suus.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Multae ideae dicuntur communiter falsae; *e*. — R. *d. ant.* dicuntur improprie, *c*; proprie, *n*.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Idea falsa erit quae repraesentat objectum aliter ac est; *a*. tales

multae sunt ideae; *e.* — R. *d. maj.* objectum formale, *c;* materiale, *n;* — *c. d. min.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Mens nostra potest notas componere contradictorias in unam ideam factitiam; *a.* haec idea contradictoria est falsa; *e.* — R. *d. maj.* si ipsas notas non bene intelligat, ita ut jam de facto sint aliae sociabiles, *c;* si intelligat ut insociabiles, *n.* — *c. d. min.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** Saepe dicitur: circulus quadratus, angelus aureus, ... imo potest dici: currens immobilis...; *a.* talia sunt contradictoria dicenti cognita; *e.* — R. *d. maj.* dicitur copulando vocabula contra mentem; vel mutando significationem, ita ut jam sint notae mentales sociabiles, *c;* dicitur et cogitur identitas talium conceptuum, *n.* — *tr. min.*

### Propositio 6.

Falsitas positiva competere potest iudicio; at non ex natura rei, sed per accidens tantum.

**Notiones.** *Ex natura rei*, i. e. vi naturae hujus actus, seu: si fiat analysis omnium quae ad essentiam iudicii pertinent, nullum invenietur elementum quod falsitatem inferat. — *Per accidens*, i. e. propter aliam causam quae praeter naturam iudicii accedat.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*competere potest*). Objectum proprium iudicii est res per subjectum repraesentata, qualis est in ordine objectivo; *a.* ab hac re potest esse positive difforme praedicatum iudicii; *e.*

**Prob. maj.** Teste experientia, cum iudicamus, non identificamus praedicatum objecto solum quatenus percipitur, sed objecto quale est, ad quod referimus ideam subjecti; *a.* id quocum identificamus praedicatum est objectum proprium iudicii; *e.*

**Prob. min.** Teste experientia, intellectus aliquando percipit, ut subjecto objectivo identicum, praedicatum objective difforme; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*non ex natura rei*). Ex natura rei, mens iudicans, solum percipit identitatem duarum idearum, et refert ideam subjecti ad rem quam haec idea repraesentat; *a.* in iudicio falso mens refert ideam subjecti ad rem quam haec idea non repraesentat, sed quae fuit forsitan occasio ejus; *e.* non ex natura rei, sed per accidens, i. e. per aliquid ei aliunde accedens...

**Objic. 1<sup>o</sup>** Mens refert *natura sua* ideam ad objectum occurrens, cujus occasione idea exurgit; *e.* ubi erit falsitas, erit ex natura rei. — R. *d. ant.* refert... ita ut, si attendit, possit distinguere conformitatem vel difformitatem objecti formalis cum objecto materiali, *c;* instinctu caeco quo distinguere non possit... *n.*

**Inst.** Ita requiritur iudicium aliud quo corrigatur falsitas prioris iudicii. — R. *d.* requiritur iudicium explicitum novum, *n;* implicitum, *c.* (et hoc probat in iudicio falso esse falsitatem per accidens, quod per rectam operationem tollitur).

**Objic. 2<sup>o</sup>** Ut dici posset falsitas proprie dicta inesse iudicio, deberet intellectus sibi conscius esse suae difformitatis a re, sicut in iudicio vero sibi conscius est suae conformitatis cum re; *a.* haec conscientia non adest; *e.* — R. *n. maj;* — *n. par.* (falsum non apparet sub specie falsi, sed sub specie veri, seu conformitatis...)

**Objic. 3<sup>o</sup>** Iudicii elementa sunt apprehensiones, imo ipsum iudicium est aliqua apprehensio (identitatis...); *a.* apprehensio falsa esse nequit; *e.* — R. *d. maj.* apprehensiones cum relatione ad ordinem objectivum, *c;* secus, *n.* — *c. d. min.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** Eo perfectior est veritas quo est securior a falsitate; *a.* (ex hac et praecedenti propos.) in simplici apprehensione est securior quam in iudicio; *e.* erit perfectior in simplici apprehensione quam in iudicio (contra propos. 3<sup>m</sup>). — R. *d. maj.* eo perfectior... quo in eodem genere est securior... *c;* eo perfectior in uno genere, quo in alio genere securior, *n.* — *c. d. min.*

**Objic. 5<sup>o</sup>** Intellectus nequit agere contra naturam suam; *a.* iudicans falso ageret contra...; *e.* — R. *d. maj.* contra naturam, i. e. ita ut eam destruat, *c;* i. e. aliter ac secundum suam normam agere deberet ordinate, *n.* — *c. d. min.*

### QUAESTIO 3.

#### De gradibus veri et falsi.

### Propositio 7.

Falsitas, et formaliter, et materialiter, et subjective spectata, gradus admittit.

**Notiones.** *Falsitas* positiva sola hic consideratur. — *Formaliter*, i. e. in seipsa, quatenus difformitas est. — *Materialiter*, i. e. ratione objecti materialis de quo fit iudicium. — *Subjective*, i. e. ratione potentiae vel actus in quo est falsitas, seu: respiciendo potius subjectum cogitans.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*formaliter*). 1<sup>o</sup> Falsitas formaliter spectata est inaequalitas, difformitas; *a.* omnis inaequalitas potest esse major et minor; *e.*

**Prob. 2<sup>o</sup>** Falsitas veritati opponitur non contradictorie, nec negative (privative), sed contrarie; *a.* in contrarietate potest esse majus et minus; *e.*

**Ad maj.** Falsitas non est tantum veritatis carentia quae esset potius ignorantia, sed positivus recessus a veritate; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*materialiter*). 1<sup>o</sup> *Quoad extensionem*: possunt de eodem subjecto plures vel pauciores notae falso praedicari; *a.* ita habetur major et minor falsitas ratione materiae quoad extensionem; *e.*

2<sup>o</sup> *Quoad firmitatem*: magis et minus falsum est iudicium, quod non posset, vel quod posset esse verum; *a.* falsum de materia necessaria non posset, de materia contingenti posset esse verum, v. c.  $2+2=5$ , Petrus est aegrotus.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (subjective).** Quidquid auget illam imperfectionem agentis ex qua actus, fit positive difformis ab objecto, auget etiam *radicaliter* (i. e. a parte radice, ex qua oritur actus) ipsam difformitatem seu falsitatem; *a.* possunt plura vel pauciora concurrere quae intellectum disponant ad falso iudicandum; *e.*

*Ad min. v. c.* major vel minor obcaecatio ex praeiudiciis, educatione..., plures vel pauciores, majores vel minores rationes apparentes, fallaces.

### Propositio 8.

Veritas et materialiter, et subjective, non vero formaliter spectata, gradus admittit.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (materialiter).** 1<sup>o</sup> *Quoad extensionem*: possunt de eodem subjecto plures vel pauciores notae cum veritate praedicari; *a.* ita habetur major vel minor veritas ratione materiae quoad extensionem; *e.*

*Ad maj.* De objecto materiali, Petro, possum percipere Petrum, vel aliquem hominem, vel aliquod animal, vel aliquod nigrum...

2<sup>o</sup> *Quoad firmitatem*: magis et minus verum est iudicium, quod non posset, vel quod varie posset esse falsum; *a.* ex parte objecti saepe iudicium vel non posset, vel varie posset esse falsum; *e.*

*Ad min.* Potest fieri ut ex parte objecti, ejus negatio vel sit metaphysice impossibilis, vel physice, vel moraliter, vel per accidens (nunc in sensu composito)...

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (subjective).** Quidquid auget illam perfectionem agentis, ex qua actus fit conformis objecto, auget etiam *radicaliter* ipsam conformitatem seu veritatem; *a.* plura vel pauciora possunt concurrere quae intellectum promptius disponant ad verum iudicandum; *e.*

*Ad min. v. c.* majores et clariores rationes ostendentes verum, habitus recte cogitandi et ratiocinandi...

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (non... formaliter).** Veritas formaliter spectata est adaequatio; *a.* adaequatio qua talis gradus non admittit, sed aut est, aut, si quid mutatur, jam non est; *e.*

## CAPUT II.

### DE STATIBUS MENTIS RELATE AD VERUM.

Quum igitur veritas logica, seu conformitas mentis nostrae cum realitate objectiva, plures gradus et varietates, imo etiam contrarium, falsitatem nimirum, habere possit, inquirendum manet quinam varii sint status mentis nostrae circa illam veritatem, firmitas scilicet certitudinis, vel opinionis ac dubii fluctuatio, quomodo deinde ad certitudinem pervenire ope nostrae naturae possimus. Quapropter dividenda videtur tractatio in quaestiones quinque, atque erunt:

Quaestio 1. De certitudinis natura.

Quaestio 2. De opinionis natura.

Quaestio 3. De existentia certitudinis, contra scepticos.

Quaestio 4. De mediis ad certitudinem acquirendam.

Quaestio 5. De criterio ultimo dignoscendae certitudinis.

### QUAESTIO 1.

#### De natura certitudinis.

### Propositio 9.

Certitudo proprie dicta recte definitur: status mentis, rei cognitae firmiter adhaerentis, ex motivis quae omnem errandi formidinem excludant.

**Notiones.** 1) *Status mentis*: postquam assecuta est veritatem; quasi effectus veritatis adeptae, in mente. — *Assequi veritatem* est vel cognoscere cum veritate, vel etiam cognoscere veritatem ipsam.

2) *Firmiter adhaerentis*, i. e. acquiescentis cognitioni suae, assentientis ei, ratam eam habentis.

3) *Ex motivis*: nam sine ullo motivo nunquam mens quasi caeco instinctu iudicat; — etiam falsum, si iudicatur, sub aliqua specie veri, sub aliquo motivo, apparet.

5) *Excludant*, realiter, i. e. ex parte rei; pro omni mente quae illa motiva consideret.

**Prob. 1<sup>o</sup>** Recta definitio obtinetur via ascensus vel via descensus; *a.* via descensus...; *e.*

*Ad min.* Status mentis varii possunt distingui:

ideas duas non comparantis — — — — = ignorantia.

ideas comparantis,

et identitatem non percipientis, nec diversitatem, — — — — = dubium.

{ quia pro neutra est motivum — — — — = » negativum.

{ quia pro utraque sunt motiva paria — — — — = » positivum.

et identitatem percipientis, vel diversitatem

aliquam in confuso, et haesitantis — — — — = suspicio.

distincte, sed non exclusa formidine op-

positi — — — — = opinio probabilis.

distincte ex motivis quae formidinem op-

positi

{ excludere videntur subjective — — — — = certitudo improp. dicta.

{ excludunt realiter objective — — — — = certitudo proprie dicta.

et falsum percipientis et adhaerentis — — — — = error.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Recta est definitio quae 1) est in se clarior re definita, — 2) convenit omni et soli definito, — 3) non est negativa; *a.* proposita definitio...; *e.*



**Prob. 3<sup>a</sup> pars (subjective).** Quidquid auget illam imperfectionem agentis ex qua actus, fit positive difformis ab objecto, auget etiam *radicaliter* (i. e. a parte radice, ex qua oritur actus) ipsam difformitatem seu falsitatem; *a.* possunt plura vel pauciora concurrere quae intellectum disponant ad falso iudicandum; *e.*

*Ad min. v. c.* major vel minor obcaecatio ex praeiudiciis, educatione..., plures vel pauciores, majores vel minores rationes apparentes, fallaces.

### Propositio 8.

Veritas et materialiter, et subjective, non vero formaliter spectata, gradus admittit.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (materialiter).** 1<sup>o</sup> *Quoad extensionem*: possunt de eodem subjecto plures vel pauciores notae cum veritate praedicari; *a.* ita habetur major vel minor veritas ratione materiae quoad extensionem; *e.*

*Ad maj.* De objecto materiali, Petro, possum percipere Petrum, vel aliquem hominem, vel aliquod animal, vel aliquod nigrum...

2<sup>o</sup> *Quoad firmitatem*: magis et minus verum est iudicium, quod non posset, vel quod varie posset esse falsum; *a.* ex parte objecti saepe iudicium vel non posset, vel varie posset esse falsum; *e.*

*Ad min.* Potest fieri ut ex parte objecti, ejus negatio vel sit metaphysice impossibilis, vel physice, vel moraliter, vel per accidens (nunc in sensu composito)...

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (subjective).** Quidquid auget illam perfectionem agentis, ex qua actus fit conformis objecto, auget etiam *radicaliter* ipsam conformitatem seu veritatem; *a.* plura vel pauciora possunt concurrere quae intellectum promptius disponant ad verum iudicandum; *e.*

*Ad min. v. c.* majores et clariores rationes ostendentes verum, habitus recte cogitandi et ratiocinandi...

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (non... formaliter).** Veritas formaliter spectata est adaequatio; *a.* adaequatio qua talis gradus non admittit, sed aut est, aut, si quid mutatur, jam non est; *e.*

## CAPUT II.

### DE STATIBUS MENTIS RELATE AD VERUM.

Quum igitur veritas logica, seu conformitas mentis nostrae cum realitate objectiva, plures gradus et varietates, imo etiam contrarium, falsitatem nimirum, habere possit, inquirendum manet quinam varii sint status mentis nostrae circa illam veritatem, firmitas scilicet certitudinis, vel opinionis ac dubii fluctuatio, quomodo deinde ad certitudinem pervenire ope nostrae naturae possimus. Quapropter dividenda videtur tractatio in quaestiones quinque, atque erunt:

Quaestio 1. De certitudinis natura.

Quaestio 2. De opinionis natura.

Quaestio 3. De existentia certitudinis, contra scepticos.

Quaestio 4. De mediis ad certitudinem acquirendam.

Quaestio 5. De criterio ultimo dignoscendae certitudinis.

### QUAESTIO 1.

#### De natura certitudinis.

### Propositio 9.

Certitudo proprie dicta recte definitur: status mentis, rei cognitae firmiter adhaerentis, ex motivis quae omnem errandi formidinem excludant.

**Notiones.** 1) *Status mentis*: postquam assecuta est veritatem; quasi effectus veritatis adeptae, in mente. — *Assequi veritatem* est vel cognoscere cum veritate, vel etiam cognoscere veritatem ipsam.

2) *Firmiter adhaerentis*, i. e. acquiescentis cognitioni suae, assentientis ei, ratam eam habentis.

3) *Ex motivis*: nam sine ullo motivo nunquam mens quasi caeco instinctu iudicat; — etiam falsum, si iudicatur, sub aliqua specie veri, sub aliquo motivo, apparet.

5) *Excludant*, realiter, i. e. ex parte rei; pro omni mente quae illa motiva consideret.

**Prob. 1<sup>o</sup>** Recta definitio obtinetur via ascensus vel via descensus; *a.* via descensus...; *e.*

*Ad min.* Status mentis varii possunt distingui:

ideas duas non comparantis — — — — = ignorantia.

ideas comparantis,

et identitatem non percipientis, nec diversitatem, — — — — = dubium.

{ quia pro neutra est motivum — — — — = » negativum.

{ quia pro utraque sunt motiva paria — — — — = » positivum.

et identitatem percipientis, vel diversitatem

aliquam in confuso, et haesitantis — — — — = suspicio.

distincte, sed non exclusa formidine op-

positi — — — — = opinio probabilis.

distincte ex motivis quae formidinem oppositi

{ excludere videntur subjective — — — — = certitudo improp. dicta.

{ excludunt realiter objective — — — — = certitudo proprie dicta.

et falsum percipientis et adhaerentis — — — — = error.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Recta est definitio quae 1) est in se clarior re definita, — 2) convenit omni et soli definito, — 3) non est negativa; *a.* proposita definitio...; *e.*

**Coroll.** Ergo falsae vel insufficientes aliquando proponuntur aliae definitiones : 1) *Impossibilitas dubitandi*, nam R. : est negativa.

2) *Veritas demonstrata*, nam R. : non convenit immediatae certitudini, et abstrahit ab elemento subjectivo.

3) *Veritas methodice acquisita*, nam R. : a) idem vitium, et b) non clara.

4) *Conscientia veritatis*, nam R. : non convenit omni, sed soli certitudini reflexe cognitae, et demonstratae.

5) *Veritatis conscia possessio*, nam R. : non clarior re definita, sed bene explicanda, — et posset male explicari, ita ut includat solam reflexam.

**Schol. 1<sup>m</sup>** *Ignorantia et dubium negativum* practico usu ordinario vix differunt, et saepe confunduntur.

**Schol. 2<sup>m</sup>** *Suspicio* est status quasi intermedius inter dubium, quo nullum fit iudicium, et opinionem, qua fit iudicium cui parum adhaeret intellectus : est scilicet velut inclinatio ad iudicandum.

**Schol. 3<sup>m</sup>** *Certitudinis elementa* sunt : *subjectivum positivum* : adhaesio veritati, — *subjectivum negativum* : exclusio omnis formidinis oppositi, seu firmitas in adhaerendo, — *objectivum* : ratio motiva realiter sufficiens ad exclusionem illam, et apparens ut talis. — Ex defectu huius elementi objectivi, erit certitudo mere subjectiva seu improprie dicta, quae etiam cum falsitate stare potest.

**Schol. 4<sup>m</sup>** Hoc elementum objectivum vocatur *evidentia*, et complectitur in ordine materiali : rem ipsam, lucem qua illustratur, et actualem manifestationem oculis bene dispositis ; — in ordine intelligibili evidentia complectitur : veritatem, ejus motiva, et eorum manifestationem intellectui.

**Schol. 5<sup>m</sup>** *Certitudo dividitur* a) *ratione elementorum* : subjectiva, objectiva. b) *Ratione modi quo acquiritur* : immediata, — mediata (=post ratiocinium). c) *Ratione objecti* : facti (=facti tantum), — juris (=facti naturae vel causae). d) *Ratione fontis* : naturalis (=ex ratione), — supernaturalis (e revelatione). e) *Ratione finis* : theoretica (quae intelligitur excludere), — practica (quae in praxi excludit formidinem oppositi).

f) *Ratione operationis qua acquiritur* : directa (= ex prima objecti perceptione), reflexa (ex voluntaria reflexione), — et quidem reflexa vulgaris (ex iterata objecti et motivorum distinctiore consideratione), vel reflexa philosophica (ex considerato valore ipsius motivorum applicationis). — Haec, si moderata, cognitionem directam, et reflexam vulgarem, vindicat et perficit ; sin immoderata, ducit ad scepticismum.

g) *Ratione motivi* : metaphysica (=fundata in essentiis, cujus negatio repugnat absolute), — physica (fundata in lege naturali, seu experientia, cujus negatio repugnat hypothetice : si legi physicae non derogetur), — moralis (fundata in lege morali, cujus negatio repugnat moraliter : si omnia fiunt ut ordinario).

**Objic. 1<sup>o</sup>** Definitio ut sit bona, desumi debet ex communi significatione ; a. communiter certitudo non ita stricte sumitur ; e. — R. d. *maj.* sed ita ut

elementa distinctius explicentur, et ob justas causas restringatur sensus, c ; secus, n. — c. *min.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Certitudo dari nequit nisi perpensis ratione motivis ; e. acquisita conscientia veritatis. — R. d. *antec.* nisi aut perceptis directe, aut perpensis ratione, c ; secus, n.

### Propositio 10.

**Certitudo gradus admittit, non in exclusione formidinis, sed in firmitate assensus.**

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*non in exclusione*). Exclusio est aut omnis formidinis, aut non omnis ; a. si omnis, jam nihil manet ulterius excludendum ; — si non omnis, jam haec non est certitudo, sed opinio ; — e. non datur majus et minus. — *Idem aliis verbis generalius* : quod negativum, indivisibile est ; a. exclusio formidinis est negatio formidinis ; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*sed in adhaesione*). Adhaesio est natura sua proportionata : 1) motivo quod eam causat, 2) perfectioni subjecti intelligentis, 3) lumini sub quo apparet motivum ; — a. haec singula gradus admittunt ; e.

**Prob. maj. 1 part. (motivo)**. Omnis effectus est natura sua proportionatus causae suae ; a. adhaesio est effectus motivi ut causae in mentem ; e.

**ad maj.** Causae suae formaliter sumptae, i. e. quatenus est causa, seu quatenus hic et nunc influit...

**ad min.** Ideo mens adhaeret quia motivum percipit...

**Prob. maj. 2 part. (perfectioni subjecti)**. Quale esse, tale operari ; e. quo perfectius esse, eo perfectius operari...

**Prob. maj. 3 part. (lumini)**. Lumen sub quo apparet verum, est conditio verum afficiens ut expedite percipiatur ; a. quo perfectius adest aliqua conditio requisita, eo perfectior est effectus ; e.

**Prob. min. per partes. 1) (motivum)**. Motivum est ipsa necessitas qua convenit praedicatum subjecto ; a. haec necessitas potest esse major et minor, v. c.  $2+2=4$  magis necessario quam Carolus est vivus.

2) (*perfectio subjecti*). Subjectum intelligens potest esse magis vel minus perfecte intelligens, sive essentialiter, v. c. angelus, homo, sive accidentaliter, v. c. majoris ingenii, attendens vel distractus, studiis exercitatus vel non.

3) (*lumen*). Lumen sub quo apparet motivum veritatis, est ipsa propositio huius motivi ; a. proponi potest motivum magis vel minus clare et aperte ; e. v. c. evidentia immediata, — mediante ratiocinio, — mediante testimonio.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Experientia constat gradus admitti in exclusione formidinis seu dubii. — R. d. dubii actualis, n ; possibilitatis dubitandi, sd. dum quis percipit motivum, n ; dum non percipit, c.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Adhaesio proportionatur motivo, i. e. impossibilitati oppositi ; a. impossibilitas gradus non admittit ; e. — R. *ad maj. 1<sup>m</sup> part.* motivo, c. —

ad 2<sup>m</sup> part. motivum est impossibilitas oppositi, *d.* consequenter et identice, *c;* formaliter, *n.* (sed est necessitas rei).

**Objic. 3<sup>o</sup>** Motiva certitudinis metaphysicae, physicae, moralis non aequae sed gradatim excludunt possibilitatem oppositi; *e.* certitudo habet gradus in exclusione. — *R. d. ant.* motiva sumpta in abstracto, ac proin incomplete, *c;* sumpta in concreto, complete (i. e. lex et ejus applicatio actualis), *n.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** Exclusio formidinis iisdem fundatur motivis ac intensitas assensus; *a.* intensitas gradus habet ex motivis; *e.* et exclusio. — *R. tr. maj. et min.;* — *d. cons.* fundamentaliter, *c;* formaliter, *n.*

### Propositio 11.

Dividitur quidem specificè certitudo objective spectata, in metaphysicam, physicam et moralem; at non ipsa certitudo formaliter spectata.

**Notiones.** 1) Motiva certitudinis metaphysicae desumuntur ex ipsis rerum essentiis, quatenus per ideas exhibentur, per earum analysim in notas quae non possunt simul affirmari et negari, *v. c.* totum esse sua parte majus.

2) Motiva certitudinis physicae desumuntur ex legibus physicis, i. e. ex modo constanti et uniformi agendi, rerum naturalium non liberarum, fundato in ipsarum natura, *v. c.* solem cras esse oriturum.

3) Motiva certitudinis moralis desumuntur ex legibus moralibus, i. e. ex modo constanti et uniformi agendi, hominum liberorum, in certis circumstantiis, fundato in natura humana, *v. c.* credendam esse existentiam Romae, vel antiquarum rerum, in Graecia.

4) *Objective spectatae*, i. e. si objectum seu motivum inspicias, invenies differentias specificas, essentielles; — *formaliter spectata*, i. e. si nude secundum strictam definitionem et essentiam inspicias, in suo esse, non in sua causa, non invenies...

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (motiva).** *a)* In certitudine metaphysica ostendunt oppositum fore simul affirmationem et negationem ejusdem rei, unde absolute repugnet; — *b)* in certitudine physica, ostendunt oppositum fore derogationem legibus physicis naturae, quae pendeat a solius Dei voluntate supernaturaliter intervenientis, et sapientia non nisi ob finem supernaturalem intervenientis; — *c)* in certitudine morali, ostendunt oppositum fore derogationem legibus moralibus, quae pendeat ab humana voluntate et conspiratione; — *a.* istae differentiae sunt motivis essentielles, et sibi invicem oppositae (i. e. sunt specificae); *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (non formaliter).** Certitudo formaliter spectata est adhaesio veritati talis ut excludat omnem formidinem oppositi; *a.* adhaesio talis ut... est eadem specificè, etiamsi ex motivo differente; *e.*

**Prob. min.** Motiva certitudinis physicae et moralis non excludunt formidinem oppositi omnem, nisi simul constet de non facta (vel facienda) derogatione; *a.* sic jam idem in mente producitur effectus, scilicet adhaesio, ac per motiva certitudinis metaphysicae; *e.*

*ad min.* Ubi constat de lege physica vel morali, et constat simul de non derogatione, jam mens percipit effectum negari non posse nisi simul aut negetur ipsa lex, aut affirmetur derogatio; *a.* haec foret contradictio metaphysica; *e.*

**Schol. 1<sup>m</sup>** Jure tamen merito servantur nomina certitudinis metaphysicae, physicae et moralis; quia licet non specie differant formaliter adhaesiones, differunt tamen gradu, nam reductio illa ad certitudinem metaphysicam exigit ratiocinium aliquod; *a.* quo longius est ratiocinium, eo per se minor est intensitas evidetiae, et adhaesionis.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Certitudo *hypothetica* dupliciter dicitur: ex hypothesi posita, *v. c.* mundus existens habet causam, — vel sub hypothesi ponenda, *v. c.* cras sol orietur nisi Deus deroget.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Datur saepe assensus omnino firmus sine motivo ostendente impossibilitatem oppositi. — *R. d.* firmus ex motione voluntatis ob alia motiva, *c;* ex inclinatione intellectus, firmior quam mereantur motiva, *n.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Quod pertinet ad naturam rei est metaphysicum; *a.* *v. c.* urere pertinet ad naturam ignis; *e.* motiva non differunt. — *R. d. maj.* quod ad naturam metaphysicam, est metaphysicum, *c;* quod quomodocumque ad naturam physicam, est metaphysicum, *n.* — *c. d. min.* pertinet ut proprium ad naturam physicam, *c;* metaphysicam, *n.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Natura legum physicarum non potest tolli a Deo; *a.* inde sequitur naturam istarum legum esse metaphysicam; *e.* — *R. d. maj.* tolli, i. e. fieri ut sit simul haec et non haec, *c;* i. e. fieri ut effectum suum naturalem aliquando non producat in casu particulari, *n.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** Actus specificantur ab objectis suis formalibus; *a.* trium certitudinum objecta formalia sunt essentialiter diversa; *e.* — *R. d. maj.* actus ipsi, *c;* status sequens post actus, *n;* — *c. d. supp. min.* tres certitudines sunt actus, *n;* sunt status sequens post actus, *c.*

### QUAESTIO 2.

#### De Opinione.

### Propositio 12.

Opinio probabilis gradus admittit.

**Notiones.** 1) *Probabilis opinio* est status mentis, ob motivum aliquod grave adhaerentis uni parti, cum formidine tamen oppositi.

2) Motivum hoc dicitur *probabilitas*, et debet esse grave, i. e. quod rem ita esse, non quidem ostendit, sed suadet.

3) *Probabilitas* est *intrinsicè* si petitur ex ipsa natura rei, conditione subjecti, lege physica vel morali, — vel *extrinsicè* si petitur ab auctoritate omnium, vel plurium, vel saltem prudentium virorum ita affirmantium.

4) Evidens est nullam dari posse probabilitatem certitudini contrariam.  
**Prob.** Opinio probabilis dicit tum adhaesionem intellectus, tum aliquam, non totalem, remotionem formidinis oppositi; *a.* in utraque potest dari gradus pro ratione motivorum quibus proportionatur; *e.*

**Coroll.** Varii gradus probabilitatis ordinario recensentur :

- 1) Tenuiter (dubie) probabilis, opponitur probabilissimae opinioni.
- 2) Minus probabilis — — — » probabiliori.
- 3) Probabilis — — — — — » aequae probabili, vel dubie probabiliori.
- 4) (Certe) probabilior — — — » minus probabili.
- 5) Notabiliter probabilior — — — » non solide probabili.
- 6) Probabilissima — — — — — » tenuitur probabili.

### Propositio 13.

**Opinio, etiam maxime probabilis, essentialiter differt a certitudine proprie dicta.**

**Prob.** Ea essentialiter differunt quorum alterum habet elementum essentialiter quod alterum non habet; *a.* ita se habent certitudo et opinio etiam probabilissima; *e.*

*Ad min.* Certitudo dicit adhaesionem excludentem omnem formidinem oppositi, non tantum quoad praxim sed etiam speculative; opinio etiam probabilissima, licet saepius quoad praxim excludat omnem formidinem, non tamen speculative tollit omnem rationabilis dubii possibilitatem, v. e. quod hodie me coquus non interficiet veneno.

**Schol. De limitibus probabilitatis et certitudinis.** — R. 1) *Practice* saepe vix possibile est limites assignare inter certitudinem et magnam probabilitatem; at non propterea negari possunt *theoretice*.

2) Maxime id invenitur in certitudine late morali, ut dicitur, seu sensus communis; — cujus scilicet motiva desumuntur ex tanta difficultate oppositi ut ab omnibus censeatur casus chimaericus, licet nec physice nec metaphysice repugnet, v. e. talos 25, centies projectos, semper omnes producturos senarium; quod rationabiliter expectari non potest.

3) Haec certitudo *moralis* dicitur, quia de more ordinario, duce natura, ita homines judicant, et quidem subjective non dubitant sed firma est adhaesio; — objective autem, i. e. ex parte motivi, haec certitudo aut reducit ad certitudinem physicam, proprie dictam, aut ad moralem proprie dictam, aut ad solam probabilitatem licet magnam; v. e. comparentur exempla : a) tesserae centum simul projectae, non ducenties continuo producent senionem universalitatem; — si quis capsulam litterarum formis pleuam in mensam excutiat, litterae non efficient epistolam quam unus adstantium habet in pera.

b) Hodie non universam Soc. Jesu veneno interiment omnes coqui nostri; — ducenti homines velatis oculis per varios viarum anfractus ducti, selo-

pulum explodentes, non transmittent glandes per totidem foramina ejusdem diametri ad hoc parata.

c) Si scrupulum in oceanum ubicumque miseris, ego loci ignarus, alium lapillum projiciens non illum attingam.

*Jam vero ista exempla sub a):* erunt potius physice certa, nam lex naturalis physica est ut agentia non libera, sine ordine impulsa, ordinem aliquem determinatum non producant.

Exempla *sub b):* erunt potius moraliter certa, nam lex moralis est ut homines tam malam voluntatem vel tantam imprudentiam non habeant, qua tanta mala non praecaveant; — vel tantam dexteritatem qua tam difficilia peragant.

Exemplum *sub c):* erit potius maxime probabile, nam inter tot alios casus posibles, ille non majoris est difficultatis quam alii singuli; tota difficultas est ut ille prae aliis habeatur; *a.* haec difficultas nullo modo est impossibilitas; *e.*

### Propositio 14.

**Usus calculi probabilitatum legitimus est, dummodo nec rebus moralibus applicetur, neque ex eo concludatur certitudinem esse meram probabilitatum summam.**

**Notiones.** 1) *Calculus probabilitatum* est determinatio existentiae probabilis alicujus facti vel causae, ex ratione numeri casuum secundorum ad numerum casuum possibilem; v. e. projiciatur alea; casus posibles sunt 6, casus ut producaturn ternio est 1; ejus probabilitas est  $\frac{1}{6}$ . — Sint in urna 10 globuli, quorum 7 albi, 3 nigri; casus posibles sunt 10; casus ut extrahas album sunt 7; ut nigrum 3; respectivae probabilitates sunt  $\frac{7}{10}$ ,  $\frac{3}{10}$ . — Sit operatio chirurgica; eam 100 passi sunt, sed 6 perierunt; casus posibles sunt 100, casus ut incolumis quis evadat, 95 : probabilitas =  $\frac{95}{100}$ .

2) *Res morales* : quae non a casu et necessitate physica pendent, sed a libera voluntate, v. e. veracitas testificantis...

3) *Meram summam* : i. e. ne inferatur probabilitatem esse fractionem certitudinis, ipsamque certitudinem esse unitatem; v. e. sint in urna 10 globuli, omnes albi; casus posibles sunt 10; ut extrahas album = 10; ejus probabilitas erit  $\frac{10}{10} = 1 =$  certitudo!

**Stat. quaest.** 1) *Adversarii alii mitigati*, rebus moralibus quidem non applicant, concludunt tamen ex formulis mathematicis naturam certitudinis non aliter a probabilitate differre quam gradu, ita ut si plures addantur probabilitates, *jam ipso facto* certitudo attingatur.

*Alii, materialistae*, etiam res morales existimant calculo, quasi libertatis nulla sit ratio habenda, v. e. in casibus similibus 100, erraverunt testes 97; ergo probabilitas ut erret (vel fallat) etiam iste testis est  $\frac{97}{100}$ , i. e. fere unitas,

i. e. fere certum; quibuscumque demum cautionibus examinavit, cujuscumque probitatis sit, credendus non est.

2) *Regulas calculi probabilitatum* ita praecipuas tradunt :

a) Probabilitas concurrentiae duorum factorum inter se independentium est : productum probabilitatum separatarum, v. c. probab. facti  $A = \frac{1}{6}$ ; facti  $B = \frac{1}{10}$ ; ergo concurrentiae  $A+B = \frac{1}{6}$ .

b) Probabilitas alterius ex duobus factis se mutuo excludentibus est : summa probabilitatum separatarum, v. c. prob. facti  $A = \frac{1}{6}$ ; facti  $B = \frac{1}{10}$ ; ergo prob. facti (A aut B)  $= \frac{1}{6} + \frac{1}{10} = \frac{4}{15}$ .

c) Valor testimoniorum dependentium pro facto, est productum probabilitatum separatarum, v. c. testis  $A = \frac{5}{8}$  narrat, audit  $B = \frac{9}{10}$  et repetit; probabilitas facti est  $\frac{5}{8} \times \frac{9}{10} = \frac{45}{80} = \frac{9}{16}$ .

d) Valor summae testimoniorum independentium pro facto habetur, si multiplicantur numeri exprimentes valorem proportionatum cujusque testimonii, v. c. sit A verax ut  $\frac{6}{7}$ , ejus testimonium relative exprimitur  $\frac{6}{7}$ ; duo talia testimonia valebunt  $\frac{36}{49}$ .

3) Cfr. *Laplace*, Théorie analytique des probab., introd. — *Lacroix*, Traité du calcul des prob. — *Montucla*, Hist. des mathém., tom. 3, part. V, liv. 1. — *Bain*, Logic, book III, chapt. 9.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (est legitimus).** Res aliquae probabiles sunt, quarum probabilitas aestimari potest ex proportionem inter casus posibles faventes, et casus aequae posibles non faventes (sive haec proportio a priori cognoscatur, sive a posteriori inveniatur); — a. hanc aestimationem inquit calculus probabilitatum; e.

*Ad maj.* a) Proportio a priori (ante experientiam, ex sola rei consideratione) nota est v. c. ex formulis :

*Ordinationum*, v. c. 7 elementorum per quaterniones :  $O_7 = 7.6.5.4.$

*Permutationum*, v. c. 7 elem. inter se :  $P_7 = 7! = 7.6.5.4.3.2.1 = 7!$

*Combinationum*, v. c. 7 elem. in quaterniones :  $C_7^4 = \frac{7.6.5.4.}{1.2.3.4.}$

seu universalius 
$$\left\{ \begin{array}{l} O_m^n = m(m-1)(m-2)\dots[m-(n-1)]. \\ P_m^n = m(m-1)\dots 3.2.1 = m! \\ C_m^n = \frac{m(m-1)\dots[m-(n-1)]}{1.2.3\dots n}. \end{array} \right.$$

Quae formulae comparandae erunt cum illis O. P. C. quae propositae quaestioni respondeant, casibus scilicet faventibus.

b) Proportio a posteriori (ex experientiis observatis) nota est ex statisticis tabellis factorum, v. c. de morte vel sanatione post talem operationem.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (non moralibus).** Calculo mathematico res supputari possunt solum quoad quantitates, non quoad qualitates, vel qualitatum effectus; a. res morales sunt examinandae quoad qualitates (libertatem, passiones, mutabilem voluntatis levitatem etc.); seu : ponderandae in concreto potius quam numerandae in abstracto; e.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (nec concludatur).** Eatenus tantum concludi posset...

quatenus plura motiva quae seorsim sumpta probabilitatem gignunt, simul sumpta, ipso facto certitudinem gignerent; a. haec conclusio non valet; e.

*Ad min.* Quando plura motiva, quae singula sunt probabilia, simul sumpta certitudinem gignunt, non inde hoc fit quod adduntur motiva in summam, sed quia eadem elementa quae inadaequate considerata dant probabilitatem, alio modo adaequatius considerata simul, excludunt omnem possibilitatem oppositi; e.

### Propositio 15.

**Opinio probabilis per se non eliditur in conflictu opinionis etiam certo probabilioris.**

**Notiones.** *Opinio probabilis*, i. e. dummodo sit vere probabilis, non temere aestimata ut probabilis; sed vero, solido aliquo motivo nitens.

*Non eliditur* : non cessat esse probabilis, non ideo dicenda est falsa.

*Per se* : ex natura rei; — nam *per accidens* poterit elidi, si v. c. motivum pro parte opposita sit ex eodem fonte promptum, ex eodem principio; ut si duo testimonia ejusdem testis sibi ipsi contradicentis.

*In conflictu* : non solum *in se* manet motivum probabilitatis, sed etiam *relative*, i. e. dum comparatur motivo opposito.

*Certe probabilioris* : dummodo non certae, cujus opposita esset non jam vere probabilis, sed temere ut probabilis aestimata.

**Stat. quaest.** 1) Non dicitur eundem hominem posse simul eodem tempore utrique propositioni ut verae adhaerere; sed a) duos homines posse alterum alteri contradictoriae adhaerere, — b) eundem hominem si adhaeret uni, posse simul reflexe judicare contradictoriam etiam esse vere et certe probabilem, — c) eundem hominem posse ordinario secundum utramque opinionem probabilem prudenter judicare.

2) In hac propositione agimus de opinionibus qualitercumque probabilibus, dummodo sint vere probabiles, etiamsi opponantur probabilissimis; logice enim ac theoretice eadem de omnibus valent argumenta. Attamen quum in rebus moralibus huic nostrae propositioni superstruetur totum probabilismi systema, applicanda non erit nisi opinionibus solide probabilibus, exclusis tenuiter probabilibus, propter rationes tunc exponendas.

**Prob.** Motivis sententiae probabilioris, per se nec opposita opinio ostenditur esse falsa, nec gratuita, ita ut ejus motivi destruat valor; e.

*Prob. ant. per part.* 1) *Non falsa.* Probabilioris sententiae motiva nec seorsim nec simul sumpta, per se ostendunt impossibilitatem seu falsitatem oppositi (nam jam non probabilior sed certa esset); e.

2) *Non gratuita.* Motiva duarum opinionum probabilium sunt disparata i. e. non desumpta ex eodem fonte vel principio; a. talia motiva possunt simul stare et suam habere vim suadendi, etiamsi alterum sit altero majus; e.

*Ad min.* Motiva disparata sibi invicem non directe opponuntur, sed sub

alia et alia specie apparent, v. c. auctoritas testantis, contra rationem suadentem.

**Objic. 1°** Sicut in statera, pondera inaequalia lances in unam partem pertrahunt, ita in probabilibus motiva inaequalia mentem in unam partem pertrahunt ad assensum. — R. 1) *n. par.* (Si motiva pertrahunt, est certitudo; secus poterit libera voluntas unum prae altero proponere considerandum, poterit etiam utriusque, vel majoris, infirmitatem proponere menti...). — R. 2) *Retorg.* Sicut pondera aequalia non pertrahunt, ita motiva aequae probabilia omne iudicium impedirent!!

**Objic. 2°** Opinio probabilior est verior... R. *d.* Verosimilior, *e;* verior, *n. donec prob.*

### QUAESTIO 3.

#### De existentia certitudinis.

Postquam certitudinis naturam in seipsa inspeximus, et in oppositione cum opinione probabili comparavimus, manet jam alia quaestio theoretica solvenda: utrum verae certitudinis capax sit mens nostra, seu aliis verbis utrum vera aliqua certitudo, de quibusnam rebus existat, et a quibusnam veritatibus tanquam primis initiis methodice ad reliquas proficiscendum sit. Quae omnia distribuemus per partes, eruntque:

Articulus 1. De certitudine primitiva.

Articulus 2. De negatione theoretica certitudinis, seu de scepticismo.

Articulus 3. De primis veritatibus certis.

#### ARTICULUS 1.

##### De certitudine primitiva.

#### Propositio 16.

Inest singulis hominibus ratione utentibus adhaesio primitiva et naturalis multis veritatibus, ut objective certis.

**Notiones.** *Inest*: de facto, neque nunc quaerimus utrum jure.

*Ratione utentibus*: excluduntur pueri, amentes, delirantes, somniantes.

*Adhaesio*: in actu secundo, i. e. quae actualiter habetur existens; non solum in actu primo, i. e. capacitas, facultas adhaerendi.

*Naturalis*: quae a sola natura recte agente procedit.

*Primitiva*: antevertens omnem reflexionem philosophicam, et voluntatem.

*Multis veritatibus*: principiis immediatis, factis quibusdam immediate perceptis, v. c. propriae existentiae, et corporum.

*Ut objective certis*: modo tamen cum suis motivis percipiuntur.

**Stat. quaest.** 1) Finis hujus propositionis est factum aliquod objicere a

quo sit initium philosophandi; nam rectae rationis est facta, si qua dantur, admittere, et postea eorum explicationem investigare; — ac rectae rationi repugnat, facta certissima negligere, et explicationem a priori moliri, vel etiam ob modum obscurum et incognitum, de facto clarissimo dubitare.

2) Non datur hic probatio proprie dicta propositionis, nam haec foret petitio principii; sed datur scientifica quaedam facti expositio, non scepticis, quibuscum disputare est impossibile, sed dogmatistis, quo melius intelligant falsitatem primi scepticorum principii.

3) Cfr. Kleutgen, Phil. 3. Abhandlg — Balmes, Fil. fond. cap. 1, 2, 3.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*adhaesio... est primitiva*). Teste experientia, tum interna tum externa: 1) plures veritates, in ordine ideali vel in ordine existentiae, statim ac proponuntur et termini intelliguntur, propter ipsam rei perceptam necessitatem, ab omnibus, uniformiter, constanter, universaliter ut objective certae habentur; — 2) neque ullus unquam de illis actu primitivo, spontaneo, dubitat sceptice, i. e. ideo quia dubitat de aptitudine intellectus sui ad percipiendam certo veritatem; sed pro valore motivi percepti, vel certus est, vel dubitat, vel opinatur; — *a.* haec facta experientiae probant hominem spontanee, primitive, adhaerere multis veritatibus, et quidem ut objective certis pro motivo; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*...est naturalis*). 1° *directe*. Quod universaliter, uniformiter, constanter, invincibiliter omnibus inest, naturale est; *a.* talis est adhaesio...; *e.*

*Prob. maj.* Quod ita universaliter, uniformiter, constanter, omnibus inest invincibiliter, nequit totaliter causae alicui partiali et accidentali tribui, v. c. educationi, revelationi, praejudiciis, sed a sola natura oriri potest; *e.*

**Prob. 2° indirecte.** Sola ratio cur haec adhaesio non diceretur naturalis, esset quia aliquibus videatur neganda realitati objectivae conformitas; *a.* haec ratio non valet; *e.*

*Prob. min.* a) negantes sunt paucissimi, et tales ut nec ipsi secundum suam disciplinam agere valeant, — b) vanae sunt eorum rationes, nam difficultas vel impossibilitas explicandi factum, non tollit factum de quo constat.

#### Propositio 17.

Illa adhaesio primitiva et naturalis, est vera et proprie dicta certitudo; quae a certitudine philosophica non quoad rem differt sed quoad modum.

**Stat. quaest.** Non contra scepticos; sed in utilitatem dogmaticam.

*Illa adhaesio*: de qua supra, non quaecumque adhaesio vulgaris.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*est certitudo*). Certitudo est firma mentis adhaesio ex motivo realiter objectivo; *a.* talis est illa adhaesio; *e.*

*Prob. min.* 1) *est firma*. Teste experientia, omnes homines ita primis principiis factisque adhaerent, ut nulla philosophorum cavillatione avelli possint, sed stultum aut jocantem reputent illum qui dubitaret; *e.*

2) *est ex motivo realiter objectivo*. a) Teste experientia, omnis homo, etiam omni reflexione philosophica carens, ita illis... adhaeret, ut simul sit conscius se percipere rem realiter ita esse et aliter esse non posse; nam « primorum principiorum proprium est ut non solum sint necessario vera, sed et ut se manifestent tamquam evidenter objective vera » (S. Thom.).

b) Ut motivum sit realiter objectivum, non requiritur ut intelligantur simul omnia motiva vel omnes cognitae veritatis relationes, vel etiam distincte unum motivum, sed sufficit ut clara sit perceptio motivi objectivi sufficienter ostendentis necessitatem veritatis; a. talis est perceptio in plurimis, etiam apud non reflectentes, statim ac intelliguntur termini, v. c. triangulum differre a quadrato; — mundum existere; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*non differt re*). In utraque certitudine, vulgari et philosophica, est adhaesio eadem: firma, et haec ex motivo eodem: objectivo; a. in istis consistit natura certitudinis; e.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*sed modo*). In utraque certitudine idem motivum proponitur diverso modo: quod plura forsitan, et magis scientificè disposita argumenta habeat philosophus; a. haec non naturam certitudinis, sed ejus aliquem modum afficiunt; e.

**Objic.** Homines aliquando universaliter uniformiter et constanter quaedam admiserunt ut certa, quae postea agnita sunt falsa, v. c. motum solis... — R. d. ut probabilissima, c; ut stricte certa, sd. universaliter et invincibiliter, et ex motivo objectivo, n; plurimi forsitan, sed invincibiliter, et ex imprudentia libera, c. (motivum non ostendebat impossibilitatem oppositi).

## ARTICULUS 2.

### De negatione certitudinis, seu scepticismo.

#### Propositio 18.

Cum sceptico qui de omnibus dubitat, nulla disputatio institui potest; sed nec ipse valet sui dubii legitimitatem probare.

**Stat. quaest.** 1) Si quaeritur de legitimitate certitudinis primitivae et naturalis, seu de realitate objectiva, respondent *dogmatistae* eam esse veram et ut talem admittendam; — respondent *sceptici desperati*: non posse eam veram esse; — respondent *sceptici inquisitores*: forsitan esse veram, sed nondum probatam, nec admittendam esse.

2) Dividitur scepticismus *ratione extensionis*: *subjectivus* seu *universalis*, negans existentiam etiam ipsius subjecti cogitantis; admittens solam necessitatem cogitandi seipsum ut subjectum cogitationis, et affectionum apparentium; — *objectivus*, admittens existentiam realem subjecti cogitantis, sed negans, sive *totaliter*, perfecte, omnis alius objecti realitatem de quo cogitat, sive *partialiter* aliquod genus rerum.

3) *Ratione fundamenti* dividitur scepticismus: *juris*, qui examinans nostra cognitionis media, negat per ea certitudinem acquiri posse; — vel *facti*, qui sine examine certitudinem negat.

4) Datur etiam aliquis scepticismus *mitigatus*: nihil quidem esse absolute certum, sed de multis esse probabilitatem quae ad hominis operationem dirigendam sufficiat. — Imo addunt aliqui hanc probabilitatem converti posse in aliquam certitudinem relativam, ob mentis naturam ita necessario cogitantis, vel ob multitudinem aliarum propositionum quae se invicem corroborarent.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*nulla disputatio...*). Ut disputatio procedat, requiritur saltem principium utrimque admissum ut objective certum; a. scepticus qui de omnibus dubitat, nihil ut certum admittit; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*nec valet probare*). Omnis probatio aut est absoluta, aut saltem ad hominem; a. neutra valet scepticus uti; e.

**Prob. min. per part. 1)** *non absoluta*. Omnis probatio absoluta saltem duas praemissas ut objective certas requirit; a. illas scepticus ipse non admittit; e.

2) *non ad hominem*. Probatio ad hominem illa est quae ex ipsius adversarii principiis deducit conclusionem contra eum; a. scepticorum adversarii (*dogmatistae*) nullum admittunt principium unde possit deduci scepticismus; e. — minor patebit successive in propositionibus seqq.).

#### Propositio 19.

Scepticismus universalis, sive ut factum internum, sive ut systema doctrinae, est absurdus.

**Notiones.** *Ut factum internum*, i. e. ut actus dubitandi de omnibus; ut status mentis quae *intellectum exercens* de omnibus dubio positivo dubitet.

*Ut systema doctrinae*: theoretice propositum, considerando non jam statum adhaesionis in mente, sed doctrinam ipsam quae exponitur.

*Absurdus*, i. e. repugnans et metaphysice impossibilis.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*ut factum*). Mens ita dubitans, aut ex motivo, aut propter aliquem finem dubitaret; a. in utroque involvitur contradictio metaphysica; e.

**Prob. maj.** Illud dubium erit positivus actus resistendi adhaesioni primitivae et naturali omnibus hominibus congenitae; a. talis actus requirit, praeter naturam ipsam, motivum aliquod intellectum inducens in dubium, vel finem aliquem qui voluntatem alliciat ut intellectui dubium imperet; e.

**Prob. min. per part. 1)** (*in motivo*). Motivum dubitandi erit vel quia non percipit veracitatem rationis, vel quia percipit non veracitatem, vel quia de ea dubitat; — a. sic jam ut certum assumit: a) toties dubitandum esse, quoties non apparet veracitas rationis, — b) illam non hic et nunc apparere, — c) et hoc per ipsam rationem esse cognitum (scilicet facit syllogismum cui fidit ut veraci).

2) (*in fine*). Finis dubitandi erit ne assentiendo incidat in errorem; a. hunc

finem sibi proponere, jam supponit sciri a) quid sit dubitare, quid non dubitare, et haec duo inter se differre; — b) quid assentiri, quid non assentiri, et haec differre; — c) quid errare, quid non errare, et haec differre; — e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (ut doctrina).** 1<sup>o</sup> Doctrina scepticismi accipienda est aut ut vera aut ut falsa; — a. si vera: jam hoc saltem erit certum, de omnibus esse dubitandum; — si falsa: jam non de omnibus est dubitandum; — e.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Doctrina haec est aut certa aut dubia; — a. si certa, jam aliquid habetur non dubium: de omnibus esse dubitandum; — si dubia; jam hoc saltem erit certum: dubie (seu forsitan) de omnibus esse dubitandum; — aut abibimus in infinitum et nullum erit systema doctrinae; — e.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Argumenta ostendunt solum, sceptico inesse quamdam necessitatem subjectivam instinctivam adhaerendi quibusdam quae ab aliis habentur ut objective certa; a. ad ostendendam contradictionem, oporteret insuper probare, eis scepticum adhaerere ut objective certis; e. — ad min. posset scepticus cogitare: his adhaereo, sed forsitan fallor. — R. d. maj. ostenditur necessitas mere subjectiva, n; necessitas primitiva, naturalis, ob motiva objectiva adhaerendi pluribus ut objective certis, e. — n. supp. min. — ad prob. min.: d. posset... contradicendo philosophice naturali suae certitudini, c; secus, n.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Sceptico objicitur: qui dubitat de omnibus, saltem certus est de suo dubio; a. hoc argumentum non valet; e. — prob. min. assensus certus est actus positivus qui a conscientia percipitur; dubium est solum negatio actus certi, quae a conscientia non percipitur; e. de dubio nec potest nec debet dari certitudo. — R. tr. maj. — d. min. contra eum qui serio et positive dubitat, exercendo mentem suam, et renitendo ex motivo vel ob finem positivum contra adhaesionem suam primitivam, naturalem, n; contra negative dubitantem, mentem suam non exercentem, tr. — ad prob. min.: d. ant. dubium positivum, renitens... est sola negatio, n; negativum, e.

**Objic. 3<sup>o</sup>** Sceptico objicitur: qui affirmat nullam dari veritatem, ipsam hanc saltem affirmat dari; a. hoc argumentum non valet; e. — prob. min. scepticus non affirmat hanc ipsam, sed de ipsa dubitat, et solam affectionem suam subjectivam manifestat. — R. tr. maj. — d. min. contra scepticum qui illud principium ut inconcussum fundamentum sui systematis habet, n; contra alium qui interrogando potius procederet, quam deducendo systema, tr.

**Objic. 4<sup>o</sup>** Experientia constat homines in pluribus erravisse, ergo potius abstinendum. — R. d. ant. necessario, ob rei evidentiam, n; ex imprudentia, et absque evidentia, e.

**Objic. 5<sup>o</sup>** Scepticismus est methodus maxime ab errore immunis. — R. n. (est cumulus errorum!).

**Objic. 6<sup>o</sup>** Ratio humana est essentialiter et semper fallibilis et finita. — R. d. semper et essentialiter est, circa res non evidentes, ex imprudentia, erroris capax, c; est circa res omnes, ex natura sua, in errorem prona, n.

**Objic. 7<sup>o</sup>** Sicut voluntas in malum, ita ratio in falsum tendere potest. —

R. d. Sicut voluntas in malum quod appareat sub specie boni ita ratio in falsum quod appareat sub specie veri, ex propria imprudentia et vincibiliter tendere potest, c; secus, n.

**Objic. 8<sup>o</sup>** Ratio dum errat, aut novit suum errorem, aut non; a. si prius, jam nullus error; — si posterius, jam nulla certitudo; e. — R. d. maj. aut novit, aut non novit sed nosse posset, c; secus, n. — d. min. 1<sup>m</sup> part. c; — 2<sup>m</sup> part. sd. si nec nosset nec nosse posset, c; si nosse potens, ex imprudentia nescit, n.

**Objic. 9<sup>o</sup>** Si quid admittitur ut certum: hoc aut gratis sine probatione, aut cum probatione in infinitum, aut cum probatione per circulum vitiosum; a. haec omnia sunt contra rationem; e. — R. n. maj. (sed non gratis, ob evidentiam objectivam immediatam, sine probatione).

**Objic. 10<sup>o</sup>** Simul doces scepticum refutari non posse, et ecce refutas contradictionem ostendens! — R. d. directe refuto, n; indirecte, sd. ipsi sceptico ostendens, n; aliis, e.

**Objic. 11<sup>o</sup>** Scepticismus nequit scientificè refutari; e. scientificè non rejiciendus est. — R. tr. ant.; — n. cons. (refutatur sufficienter indirecte).

**Coroll.** Ergo quaerere rationem et dimittere sensum, infirmitas quaedam est intellectus; i. e. quando res omnium sensui est manifesta, non debent admitti rationes et sophismata contraria, sed solvi, vel imo, etsi solvi non possent, rejici debent.

### Propositio 20.

Scepticismus objectivus partialis, ut factum internum, nequit dari in actibus mere directis; et ut doctrinae systema logice duceret ad scepticismum universalem.

**Notiones.** Objectivus partialis: qui negat totum aliquem ordinem certitudinis, v. e. suprasensibilem, vel existentiae corporum, vel historiae, vel ratiocinii.

*Mere directis:* nullo modo reflexis; spectatur ut actus internus.

*Logice duceret:* si quis vellet illis principiis stare, et illud accipere quod ex eis logice sequitur; spectatur scepticismus ut systema doctrinae.

*Ad scepticismum universalem:* qui ex supra dictis est falsus et intrinsece absurdus; unde 1) nec physice homini possibilis, nec in ullo unquam existens, — 2) quidquid logice ad illum ducit, ipso facto est item falsum et absurdum.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (nequit dari).** Actus directus est spontanea operatio; a. spontanea operatio naturaliter adhaeret vero sufficienter proposito, in quocumque ordine veritatum; e.

*Ad maj.* Operatio spontanea est quae fit sine imperio voluntatis.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (duceret...).** Principia scepticismi partialis sunt: 1) dubitandum esse de tendentia naturali mentis nostrae ad verum in aliquo ordine, 2) evidentiam veram a falsa non posse discerni in hoc ordine; a. haec logice ducunt ad scepticismum universalem; e.



*Prob. min.* Si dubitandum est in aliquo genere de tendentia ad verum et de evidentia, nulla datur ratio cur non item in omni ordine; *e.*

**Objic. 1°** Principium scepticorum est : ibi dari cognitionem veram et certam ubi datur identitas inter cognoscentem et cognitum, secus non; *a.* tale principium non ducit ad scepticismum universalem; *e.* — *R. d. maj.* quia ibi adsit evidentia ostendens impossibilitatem oppositi, *c.*; ob aliam causam, *n.* — *d. min.* si nulla daretur evidentia objectiva in alio ordine, *c.*; si datur, *n.*

**Objic. 2°** Ad veram certitudinem requiritur comparatio inter cognitionem et rem; *a.* talis comparatio est impossibilis, *e.* — *R. d. maj.* requiritur ut intellectus, sui actus conscius, implicite cognoscat ex necessitate rei, evidentia, conformitatem suam cum re, *e.*; requiritur alia comparatio sicut inter duas res, *n.* — *e. d. min.*

**Objic. 3°** Non datur pons inter cognitionem et cognitum (quo transeat cognoscens ad explorandam veritatem cognitionis suae). — *R. 1°* in ordine ideali, *n. supp.* (totum manet in cognitione). — *2°* in ordine reali : *a)* de existentia ipsius cogitantis, *n. supp.* (est identitas cognoscentis et cogniti). — *b)* de existentia aliorum, *n. supp.* (fit relatio ad ordinem objectivum ut causam, ex subjectiva modificatione ut effectui); et *n. al. supp.* (etiam ob incognitum modum non licet negare factum).

### Propositio 21.

In actibus reflexis possibilis quidem est scepticismus objectivus partialis actualis, non tamen habitualis.

**Notiones.** *Actibus reflexis* : philosophice reflexis. i. e. quibus, imperante voluntate, mens suum priorem actum directum considerat, ejusque motiva, eorumque vim et applicationem.

*Actualis* : actus particularis hic et nunc dubitandi.

*Habitualis* : status seu dispositio mentis ad dubitandum de veritate cognitionis, quoties haec menti occurrit.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (actualis).** Actus reflexus habetur ubi mens proprium actum directum cum suis motivis considerat; *a.* ubi mens considerat suam certitudinem directam, naturalem, primitivam, potest ex imperio voluntatis immodice considerare absentiam praevisi ratiocinii, et necessitatem subjectivam admittendi veritatem; atque ex his deducere dubium aliquod; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (non habitualis).** Hoc dubium habituale supponeret mentem aut non habuisse, aut amisisse id quod requiritur ad certitudinem cognitionis in aliquo ordine; *a.* mens semper habet, nec amittere potest...; *e.*

*Prob. min.* In omni genere in quo haberi potest evidentia, habetur certitudo primitiva et naturalis; *a.* quod est primitivum et naturale habetur semper nec amitti potest; *e.*

**Scholion.** De scepticismo mitigato. *R.* Est etiam absurdus, nam 1) nihil

admittit ut certum; *a.* hoc est absurdum, est enim scepticismus universalis, aut vix ab illo differt. — 2) admittit actus dari dubios vel probabiles; *a.* ita simul jam debet supponere ut certum cognitum : *a)* quid sit certum, quid probabile, et haec differre, — *b)* quid sit motivum probabilitatis; et illud existere, et percipi a mente cognoscente.

### Propositio 22.

Qui vellet nihil nisi demonstratum admittere ut certum, opus aggredereur inutile et scepticum.

**Stat. quaest.** Contra scepticismum inquisitorum, rationalistarum.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (inutile).** Demonstratio fit ut veritas ex percepta connexione cum praemissis evidentibus, fiat et ipsa evidens et certa; *a.* talis operatio est inutilis cum jam veritas est per se ob suam evidentiam certa (ut fit in multis); *e.*

*Prob. min.* Si quid proprietatem habet ex se, non debet eam ab alio mutuari, v. c. sol lucem ab alio mutuari non debet.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (scepticum).** Demonstratio est deductio ex principiis certis; *e.* principia illa aut sunt admittenda ut certa per se; aut probanda ex aliis certis; at illa iterum aut assumenda..., aut probanda..., et porro in infinitum; *a.* ita redditur impossibilis omnis demonstratio et certitudo, quod est scepticum; *e.*

**Objic. 1°** Rationabile non est aliquid admittere pro certo, sine ratione sufficiente; *a.* prima principia admittere pro certis sine demonstratione, est ea admittere sine ratione sufficiente; *e.* — *R. c. maj.* — *n. min.* (ratio seu motivum sufficiens est immediata evidentia).

**Objic. 2°** Si non omnia possunt demonstrari, admittenda erunt quaedam gratis, ut certa; *a.* *a)* nullum dabitur criterium cur unum prae altero admittatur, — *b)* nullus certus indicatur numerus eorum quae sint admittenda, — *c)* nihil non aliquando fuit admissum, aliquando negatum, v. c. principium : « ex nihilo nihil fit ». — *R. d. maj.* gratis, *n.*; ob evidentiam objectivam, *c.* — *ad min. a)* : *n.* (evidentia). — *ad b)* : *n.* (omne evidens). — *ad c)* : *d.* admissum ob evidentiam, et postea negatum ab humana ratione sana, *n.*; a scepticis renitentibus actu reflexo non durante, *c.* — *ad inst.* : *d.* eodem sensu, *n.*; jam alio sensu, *c.* (ex nihilo, i. e. ibi nihil fuit, et : ex nihilo ut materia...).

### ARTICULUS 3.

De primis veritatibus certis.

### Propositio 23.

Tres veritates, propria cujusque existentia, principium contradictionis, aptitudo rationis ad verum cognoscendum, saltem implicite in omni iudicio percipiuntur.

**Notiones.** 1) Tres istae veritates saepe vocantur respective : primum

factum, primum principium, prima conditio; — dicuntur etiam veritates primitivae.

2) *Saltem implicite*: potest enim homo etiam explicite de illis aliquando cogitare.

*Implicite (= exercite)*: ita ut harum veritatum elementa in aliis judiciis jam contineantur, i. e. in ipso exercitio alterius actus.

*Explicite (= signate)*: ita ut hic et nunc iudicium fiat de iis veritatibus, per novum proprium signum, cognitionem.

**Prob.** Implicite percipitur illud cuius elementa in ipso exercitio alterius actus continentur; *a.* tres istae veritates ita se habent in omni iudicio; *e.*

*Prob. min. per part.* 1) *principium contradictionis*. Qui aliquid certo vel dubie iudicat, exercite iudicat impossibilitatem vel possibilitatem oppositi; *a.* sic exercite iudicat et applicat principium contradictionis; *e.*

*Ad min.* Ideo oppositum est impossibile, quia res ita se habet necessario ut oppositum ex principio contradictionis repugnet; — vel ideo oppositum est possibile, quia non ita necessario...; *e.*

2) *Aptitudo... et existentia*. Qui iudicat... conscie refert suam cognitionem ad ordinem objectivum; *a.* sic exercite percipit factum primum, et percipit applicatque conditionem primam; *e.*

#### Propositio 24.

**Tres illae veritates sunt fundamentum omnis iudicii certi.**

**Notiones.** *Fundamentum*; non: *fons cognitionis*, ex quo ut ex praemissa ratiocinii aliae veritates deduci possint; — sed: *praesuppositum necessarium* ut aliud iudicium quodcumque possit certum esse.

*Tres veritates* illae simul sumptae, ita ut nulla deesse possit ad certitudinem quaecumque.

**Prob. 1°** Fundamentum certitudinis omnis sunt veritates tales ut 1) si negentur vel dubiae habeantur, jam nulla possibilis sit certitudo, — 2) si admittantur, jam possibilis sit vera certitudo de omni evidenter apparente veritate, — 3) singulae in suo ordine nulli alii veritati praesuppositae nituntur; — *a.* tales sunt istae...; *e.*

*Prob. min. per part.* 1) *si negentur*. In omni iudicio implicite illae veritates percipiuntur; *a.* qui illas negaret vel dubias haberet, non jam illas perciperet implicite, sed illarum oppositum perciperet; *e.*

2) *si admittantur*. Ut iudicium certum habeatur, requiritur et sufficit, ut percipiatur a) res ita esse, b) in ordine objectivo, c) ob motivum a mente perceptum; — *a.* haec tria percipiuntur quoties aderit evidentia, dummodo admittantur tres veritates primitivae; *e.*

3) *nulli nituntur*. In ordine ideali, primum est principium contradictionis; — in ordine reali, primum est propria subjecti existentia; — quoad nexum utriusque ordinis, primum est aptitudo rationis ad res cognoscendas; *e.*

**Prob. 2°** Fundamentum omnis certitudinis sunt veritates quae necessario praesupponantur ad possibilitatem certitudinis; *a.* istae tres veritates...; *e.*

*Prob. min. per part.* 1) *primum factum*. Nulla datur cogitatio nisi in aliquo cogitante; *e.* nulla cogitatio certa nisi praesupponatur existentia cogitantis.

2) *primum principium*. Nulla datur certitudo nisi excludatur possibilitas oppositi; *a.* nisi praesupponatur principium contradictionis, poterit res simul esse et non esse, seu includetur semper timor oppositi.

3) *prima conditio*. Nihil potest esse nisi possit esse, seu: nisi supponatur possibile, ergo nisi certitudinis capacitas supponatur, non poterit unquam sperari certitudinis adeptio.

**Objic.** Iudicium v. c. «Deus existit» verum esset etiamsi non supponatur primum factum vel prima conditio; *e.* illis non fundatur. — *R. d. ant.* iudicium objective sumptum pro ipso enuntiabili, *c.*; subjective pro vero cognito in cognoscente, *n.*

#### Propositio 25.

**Tres illae veritates demonstrari nec possunt nec debent.**

**Prob. 1° pars (non possunt)**. Illud demonstrari non potest quod ad ipsam demonstrationem praesupponendum esset; *a.* ad omnem demonstrationem tres illae veritates...; *e.*

*Prob. min.* Omnis vera demonstratio est ex praemissis certis; *a.* praemissa certa nulla est nisi praesuppositis illis...; *e.*

**Prob. 2° pars (non debent)**. Demonstrari non debet id quod 1) est immediate evidens, — 2) ipsa negatione aut dubitatione affirmatur; — *a.* tres veritates illae...; *e.*

*Ad min. ad 1)* patet. — *Ad 2)* in omni iudicio hae veritates implicite continentur; *a.* ipsa negatio jam est aliquod iudicium; — et ipsum dubium etiam universale, jam multa ut certa praesupponit et implicite affirmat.

**Objic. 1°** Impossibile est demonstrare veritatem rationis; *a.* talis demonstratio requiritur ad verum certo acquirendum; *e.* — *R. d. maj.* demonstrare stricte, *c.*; agnoscere in evidentia sua immediata, *n.* — *c. d. min.*

**Objic. 2°** Nequit immediate agnosci ratio ut verax nisi per petitionem principii; *e.* — *R. d. ant.* et hoc ita est ex defectu rationis, *n.*; ex ipsa natura veritatis hic percipiendae, *c.* — *n. supp. cons.* (quaerendam esse rationabiliter aliam demonstrationem, praeter ipsam evidentiam immediatam, praesertim quum neque negari possit quin hoc ipso affirmetur).

**Objic. 3°** Huiusmodi cognitio est relativa tantum. — *R. d.* relativa sensu sceptico, i. e. cum formidine oppositi, *n.*; relativa ad rationem nostram, i. e. sufficienter evidens ad plenam certitudinem, *c.*

## Propositio 26.

In methodica dubitatione Cartesii multa sunt vitia gravissima.

**Stat. quaest.** 1) Quaerens Cartesius nihil admittere nisi probatum, volens tamen non omnem certitudinem pessumdare, sed scientificè potius stabilire, eum putavit processum mentis ineundum : a) de omnibus prorsus, etiam evidentissimis, conatur dubitare, imò falsa reputare donec probentur ; — b) cum de propria sua cogitatione et existentia dubitare non valeat, statuit id primum philosophandi initium, principium : « cogito, ergo sum ! » — c) hinc deducit legem universalem : « id omne est verum, quod clare et distincte percipitur ! » — d) inde ab idea clara et distincta Dei, ejus existentiam demonstrat ; — e) ex Dei existentia et veracitate, veracitatem nostrarum facultatum infert, et exinde certitudinem cognitionum nostrarum.

2) Duplex dari potest dubium methodicum : e) moderatum, tentatum, non serium, scilicet si quaeramus an et quomodo probari possint singulae veritates, et quo fundamento nitantur cognitiones nostrae ; non vero velimus negare quidquid probare non potuerimus ; — b) immoderatum, scepticum, serium, ita ut velimus negare quidquid non probabitur.

3) Moderatum dubium methodicum bonum est ; — immoderatum videtur in mente Cartesii fuisse, et certe a Cartesianis propugnatur.

4) Quum in methodo, quae scientifica esse velit, gravissima sint vitia si claritas deficiat, ita ut quid strictè velit auctor nescias ; et si contradictionibus non careat methodus, ita ut eadem simul rejiciat et admittat ; et si petendo principium procedat, ita ut eadem illa quae probanda sibi proponat ac negare donec probentur velit, praesupponat tamen ut certa ex quibus hauriat probationem ; hinc fit ut sufficere nobis possit si per duas partes propositionem ostendamus, scilicet claritatem deesse, et contradictiones ac petitiones principii adesse.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (claritas deest).** 1) nititur argumentis scepticorum ; e. dubium serium tenere videtur, imò alibi explicite tenet ; — alibi tamen dubium tentatum solum videtur invehere ; — 2) utitur argumentis scepticorum universalium ; e. dubitare videtur de omnibus, etiam de existentia Dei ; — attamen simul a dubio suo excipit totum ordinem religiosum, tenetque ut certum.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (sibi contradicit et petit principium).** Dubitat, et negat prima principia, etiam in ordine ideali ; a. ipsis utitur passim in concludendo ; e.

**Prob. min.** Si totum cartesianum processum per singulos gressus inspiciamus, in singulis offendimus ; v. c. 1) propriam cogitationem et existentiam admittit, quia dubitare nequit ; e. ob veracitatem rationis quae nondum probata est.

2) Admittit hominem de hoc solo facto suae cogitationis invincibilem habere certitudinem ; a. eadem necessitate certus immediate est de aliis etiam factis aliarum facultatum (volitionis, motus...) ; e. gratuito et sibi contradicendo eligit solam conscientiam cui fidat, cetera facta probare quaerens.

3) Formula « cogito, ergo sum » aut significat antecedens et conclusionem, sed tum praesupponit veracitatem rationis in concludendo, et veritatem hujus praemissae subauditae : « quidquid cogitat, est » et principium convenientiae ; — aut non exprimit ratiocinium, sed factum simplex identicum bis expressum (cogito, i. e. sum res cogitans, i. e. sum res aliqua existens) sed tum praesupponit saltem veritatem objectivam idearum universalium : « cogitationis, subjecti cogitantis, existentiae, » et cognitionem certam relationis necessariae inter cogitationem et subjectum cogitans, inter subjectum cogitans et subjectum existens... ; e.

4) Argumentum : « ideae clarae Dei quae est in me, debet dari causa, et quidem proportionata ; a. haec causa non est finitum ; e. est infinitum existens. » Supponit in majore : principium causalitatis ; in minore et consequente : principium contradictionis et exclusi medii ; in consequentia : principium convenientiae et discrepantiae ; in toto processu : veracitatem rationis ; e.

5) Dein ex idea clara Dei probat Dei existentiam ; et ex Dei existentia veracitatem facultatum, et ipsius ideae clarae ; e.

## QUAESTIO 4.

## De mediis ad certitudinem acquirendam.

Post theoreticam quaestionem solutam, de existentia certitudinis et de medio apto, mentis nostrae nimirum capacitate, practica manet discutienda quaestio, quibus scilicet modis, seu quibus mediis naturalibus mens nostra utens, et quibus adhibitis cautelis servatisque regulis, ad veram certitudinem pervenire possit. Quae media sunt tria, ac proinde sint articuli discussionis tres :

Articulus 1. De experientia, primo medio certitudinis.

Articulus 2. De intellectuali discursu, secundo medio.

Articulus 3. De testimonio humano, tertio medio.

## ARTICULUS 1.

## De experientia, primo medio ad certitudinem.

Est autem experientia duplex : interna altera, altera externa ; et post experientiam habitam manet ejus imaginatio et memoria. Quae distincte explicanda triplicem facient paragraphum :

§ 1. De sensu intimo, seu experientia interna.

§ 2. De sensu externo, seu experientia externa.

§ 3. De imaginatione et memoria.

## § 1. DE SENSU INTIMO.

## Propositio 27.

Omnis certitudo, subjective spectata, in sensu intimo aliquod fundamentum habet.

**Notiones.** 1) *Certitudo, subjective...* : adhaesio ipsa, sine formidine...; opponitur certitudini objective spectatae, i. e. motivo tanto ut expellat formidinem...; potestque unum haberi sine altero. — Alia est haec divisio certitudinis subjective et objective spectatae, ac divisio superius data certitudinis improprie dictae (subjectivae tantum) et proprie dictae (subjectivae simul et objectivae).

2) Sensus intimus est facultas percipiendi facta interna ipsi subjecto percipienti, simulque ipsum subjectum percipiens; — factum subjecto internum aut est in sola anima rationali, v. c. cogitatio, volitio, aut in composito ex corpore et anima, v. c. fames, febris, frigus; ad primum percipiendum requiritur facultas spiritualis, quae vocatur *conscientia*; ad secundum, facultas sensitiva, quae vocatur *sensus intimus*; et residere videtur in systemate nerveo, inveniturque etiam in brutis. De utraque facultate simul sumpta per modum unius hic tractatur nomine latiore *sensus intimi*. Ejus actus sunt mere subjectivi, nullam habentes relationem ad naturam objectorum externorum ut in se sunt.

3) Neque confundi debent *sensus intimus*, i. e. sensus intimus proprie dictus, sensitivus, et conscientia directa, cum *conscientia reflexa*, nam a) sensus intimus potius passive se habet, semper paratus referre quaecumque modificationem sensibilem subjecti, et illam necessario referens quoties aliqua datur; — b) conscientia autem reflexa, est facultas intellectualis, non semper parata, sed libere se vertens ad percipienda facta, per sensum intimum exhibita, et ea percipiens intelligibili modo.

4) *Aliquod fundamentum* i. e. non ratio cur res sit vera, vel motivum ostendens hanc veritatem; sed conditio sine qua non possumus esse certi de veritate.

**Prob.** Nulla certitudo subjectiva esse potest, nisi intellectus sibi conscius sit se percipere motiva veritatis; a. percipere motiva veritatis est factum internum, quod sensus intimus refert; e.

## Propositio 28.

Testimonium sensus intimi de existentia phaenomenorum subjectivorum, de existentia subjecti, et de natura phaenomenorum generica, ab omni errore est immune.

**Stat. quaest.** 1) Dicimus : judicia immediata, quae pro objecto habent propria percipientis facta subjectiva, propriam existentiam, et naturam fac-

torum illorum, dummodo ferantur *secundum* testimonium sensus intimi, et nihil aliunde addatur, esse necessario vera. — Agitur de *natura generica*, non specifica, phaenomenorum, v. c. distinguit dolorem a dulcedine, sed non semper discernit quis, qualis dolor, quomodo causatus.

2) Pro judiciis de natura factorum internorum requiritur, ut conditio necessaria, rationis usus, et sanitas systematis nervei.

3) Quamquam phaenomenon a sensu intimo exhibitum, est essentialiter subjectivum, seu subjecti affectio, tamen illud phaenomenon esse in hoc subjecto est veritas objectiva, seu est aliquid objective, realiter verum.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*de phaenomenis*). Aliquam affectionem sentiri, seu per sensum intimum renuntiari, idem est atque illam affectionem haberi: e. non potest renuntiari quae non habetur; e. judicia conscientiae reflexae, nitentis sensui intimo, falsa esse non possunt de existentia phaenomeni.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*de existentia subjecti*). Aliquam affectionem suam experiri, est experiri se aliquomodo affici; a. affici nequit nisi aliquod subjectum existens; e. experiri suam affectionem signate, est simul experiri exercite seipsum ut subjectum existens.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*de natura phaenomeni*). Sensus intimus necessario tale exhibet phaenomenon, quale afficit hic et nunc subjectum; e. si subjectum est bene dispositum (ratione utens et sano systemate nerveo), exhibetur phaenomenon tale quale hominem naturaliter afficere debet; e.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Sensus intimus multa nobis interna non refert; e. falsus. — R. tr. ant. — d. cons. falsus negative, e; positive, n.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Stulti errant in judiciis conscientiae. — R. d. circa factum quod experiuntur, n; circa ejus naturam, sd. si judicant secundum solum sensum intimum, n; si secundum turbatam phantasiam, c.

**Objic. 3<sup>o</sup>** Non poterit unquam constare de recto usu rationis vel de recta dispositione sensus interni. — R. n. 1) induceres scepticismum! — 2) de ratione constabit per conscientiam usus expediti omnium facultatum. — 3) de systemate nerveo constabit comparatione suarum affectionum cum affectionibus aliorum, quas testantur se iisdem adjunctis habere.

**Objic. 4<sup>o</sup>** Saepe in amputato membro sentitur dolor, frigus. — R. d. in ipso membro, n; in ea nervorum ramificatione, sd. confuse sentitur, et ope imaginationis ac consuetudinis distincte refertur ad extremitatem absentem, c; secus, n.

## § 2. DE SENSU EXTERNO.

## Propositio 29.

Testimonio sensus externi, prout est affectio subjecti, certo constat de existentia proprii corporis.

**Notiones.** 1) *Organum* in genere est pars viventis ad aliquam functionem naturaliter destinata. — *Sensorium* est organum animantis ad sensationes

recipiendas destinatum. — *Sensatio* est affectio vitalis quaedam sensorii, animali exhibens aliquid extensum et resistens, ipsi praesens. — *Sensus* est facultas experiendi sensationes.

2) *Sensus* et *sensatio* nequit haberi in corpore solo, quantumvis organo, sed solum in vivente; habetur enim a) materialis modificatio organi ab agente externo, et b) hujus impressionis experientia ab animali, i. e. a composito ex anima et corpore.

3) De natura corporum non agitur hic, sed solum de existentia; intelligimus hic *corpus*: aliquid extensum (quod realiter spatium divisibile occupat) et resistens (quod impedit alteri occupationem simultaneam ejusdem spatii).

4) *Prout est affectio subjecti*: *sensatio* potest considerari quatenus est subjecti affectio, vel quatenus est objecti externi repraesentatio.

*Certo constat*: *sensus* externus praebet intellectui (conscientiae) materiam iudicii immediati infallibilis.

**Prob.** Testimonium *sensus* externi, prout est subjecti affectio, falsum esse nequit; a. *sensus* externus..., testatur nos esse extensos et resistentes, i. e. habere corpus; e.

*Ad maj.* *Sensatio* externa, prout est subjecti affectio, est objectum *sensus* intimi; a. hic non fallitur; e.

*Prob. min. per part. 1) extensos.* Per *sensum* intimum nobis certo constat: a) nos diversas sentire in nobis affectiones v. c. caloris, frigoris; — b) has modificationes sentiri a nobis in diversis spatii partibus; — et nos ipsos ita affectos sentiri in variis partibus spatii; — c) has affectiones et nos illis affectos sentiri a nobis in partibus continuis spatii; — a. diversas spatii partes occupare, est esse extensum; e.

2) *resistentes.* Per *sensum* intimum nobis certo constat, in aliquibus sensationibus externis, v. c. tactus, partem quamvis nostri extensi resistere alteri ejusdem parti, et esse illi impenetrabilem; e.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Eodem *sensu* intimo nobis constat nos non habere sensationes seu perceptiones sensibiles externas, nisi quae ad 5 reducantur genera: visum, auditum, gustum, odoratum, tactum.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Has diversas perceptiones haberi in diversis, iisque constanter eisdem partibus corporis, et non aliis; e. 5 haberi sensoria.

### Propositio 30.

**Sensationes corporum, quae dantur in nobis, operationi Dei, corporibus non existentibus, tribui non possunt.**

**Notiones.** *Sensationes*... prout sunt repraesentativae corporum aliorum extra nos.

*Tribui non possunt*: ita explicari causa, cur corpora nobis repraesententur, non potest, ut corpora ipsa non existant, sed Deus omnipotens in nobis ipse eas producat repraesentationes, i. e. ita ut possibile sit corpora non existere, dum nobis apparent subjective.

**Prob.** Si has sensationes quales habemus (universaliter, naturaliter, primitive, invincibiliter) Deus produceret, corporibus non existentibus, naturam rationalem universam in errorem invincibilem artificiose impelleret; a. hoc repugnat ejus veracitati, bonitati, sapientiae; e.

*Prob. maj. per part. 1) in errorem.* Hae repraesentationes quales in nobis sunt, exhibent nobis realitates: a) ut a nobis distinctas, — b) ut nostrarum repraesentationum causas, vel saltem occasiones, — c) ut excitantes in nobis motum appetendi, fugiendi, horrendi; — a. haec omnia essent falsa; e.

2) *invincibilem.* Persuasio illa de objectivitate corporum est una ex illis adhaesionibus naturalibus, primitivis, de quibus supra; quam neque deponere possumus, nisi renitendo positive, et ad brevissimum quidem tempus; quae tanta cum evidentia adest, quanto de ulla re haberi potest; e.

3) *artificiose.* Deus saltem potuisset liberam suam omnipotentem operationem aliquo modo nobis manifestare; a. nullo modo manifestat, nec manet nobis medium eam suspicandi; e.

*Ad maj. (potuisset).* a) libertas actionis manifestatur per modum variabilem in agendo; — b) omnipotentia per modum independentem.

*Ad min. (non manifestat).* a) sensationes secundum necessarias quasdam leges ex parte objectorum produci videntur; — b) saltem indirecte a nobis pendent, quatenus pro lubitu organo nostris utimur, vel non, et sensationes habemus, vel non.

*Prob. min. per part. 1) repugnat veracitati* omnis falsitas scienter et volenter alii imposita, praesertim si invincibiliter.

2) *repugnat bonitati* talis praesentatio plurimarum occasionum malum physicum patendi, et in malum morale ejusque poenas incidendi; praesertim si hujus praesentationis nulla rationabilis sufficiens datur causa, et malus praevideatur ac voluntarie procuratur effectus; — a. ita esset si...

3) *repugnat sapientiae*: a) operari sine fine digno; a. hujus Dei operationis nullus est finis Deo dignus; e.

*prob. min.* Finis ille esset aut ut homo Deum laudet ob falsam suam persuasionem, aut ut homo delectetur per eam, aut ut ipse Deus ex ea delectetur; — a. insulsum est ad Dei laudem requiri talem errorem, vel ad hominis delectationem requiri, vel ad Dei delectationem posse quidquam conferre; e.

b) *repugnat sapientiae* idem simul velle et nolle, simul facere et impedire; a. ita egisset Deus creando naturam rationalem...; e.

*prob. min.* Natura rationalis ad veritatem acquirendam nata est, eaque perficitur (ut patet ex ejus naturali tendentia); e. Deus eam creando vult hunc finem ut veritate perficiatur; — a. hunc finem ipse nollet et impediret si...; e.

**Scholion.** Quaeritur utrum repugnet etiam ut *mali genii* operationi tribuantur sensationes, corporibus non existentibus. — R. Ille genius aut esset a Deo independens aut dependens; — si prius, abibimus in absurditates polytheismi et atheismi; — si posterius, repugnat ut Deus verax bonus

sapiens permittat, ab aliquo sibi subdito finem suum *penitus* impediri, et hominem constanter et invincibiliter falli.

**Objic. 1°** Non est Deo neganda potentia excitandi sensationes etiam corporibus non existentibus. — R. d. potentia absolute, *c*; relate ad veracitatem, bonitatem, sapientiam, *n*. (i. e. potentia absoluta, *c*; potentia ordinata, *n*.).

**Objic. 2°** Ratio potest corrigere deceptionem; *e*. non opponitur veracitati... R. n. ant. et n. supp. (absurda esset facultas, quae *natura sua* in falsitatem ferretur, quam constante nisu contrario corrigere deberet *ex natura sua*).

**Objic. 3°** De facto Deus decipit in casu particulari, v. c. prophetam in extasi; *e*. potest semper. — R. d. ant. ob finem aliquem cognoscibilem, pro tempore tantum, cum mediis agnoscendi deceptionem, *c*; secus, *n*. (vel R. n. totum).

### Propositio 31.

Sensationes corporum quae dantur in nobis, nec internae animi nostri conformationi, nec operationi nostrae, tribui possunt, corporibus non existentibus.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (non conformationi).** Animus est simplex; *a*. substantia simplex *per se* non nisi ad simplicia sibi repraesentanda determinatur; *e*. animus *per se* (i. e. *natura sua*) non corpora sibi repraesentat.

**Prob. min.** Determinatio ex ipsa naturae necessitate procedens, congruere debet subjecto et causae; *a*. hic supponitur et subjectum simplex (anima necessitata), et causa simplex (non corpora existentia et influentia, sed anima sibi repraesentans corpora); *e*.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (non operationi).** Haec operatio esset aut libera, aut necessaria; *a*. neutri potest tribui...; *e*.

**Prob. min. per part. 1) (non liberae).** a) teste sensu intimo, sensationes externas, nec quando nec quomodo volumus, excitamus; sed patimur etiam quando et quomodo nolumus.

b) Teste sensu intimo, maxime differunt eae phantasiae repraesentationes quas libere excitamus, et externi sensus repraesentationes, — praesertim quoad intensitatem, — successionem, — dependentiam, — variabilitatem.

c) Ignoti nulla cupido, seu: in ignotum ferri voluntas nequit; *e*. non fertur nisi in objectum jam notum; *a*. hic supponeretur ex voluntate oriri objecti notitiam, imo ipsum objectum; *e*.

2) (non necessariae). Necessitas haec oriretur aut ex ipsa animi natura, aut ex vi praeiudicii concepti; *a*. utrumque repugnat; *e*.

**ad min. a) non ex animi natura,** nam esset interna animi conformatio, cfr. sup.

**ad min. b) non ex praeiudicio,** nam A. haec persuasio est primitiva, universalis, constans, invincibilis; *a*. nullum praeiudicium tale est, vel talem gignit persuasionem; *e*.

B. hoc praeiudicium aut nititur facto reali aliquo existentiae aliquorum

corporum, aut nullo; — *a*. si prius: habemus quod volumus, — si posterius: praeiudicium hoc non est rationale, et si est rationi necessarium, jam ratio non est ratio; *e*.

### Propositio 32.

Sensationes corporum, quae sunt in nobis, determinantur ab ipsis corporibus, quae sunt ut exhibentur: aliquid a nobis distinctum, extensum et resistens.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (determinantur).** Causa harum sensationum excogitari solum posset aut propria nostri animi natura, aut ejus operatio sive libera sive necessaria, aut Dei operatio corporibus non existentibus, aut Dei operatio corporibus existentibus harmonica occasionalis, aut ipsa corpora praesentia; — *a*. nulla praecedentium est vera; *e*. sola ultima.

**Ad maj.** Omnis excogitabilis causa erit:

nobis intrinseca		
}	ipsa natura, conformatio nostra — — — — —	1
	accidens nostra operatio	
	{ libera — — — — —	2
{ necessaria — — — — —	3	
nobis extrinseca		
}	ipsum corpus praesens — — — — —	4
	aliud ens nobis superius (Deus vel genius) in nos agens	
	{ ita ut decipiat: repraesentando quae non sunt — — — — —	5
{ ita ut non decipiat: harmonice repraesentando quae adsunt — — — — —	6	

**Ad min.** In praecedentibus jam sunt exclusa 1, 2, 3, 5. — Solum restat ut excludatur 6<sup>m</sup>: corpora existentia et praesentia possunt in nostros sensus naturaliter agere, nec possunt sua naturali activitate naturaliter privari; *a*. insulsum est ut Deus semper supernaturaliter interveniat, praesertim ubi nulla necessitas; *e*. (ad maj. Cfr. cosmolog.).

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (sunt a nobis distincta, extensa, resistentia).** Corpora sunt causa sensationum nostrarum, et quidem talia qualia percipiuntur; *a*. teste sensu intimo, corpora percipiuntur ut a nobis distincta, extensa, resistentia; *e*.

**Ad maj. 1) esse causam** probatum est supra.

2) **Esse talia qualia.** Si daretur diversitas inter corpora et eorum repraesentationem, hujus diversitatis deberet esse aliqua causa; *a*. nulla dari potest; *e*.

**Ad min.** Recurreret argumentum primae partis (supra); et addendum: non ipsa corpora, nam quale esse tale operari, seu: nemo dat quod non habet; *e*. corpora producere nequeunt sui imaginem quae non sit sua.

**Schol. 1<sup>m</sup>** Quaeritur quomodo certitudinem de corporum existentia acquiramus. — R. 1° **Certitudinem vulgarem:** a) ex analogia cum proprio corpore, v. c. manus tua et manus mea per oculum visae eadem producant sensationem; *a*. scio per sensum intimum meam manum esse extensam, resistentem;

*e.* et tua erit. — b) ex inductione ab aliis plurimis sensationibus, quae semper constanter idem testatae, et conformes cum sensationibus omnium aliorum hominum. — c) ex naturali et invincibili propensione judicandi res ita esse ut sensus, si bene ordinentur, eas exhibent.

2<sup>o</sup> *Certitudinem philosophicam* : a) ex absurditate intrinseca scepticismi, qui vitari non poterit nisi admittatur veracitas sensuum et existentia eorum. — b) ex Dei veracitate et sapientia, quae non possit nos invincibiliter fallere, universaliter et constanter (supponitur hic existentia Dei, cfr. theodic.).

3<sup>o</sup> Est ergo certitudo haec physica, et immediate ad metaphysicam reducibilis...

**Schol. 2<sup>m</sup>** *Quid de hallucinantium phantasmatis*, saepe non minus vividis quam sensationes externae sint? — R. Hallucinantibus aut manet usus expeditus omnium facultatum, aut non; — *si manet* : possunt per reflexionem, per sensus externos, per comparisonem cum aliis hominibus, discernere phantasmata falsa a veritate; — *si autem* : sunt potius amentes; — imo etiam tum error erit de casibus particularibus, non de universa corporum omnium existentia.

**Coroll. generale.** Ergo testimonium sensus externi de existentia eorum a nobis distinctorum est ab omni errore immune.

### Propositio 33.

**Testimonium sensus externi de corporum sensibilibus propriis est ab omni errore immune.**

**Notiones.** 1) *Sensus externi* : agitur de sensationibus prout sunt repraesentativae qualitatum sensibilibus in corporibus existentium.

*Testimonium sensuum* est solum de praesentia sensibilibus, non de eorum natura (de qua cfr. cosmolog.).

*Sensibilibus propriis* : iis qualitibus corporum, quae per singulos seorsim sensus externos percipiuntur; — ea sunt pro visu : colores; — pro auditu : soni; — pro odoratu : odores; — pro gustu : sapes; — pro tactu : mollities et durities, laevitas et asperitas, frigus et calor.

*Ab errore immune* : dummodo a) sensus sit bene dispositus, et b) iudicium fiat immediatum.

2) *Sensus bene dispositus* dicitur : si a) est sanus, i. e. ex intrinseca organi conditione aptus ad objecta bene percipienda, — b) si est rite applicatus, i. e. ita cum objecto opportune conjunctus, ut percipere hic et nunc distincte possit.

*Non bene dispositus* : si est impedimentum in organo vel in medio. — Cognoscere possum meos sensus esse bene dispositos : a) ex harmonia plurium sensationum mearum variis temporibus, vel variis sensoriis habiturum; — b) e comparatione mearum sensationum cum ceterorum hominum sensationibus.

3) *Judicium immediatum* est quod aliud objectum non habet nisi id quod sensus testatur; — *mediatum* esset quod de alio objecto concluderetur post sensus testimonium.

**Prob. 1<sup>o</sup>** Sensus externi sunt homini media naturalia cognoscendi de sensibilibus propriis omnia quae ejus interest cognoscere; *a.* si ita est, sensus bene dispositi circa proprium objectum falli non possunt; *e.*

*Ad maj.* a) Datur in homine invincibilis propensio judicandi rem ita esse, quoties sensus bene dispositus rem ita refert; — b) item invincibilis propensio recurrendi ad testimonium sensuum, quoties inquirere vult qualis sit res; — c) neque ad aliud cognoscendi medium, natura duce, recurrit, quoties sensum habere bene dispositum sibi conscius est.

*Prob. min. (si ita est).* Secus medium illud naturale nos duceret per se in errorem invincibilem; — *a.* 1) sequeretur inde scepticismus universalis, — 2) refunderetur ille error invincibilis in Deum naturae auctorem; *e.*

**Prob. 2<sup>o</sup>** Sensationum, ut sunt in nobis, causa sunt objecta externa; *a.* effectui proportionata esse debet causa; *e.* ubi tales sunt sensationes, talia sunt objecta.

*Ad maj.* Si sensus est bene dispositus, nulla datur alia ejus modificationis causa quam ipsum objectum externum; *e.*

*Ad min.* Quale operari, tale esse; seu : nemo dat quod non habet; *e.* objectum non potest aliter apparere ac est (N. B. agitur de objecto proprio sensuum).

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo etiam sensus male dispositus, dummodo hujus malae dispositionis conscius sim, fons mihi cognitionis verae esse potest; nam per rationem erit corrigendum testimonium immediatum sensus quod in se est falsum, ... neque eruendus est oculus luscus!...

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ea determinatio materialis (immutatio, modificatio) quam producit objectum externum in organum vivens, dicitur *species sensibilis impressa*; — reactio sensus, seu facultatis viventis, et juxta speciem impressam percipientis objectum externum, dicitur *species sensibilis expressa*; haec est ipse actus cognoscendi, quatenus est aliquid in cognoscente productum. — Quae sit objective natura speciei impressae, varie pro vario suae scientiae stadio explicarunt physici et physiologi (Cfr. psycholog.).

**Objic. 1<sup>o</sup>** Docent hodie physici qualitates sensibiles non esse in corporibus quales percipiuntur. — R. *d.* docent, et valide probant, *n.*; docent et pro probatione afferunt gratuitas et impossibiles hypotheses, quibus suppositis, calculo mathematico cetera jam aptantur, *c.* (Cfr. cosmol.).

**Objic. 2<sup>o</sup>** Docent hodie physici et physiologi, structuram organorum apud omnes homines (a fortiori, apud omnia animantia) non esse eandem etiam quoad minima; — *a.* a structura organorum necessario pendet eorum modificatio, ac sensatio; — *e.* non eadem est apud omnes homines sensatio, ac proin saepissime et apud plurimos falsa. — R. *ad maj.* docent et quidem vere, *c.* — *d. min.* pendet modificatio, *c.*; pendet sensatio, *sd.* si immediate

modificationem sentiremus (visionem videremus, tactum tangeremus...), et ea mediante ad objectum externum pertingere deberemus, *c*; si illam (teste sensu intimo) non sentimus sensu externo, sed immediate objectum externum, *n*. (Cfr. psychol.).

### Propositio 34.

Testimonium sensus externi de corporum sensibilibus communibus est ab omni errore immune.

**Notiones.** *Sensibilia communia* sunt eae corporum sensibiles qualitates quae sive per singulos sensus seorsim percipiuntur, sive per plures simul; ea sunt extensio, figura, magnitudo, distantia, motus, quies.

*Ab errore immune*: dummodo *a*) sensus sit bene dispositus (sanus et rite applicatus), — *b*) applicentur plures sensus simul, — *c*) fiat iudicium immediatum secundum testimonium sensuum.

**Prob. 1<sup>o</sup>** Sensus externi plures simul applicati sunt homini media naturalia cognoscendi de sensibilibus communibus quidquid ejus interest cognoscere; *a*. si ita est, sensus externi bene dispositi, et plures simul applicati, circa sensibile commune falli non possunt; *e*.

*Ad maj. et ad min.* Cfr. argumentum propositionis praecedentis.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Sensationum ut sunt in nobis causa sunt objecta externa; *a*. effectui proportionata esse debet causa; *e*. ubi plures sensus simul afficit objectum, tale debet esse ut sensationem illam communem producere possit, seu: tale est quale apparet; *e*.

*Ad maj. et ad min.* Cfr. argumentum propositionis praecedentis.

*Ad conseq. v. c.* 1) visu percipio colorem in pluribus spatii partibus non interruptis, tactu simul percipio planitiem in iisdem spatii partibus sed non ultra; iudico immediate corpus adesse extensum...

2) Visu percipio colorem successive in pluribus spatii partibus, tactu simul duritiem eadem successione in iisdem partibus, auditu simul percipio sonum eidem successioni congruum; iudico immediate corpus adesse in motu.

3) Visu percipio hominem immotum, tactu solam planitiem: iudico immediate adesse picturam; — vel si percipio hominem moventem se, iudico esse speculum.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Motus iudicabitur jure, si mihi constet me esse immotum; secus corrigere debet ratio perceptionem motus apparentis seu relativi. (Cfr. physic.)

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Circa sensibilia communia ordinario sunt applicandi maxime *visus et tactus*; unde illi duo sensus vocantur prae aliis *sensus discretivi*, i. e. quibus maxime discernuntur corporum qualitates sensibiles, et quibus etiam discernuntur sensationum causae externae objectivae a causis internis subjectivis, v. c. auditu percipio sonum, statim visu quaero objectum; quod nisi invenio, iudico mihi aures tinnire subjective tantum.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Sensus externus, quatenus utitur simul pluribus sensoriis circa idem objectum, vocatur etiam *sensus communis*, et invenitur etiam in animalibus aliis.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Multo usu quem fere continuo de rebus ordinariis habemus, fit aliqua sensuum quasi educatio, qua possumus etiam singulorum sensuum fidere testimonio de sensibilibus communibus magis ordinariis, v. c. solo visu percipio distantiam XL pedum circiter; sed erro de distantia X leucarum.

**Objic.** In demonstratione hujus et praecedentis propositionum, supponuntur ut cognita: natura nostrorum sensuum, et normae in eorum usu servandae; *a*. haec cognitio nequit haberi nisi per sensus externos; *e*. inciditur in circulum vitiosum. — *R. c. maj.* — *n. min.* (habetur per sensum intimum referentem sensationes externas ut sunt facta subjectiva; et perfectius etiam per conscientiam reflexam).

### Propositio 35.

Testimonium sensus externi circa sensibile per accidens, non quidem est falsum positive, sed facile in errorem inducit.

**Notiones.** *Sensibile per accidens* est ipsa substantia quae sensui exhibetur per sensibilia propria et communia.

Substantiam percipere et ejus naturam in se, solius est intellectus; sed quia sensibilia nunquam exhibentur nisi ut praesentia in aliquo substrato, quod dicitur substantia, propterea ipsum hoc substratum aliquo modo attingitur sensu, scilicet per suum accidens sensibile.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (non fallitur).** Falsitas positiva ibi dumtaxat est, ubi nota quae rei non inest, repraesentatur ut in re praesens; *a*. circa sensibile per accidens, sensus non refert notam alienam rei; *e*.

**Prob. min.** Sensibile per accidens est ipsa substantia quatenus exhibet sensui, non propriam suam naturam, sed sua accidentia sensibilia; *a*. circa haec accidentia sensibilia sensus non falluntur; *e*.

*Ad min.* Haec accidentia sensibilia sunt sensibilia propria vel communia sensuum.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (facile inducit).** Ubi accidentia sensibilia (saltem aliqua) sunt prorsus eadem, sensus refert prorsus eodem modo (saltem quoad illa); *a*. talibus sensibilibus possunt subesse substantiae prorsus diversae; *e*.

*Ad min. v. c.* rosa flos vividus, — rosa lignea apprime sculpta et colorata, — rosae imago coram speculo concavo.

**Coroll.** Ergo si quis error habebitur, is refunditur in intellectum temere iudicantem; — occasionaliter tamen refunditur in sensum.



## § 3. DE IMAGINATIONE ET MEMORIA.

## Propositio 36.

**Imaginatio per se quidem non fallitur, sed facilem reddit errorem.**

**Notiones.** *Imaginatio* seu *phantasia* est facultas sensitiva formandi sibi per repraesentationem idola quaedam sensibilia, sive objectorum antea per sensationes perceptorum, sive aliorum quae ex habitis sensationibus fingere potest.

Imaginatio non est sensus aliquis, sed dicitur facultas sensitiva, quia ex ipso sensu dependet, et per organum materiale (cerebrum, ut physiologis videtur) exercetur. Est ergo facultas apprehensiva, imo etiam inventiva.

*Per se*: si sana, et si *judicium immediatum* sit solum juxta apprehensionem.

— Sana erit imaginatio si in organo sano, et si ex circumstantiis non ultra modum excitata.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*per se non...*) *Imaginationis officium* est aut fingere novas, aut revocare jam notas imagines ex sensationibus habitis; *a.* in utroque per se non fallitur; *e.*

*Ad min.* a) Si imagines notas fideliter reddit..., patet.

b) Si non illas fideliter reddit, sed fingit novas, imaginatio, teste experientia, si bene est disposita non refert imagines a se fictas ad ordinem objectivum ut existentes...

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*facilem reddit...*) 1<sup>o</sup> *Imaginatio inter ceteras facultates sensitivas hoc proprium habet, quod non pendet a praesentia objecti; a.* ex omnium aliarum usu facultatum, assueti sumus perceptiones nostras referre ad ordinem objectivae praesentiae; *e.* etiam istas, nisi attendat intellectus, pronum erit erronee referre...; *e.*

**Prob. 2<sup>o</sup>** Ut errorem inducat facultas sensitiva, sufficit eam non esse sanam, et de hac praesenti mala dispositione non actualiter satis constare; *a.* imaginationem non esse sanam facile contingit, et difficilius quam de aliis sensibus constat; *e.*

*Ad min.* 1) Organum totum est internum; *e.* minus ipsum examini subjacet quoad conformationem et sanitatem... (imo adhuc nesciunt medici quae requiratur vel melior sit cerebri conformatio et dispositio).

2) Post vividiores aliquam sensationem veram, sufficit saepe minima circumstantia, ut in nova sensatione ultra modum afficiatur imaginatio, v. c. ab inimico mala passus, postea video alium hominem similiter ambulans: hunc mihi refert imaginatio ut male mihi volentem; atque haec vocatur *associatio phantasmatum*.

## Propositio 37.

**Testimonium memoriae positive falsum esse nequit.**

**Notiones.** 1) *Memoria* generatim est facultas recognoscendi affectiones suas praeteritas, ut suas, et ut praeteritas. Consideratur hic in suo actu, non in sua natura (de qua cfr. psychol.) — est duplex: sensitiva, intellectualis.

2) *Actus memoriae sensitivae* duo elementa includit: a) imaginationem rei antea perceptae, — b) imaginationem affectionis subjectivae ex illa re antea habitae; — quae duo percipiuntur *per modum unius concreti*: v. c. bestia domita percipit domitoris bacillum et adustionem propriam per modum unius, quasi dicas: dolorem subjectivum ita vestitum coloratum loquentem...

3) *Actus memoriae intellectivae* includit item: a) perceptionem rei jam ante perceptae, — b) perceptionem hanc rem jam antea fuisse perceptam: v. c. legi librum; nunc percipio res quas legi, et me eas legisse.

4) Ergo differt memoria a sensu intimo et conscientia, eo quod conscientia percipimus affectiones proprias praesentes, memoria praeteritas.

5) Ut habeatur actus memoriae, requiritur aliqua facultatis exercitatio; haec aliquando habetur *spontanea* ex perceptione nova ejusdem rei, vel rei cum illa connexae; — vel habetur *voluntaria* ex imperio voluntatis. — Spontanea est ordinario magis confusa reminiscencia rei, minus attendendo ad affectionem subjectivam olim habitam.

6) Probatio hujus propositionis magis explicite pertinet ad memoriam intellectualem, quia memoria sensitiva magis immediate reducitur ad imaginationem, et videtur minor fuisse disputatio adversariorum.

**Prob.** Illa est admittenda auctoritas ut verax, quae 1) summa evidentia nititur, — 2) sine contradictione impugnari nequit, — 3) fundamentum est aliquomodo totius ordinis humanae vitae, — 4) essentialis est humanae naturae; — *a.* tale est testimonium memoriae; *e.*

*Prob. min. per part.* 1) (*evidentia*). Memoriae testimonium si debitis ornatur conditionibus, includit: a) perceptionem claram, distinctam, — b) ipsius perceptionis praeteritae propriae, ut propriae, et ut praeteritae; — *a.* sic habetur evidentia; *e.*

2) (*impugnari nequit*). Nulla potest emitti propositio quin hoc ipso praesupponatur memoria; *a.* negatio veracitatis memoriae, ipsa jam esset aliqua propositio; *e.*

*ad maj.* a) In rigore, tempus praesens est indivisibile momentum, atque vix aut non percipi potest; *e.* dum praedicatum affirmo, jam subjectum non percipio nisi per memoriam.

b) Propositio constat verbis; *a.* horum significationem nec ipse loquens, nec audiens intelligit nisi per memoriam; *e.*

c) Etiam *judicium internum*, cujus propositio signum est externum, praesupponit ideas, earumque comparisonem, unde percipiatur earum identitas vel diversitas; *a.* haec percipi nequit nisi supponatur per memoriam retineri ideas; *e.*

3) (*fundamentum ordinis*). Ordo vitae humanae, sive physicus, sive moralis, sive socialis, sive religiosus, requirit certitudinem de nostra et aliorum existentia, identitate, actionibus, relationibus...; *a.* haec omnia prorsus ignorantur vel incerta sunt, nisi memoriae fides habeatur; *e.*

*ad min.* Praesens non est nisi unica hic et nunc perceptio.

4) (*essentialis*). Teste sensu intimo et testimonio universali hominum, datur in nobis adhaesio certa, invincibilis, constans, universalis, primitiva, de omnibus quae testatur memoria sub debitis conditionibus; *e.*

**Schol. 1<sup>m</sup>** Stricta non est haec probatio, nam sicut in impugnando, ita et in probando jam praesupponitur memoriae fides; est ergo potius scientifica expositio rei. — Idem passim in logica censendum est de argumentis.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Ergo haec una est ex veritatibus primitivis, nec demonstrari debet nec potest.

**Schol. 3<sup>m</sup>** Infidelitas, quae saepissime datur, memoriae, falsitas negativa est, non positiva, i. e. debilitatur reproducendi vis, et jam non recordamur.

**Schol. 4<sup>m</sup>** Si quando adest falsitas positiva, non memoria causa est, sed levitas et temeritas iudicii, reminiscitiam unam vagam referentis ad aliud.

**Schol. 5<sup>m</sup>** Attendendum saepe, ne circumstantias facti quod memoria refert, confundamus cum circumstantiis alterius recordationis ejusdem facti, jam aliquando habitae.

## ARTICULUS 2.

*De intellectuali discursu, secundo medio ad certitudinem.*

Statutum quidem est quaestione tertia praecedente nostro intellectui possibilem esse certitudinem, imò etiam aliquam necessario existere, ac proinde mentem nostram esse medium aptum ad habendam certitudinem; attamen alia nunc superest explicatio quaerenda, quid et quomodo valeant singulae mentis operationes ad veritatem certo attingendam. Distincte igitur de ideis, et de iudiciis, et de ratiociniis tractandum habemus; sed quum praeterea in hominum genere inveniuntur persuasiones aliquae quasi ingenitae, quae vulgo veritates sensus communis audiunt, de iis addenda erit aliqua notitia.

Insuper de processu in pluribus scientiis valde usitato, nimirum de inductione, ac de ipsa scientifica methodo disserendi locus inveniatur. Sint ergo:

§ 1. De simplici apprehensione.

§ 2. De iudicio.

§ 3. De ratiocinio.

§ 4. De sensu naturae communi.

§ 5. De inductione.

§ 6. De scientia et methodo.

### § 1. DE SIMPLICI APPREHENSIONE.

#### Propositio 38.

**Ideis exhiberi objectivum valorem, est veritas per se indemonstrabilis: sed ab ipsis eam negantibus, aut de ea dubitantibus, admittenda, et evidens.**

**Notiones 1.** Idea seu simplex apprehensio mentis differt a sensatione, maxime quod

<i>Sensationis objectum</i>	<i>Ideae objectum</i>
est aliquid <i>individuale</i> , v. c. hoc album — — — — —	esse potest aliquid <i>universale</i> , v. c. album.
sunt proprietates <i>mere extrinsecae</i>	esse potest ipsa rerum <i>essentia</i> .
est aliquid <i>concretum</i> — — —	esse potest aliquid <i>abstractum</i> .
exhibetur <i>ut praesens</i> — — —	exhiberi potest <i>ut absens</i> .

2) *Objectivus valor*, vel *objectiva realitas* ideae habetur si a) idea notas aliquas exhibet, — et si b) istae notae reapse insunt in rebus ipsis ad quas haec idea referenda necessario est ob experientiam internam vel externam.

3) *Per se* i. e. ob intrinsecam impossibilitatem talis demonstrationis, ex natura rei; non propter imperfectionem intellectus nostri.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (indemonstrabilis).** Demonstratio fieri nequit nisi per tres ideas objective reales; *e.* in demonstratione hujus realitatis jam supponeretur id quod esset probandum.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (sed... admittenda) 1<sup>o</sup>** Etiam qui negaret ideae objectivam realitatem, terminis uteretur in suppositione reali; *e.* jam istas ideas terminis expressas supponeret esse objective reales.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Ut quis serio dubitet de valore objectivo idearum, debet habere motivum vel finem ita dubitandi contra inclinationem naturalem; *a.* istud motivum, vel finis, jam supponit (includit) aliquas ideas ut objective reales; *e.*

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (evidens immediate) 1<sup>o</sup> de idea entis.** Mens nostra, quum per sensum intimum vel externum aliquid sibi offertur, percipit oblatum istud necessario esse aliquid, seu non posse esse hic et nunc nihil; *e.* percipit necessitatem ut notio entis illi conveniat.

**Prob. 2<sup>o</sup> de ceteris ideis a).** Idea entis habet objectivum valorem; *a.* in ea continentur et ex ea per analysim evolvuntur *prima principia*; *e.*

b) *Prima principia* habent objectivum valorem; *a.* ex eis, mediante experientia, fluunt ceterae ideae; *e.* (minor probatur infra ubi de inductione).

**Coroll.** Ergo sicut certitudo primitiva dogmatismi, ita et objectivitas ideae entis, et primorum principiorum, et aliarum idearum, est indemonstrabilis, sed innegabilis, ob evidentiam; *e.* non gratuito ex subjectiva necessitate admittitur ut contendit Kant.

**Objic.** Per ideas non objecta in seipsis percipimus, sed eorum imagines tantum; *a.* nescimus num imagines sint objectis vere similes; *e.* — *R. n. maj.* (idea non est *id quod* percipitur, sed *id quod* mens in se exprimit, dum intelligit ipsa objecta sibi praesentia, est ergo *id quo* percipitur objectum).

## Propositio 39.

**Nominalismus purus est falsus.**

**Stat. quaest.** 1) Post propositionem praecedentem manet difficultas : quatenam sit objectivitas idearum universalium ; nulla enim res existit nisi singularis.

2) Respondent *nominalistae* negando suppositum ; nullam scilicet dari dicunt ideam universalem, sed solum terminos (vocabula) universales ; non enim nos cognoscere quidquam nisi per sensus, adeoque non nisi singularia, quae sola existunt ; universalia ergo esse mere vocabula, seu signa, quibus successive diversa singularia designamus, vel, ad summum, plura collective confuse complectimur.

3) Probandum igitur est : terminis universalibus correspondere realiter ideas quae sint revera universales, distributivae, seu quae repraesentent unum aliquod quod totum possit pluribus inesse, et totum de singulis praedicari.

**Prob. 1°** Vocabulis universalibus respondent aliqui conceptus ; *a.* isti conceptus non sunt singulares, nec collectivi ; *e.*

*Ad maj.* Teste conscientia, vocabulum non adhibetur nisi ad excitandum in mente conceptum seu repraesentationem, sive soni materialis, sive rei significatae (prout adhibetur in suppositione materiali vel formali) ; *e.*

*Ad min. 1<sup>m</sup> part. (non singularis).* Conceptus singularis ille est qui unico applicari potest individuo omnino determinato ; *a.* terminus universalis applicatur eadem significatione pluribus individuis ; *e.*

*Ad min. 2<sup>m</sup> part. (non collectivus).* Terminus collectivus praedicatur de pluribus collective, non distributive ; *a.* terminus universalis praedicatur de pluribus distributive, non collective tantum ; *e.*

**Prob. 2°** Ideae universales sunt quae repraesentant illas notas quae pluribus sunt communes individuis, et in singulis illis totae inveniuntur ; *a.* talis idea necessario praesupponitur quando termino universali utimur ; *e.*

*Prob. min.* Termino universali utimur ad exprimendam similitudinem quam percipimus pluribus inesse ; *a.* perceptio illa similitudinis quae pluribus insit, est idea talium notarum... ; *e.*

**Objic. 1°** Entia non sunt multiplicanda sine necessitate ; *a.* universalia sufficienter explicantur, si sint vocabula, quasi breves catalogi, recapitulationes, plurium singularium ; *e.* — *Ad min.* Verificatur definitio : unum in multis... — *R. c. maj.* — *n. min.* — *ad rat. addit :* *d.* unum in multis collective sumptis, *tr* ; in multis distributive ; *n.*

**Objic. 2°** Quidquid existit singulare est ; *a.* universale non est singulare ; *e.* — *R. c. maj.* — *e. min.* — *d. cons.* universale non existit a parte rei ut universale, *c* ; nihil existit quod praebeat fundamentum nostris ideis universalibus, *n.*

**Objic. 3°** Quidquid existit, certo loco, tempore, modo, existit ; *a.* universale non... ; *e.* — *R.* (Item...).

**Objic. 4°** Universale est unum in pluribus ; *a.* a) hoc unum non distingueretur a singularibus, — b) singularia non distinguerentur inter se, — c) idem contradictoria susciperet, v. c. homo hic stat, ibi non stat ; *e.* — *R. d. maj.* unum formaliter existens ut unum, in pluribus, *n* ; unum praedicatum (sed quaeritur quomodo) in pluribus, *c.* — *c. d. min.* si esset unum formaliter, ut unum, in pluribus existens, *c* ; si praedicatur identice de pluribus, licet existat solum fundamentaliter unum universale, *n.*

**Objic. 5°** Universale est intrinsece impossibile quoad existentiam, ergo etiam quoad conceptum... (Hume). — *R. c. antec.* — *n. cons. et supp.*

**Objic. 6°** Ideam universalem haurimus ex singularibus pluribus, non omnibus, ergo repraesentat plura, non omnia (est collectiva, non universalis). (Robinet). — *R. tr. ant.* — *n. cons. et supp.* (potest mens alio modo, v. c. abstracto, sibi res repraesentare, ac sunt).

## Propositio 40.

**Conceptualismus est falsus.**

**Stat. quaest.** Ad eandem difficultatem respondent *conceptuales*, negando aliud suppositum ; concedunt scilicet dari ideas universales, sed negant eas habere aliquam objectivitatem realem ; ergo non esse quaerendum quatenam illa sit. — Dicunt ideam universalem esse conceptum mere subjectivum sine fundamento in re ; nam conceptam illam convenientiam inter plures res non existere.

Igitur probandum, esse a parte rei, seu objective, aliquod fundamentum, cur idem conceptus universalis sit pluribus distributive applicabilis.

**Prob.** Si dico : *Plato est homo, Joannes est homo, Caesar est homo*, id quod exprimit idea « homo » est aliquid reale quod est in P. J. C. ; *a.* hoc aliquid reale non est singulare, nec collectivum ; *e.*

*Prob. maj.* De P. J. C. praedicatur « homo » univoce ; *a.* id quod praedicatur non est nomen ipsum « homo », nec conceptus ipse prout est in mente ; *e.* est aliquid reale conceptui respondens.

*ad min. (non nomen nec conceptus).* Sensus non est : *P. est nomen « homo »* — vel *P. est conceptus hominis...*

*Prob. min. 1) (non singulare).* Individuis pluribus non potest tribui univoce, id quod est unius singulare proprium ; *e.* falsae essent dictae propositiones.

2) *(non collectivum).* Distributive univoce de pluribus nequit praedicari collectivum ; *a.* hic ita praedicatur ; *e.*

## Propositio 41.

**Formae platonicae sunt absurdae.**

**Stat. quaest.** 1) Ad eandem quaestionem, respondent alii : ideis universalibus respondere realitates objectivas universales ; quod varie explicant.

2) Explicant platonici, existere realiter universalia, seu naturas quasdam communes, aeternas, incorruptibiles, per se subsistentes, separatas a singularibus, et singularia participatione sibi constituentes, tamquam vera principia intrinseca (=formas).

3) Ratio ita explicandi erat : Universalia concipiuntur ut aeterna, necessaria, immutabilia...; *a.* talia non sunt singularia, illa etiam de quibus praedicantur universalia ut realiter vera; *e.* universalia non sunt singularia, sunt tamen realiter vera, existentia.

4) Probandum igitur est, universalia separata a singularibus, et per se subsistentia, non posse existere realiter.

**Prob. 1°** Aut solae substantiae ita per se subsisterent universales, aut etiam accidentia universalia; *a.* si primum, non omnia universalia explicantur; — si secundum, existeret v. c. albedo nulli inhaerens, motus nulli inhaerens et seorsim ab omni velocitate et directione; quae etiam seorsim pro se existerent universales; quae sunt absurda; *e.*

**Prob. 2°** Aut solae species ita subsisterent, aut etiam genera; *a.* si primum, non omnia universalia explicantur; — si secundum, existeret vivens universale, quod nec vegetale, nec sensitivum, nec rationale; substantia universalis, quae nec materialis nec immaterialis; quae sunt absurda; *e.*

#### Propositio 42.

**Ontologismus est absurdus.**

**Stat. quaest.** 1) Eandem responsionem, ideis universalibus respondere realitates objectivas universales, ontologistae sic explicant : Universalia sunt ipsae ideae Dei, seu ipse Deus, quem immediate contemplantes, percipimus etiam ejus ideas; nam universalia concipiuntur ut aliquid aeternum, absolute et ab intrinseco necessarium, immutabile; *a.* talis non est nisi Deus; *e.*

2) Aliqui ontologistae dividunt universales ideas, in *notiones*, i. e. genera et species, et in *ideas* proprie dictas, v. c. veri, boni, pulchri, et admittunt quidem *notiones* haberi per abstractionem, sed *ideas* non nisi ex immediata Dei contemplatione.

3) Probandum igitur, universalia a parte rei non posse esse ipsum Deum, vel ejus ideas immutabiles (subjectivas).

4) Cfr. *Liberatore*, della conosc. intell. part. 2, cap. 3; — *Dupont*, ontolog. thèse 105.

**Prob.** Secundum ontologistas, universalia sunt ipsae ideae Dei, seu ipse Deus; *a.* si ita est, non possunt absque pantheismo hae ideae praedicari per identitatem et univoce de rebus finitis; *e.*

*Ad min.* Ubi dico : *Petrus est homo*, vel : *Joannes est bonus*, si « *homo* » et « *bonus* » significant ideam Dei, seu ipsum Deum, sensus erit : *P. est idea Dei*, seu : *P. est Deus, J. est Deus*; — nam praedicantur per identitatem et univoce.

**Coroll.** Aliqui *ontologistae mitigati* dicunt universalia esse ideas quas nos

ipsi, Deum contemplantes, nobis de rebus efformamus. — R. Sic jam vitatur pantheismus, — sed : 1) universalia jam non sunt ideae Dei quas contemplerur, — 2) nec sunt ipsa attributa Dei, ut dicunt iidem alibi, — 3) nec sunt absolute et ab intrinseco aeterna et necessaria, sed solum ab extrinseco et contingenter, — 4) inutilis est, et sine fundamento asseritur illa contemplatio immediata Dei, sed sufficit contemplatio ipsarum creaturarum.

**Objic. 1°** Universalitas nullo modo rebus inexistit; *e.* nullo modo ex eis hauriri potest. — R. *d. ant.* universalitas ut aliquid reale objectivum, *c.*; ut aliquid abstracte conceptum, *n.*; — *d. cons. pariter.*

**Objic. 2°** Sensus non percipit nisi concretum singulare; *e.* ex illo nequit intellectus haurire universale nisi ob sibi innatam formam ideae universalissimae et abstractissimae entis (i. e. ob sibi essentialem et continuam contemplationem entis supremi, Dei) quae per sensationem excitatur et determinatur... — R. *c. ant.* — *n. cons.* (sed per abstractionem... cfr. infra).

**Objic. 3°** Quod primo intellectus in re aliqua percipit, est nota universalissima entis; *a.* hanc non praebet sensatio (sed solam perceptionem singularium effectuum rei in sensu); *e.* eam percipit sibi innatam. — R. *d. maj.* quia haec ut *talis* primo offertur, *n.*; quia hanc, ut imperfectissimam et inchoativam rei repraesentationem, actu suo imperfecto et inchoativo, primo abstrahit (i. e. percipit ante alia), *e.* — *c. d. min.* hanc ut *talem* (ut abstractam) non praebet, *c.*; hanc cum ceteris concretam non praebet, *n.*

#### Propositio 43.

**Rejiciendus est realismus a parte rei.**

**Stat. quaest.** Eandem responsionem : dari realitates objectivas universales, realistae exaggerati sic explicant : individua participant eandem naturam, sed haec natura est una, non specificè tantum, sed numerice una identica in omnibus individuis. — Existit haec una natura universalis non separata a singulis in seipsa, vel in Deo, sed solum in individuis distributa; ergo singula non differunt inter se nisi accidentibus, quae non sunt universalis. — Et comparant SS. Trinitatem jam facilem explicatu!! — Cfr. Laforêt, dogmes cathol. vol. 1.

**Prob. 1°** Si universalia existerent formaliter, realia, naturae scilicet universales, sequeretur 1) neque accidentibus individua distingui, 2) unam tantum esse naturam universalem; — *a.* haec non possunt admitti (esset enim hic pantheismus, a quo tamen ipsi adversarii horrent); *e.*

*Prob. maj. per part. 1) (non accidentibus).* Eadem ob causas ac naturae, deberent existere universalis accidentia in individuis; *a.* quod unum est pluribus commune (i. e. universale), hoc non distinguit ista plura ab invicem; *e.*

*ad maj. (eadem ob causas)* : a) accidentia sunt aequè universalis ac naturae, et suas habent species et genera, i. e. essentias; — b) nisi admittantur acci-

dentia universalis existens, non explicantur omnes ideae universales, ac manet quaestio integra.

2) (*una natura universalis*). Universalis sunt non solum species et genera proxima, sed et genera suprema; imo universalissimum est *ens*; *e.* deberent existere v. c. unum vivens, una substantia, unum ens universale, seu omnia existens essent unum ens.

**Prob. 2°** Naturae secundum adversarios existerent essentialiter simul universales, et non nisi in individuis; — *a.* sic eadem natura esset simul essentialiter una (universalis) et essentialiter multiplex (in individuis); — simul essentialiter communis (universalis) et essentialiter singularis (nonnisi in individuis); — quae sunt contradictoria; *e.*

**Objic. 1°** Natura est de se, ante mentis operationem, pluribus communicabilis. — *R. n.* (sunt naturae plures similes, per mentis abstractionem uno conceptu intelligibiles).

**Objic. 2°** Natura nequit adaequate contrahi in uno individuo; — (nam alia repugnarent). — *R. d.* natura abstracte concepta ut universalis, *c.*; natura qualis est realiter, *n.* — *d. par. rat. add.*

**Objic. 3°** Natura secundum se est ens; *e.* est unum; *a.* non unum singulare; *e.* unum universale. — *R. d. 1<sup>m</sup> assert.* natura est ens i. e. est existens, *n.*; i. e. est aliqua notio cogitabilis, *c.* — *d. cetera pariter.*

**Objic. 4°** De Petro et de Paulo eadem praedicatur humanitas, et hoc cum veritate; *e.* — *R. d. ant.* eadem humanitas ut notio abstracta, *c.*; ut reale identicum quid, *n.*

**Objic. 5°** *Contra argum. 1<sup>m</sup>* Etiamsi concedatur accidentia esse universalis, possunt singulae eorum combinationes singularia distinguere. — *R. n.* a) etiam singulae combinationes sunt totidem universalis; — b) quo plura universalis combinarentur, i. e. conjungerentur in unum, eo magis augetur universalitas subjecti, nedum restringeretur ad individuationem.

#### Propositio 44.

**Universale directum existit in rebus singularibus secundum id quod concipitur, non secundum modum quo concipitur.**

**Stat. quaest.** Ad propositam quaestionem respondent peripatetici: universalis esse conceptus mentis cum fundamento in rebus, scilicet:

1) A parte rei non dantur nisi individua entia, existens in suo esse totaliter distincto ab omnibus aliis etiam ejusdem speciei;

2) Entia ista individua habent notas similes inter se, et alias non similes, quibus singula afficiuntur;

3) Intellectus actu directo considerans aliquod individuum, potest percipere illas notas quae sunt huic cum aliis communes, et simul non percipere alias illas notas quae sunt huic soli propriae. — Sic concipit aliquod unum quod pluribus inesse potest, seu *universale directum*.

4) Universale directum est igitur nota, vel complexus notarum, essentia percepta, quae est una pluribus communis, sed non percepta ut pluribus communis; per se ergo illa essentia prout percipitur, nec est singularis, nec universalis, sed abstracta, et apta ut concipiatur sive ut singularis, sive ut universalis.

**Prob.** Id quod concipitur in universali directo, sunt ipsae notae rei; — modus quo concipitur est abstractio a notis aliis individuantibus; — *a.* ipsae notae realiter existunt in rebus, — abstractae a notis individuantibus non existunt in rebus; *e.*

*Prob. min. per part. 1) (ipsae existunt)* Ista notae praedicantur per identitatem de rebus singularibus; *a.* non possent, nisi realiter inessent; *e.*

2) (*abstractae non...*) Nihil universale separatum existit, sed omnia quae existunt sunt individua; *e.* non existunt nisi cum suis notis individuantibus.

**Schol. 1<sup>m</sup>** *Quomodo fiat illa abstractio.* — *R.* Sicut oculus videt colorem pomi, sed odorem non percipit, ita intellectus, vi sua naturali, etiam sine ullo voluntatis imperio, percipit in objecto singulari notas maxime generales aliquas, non autem statim simul omnes notas quae rei insunt; — ergo rei perceptae nihil addit per hanc abstractionem, sed non omnia percipit; — unde falsus negative dici posset ille conceptus comparatus rei, non autem falsus positive. — *Cfr. S. Thom. 1. p. q. 85. a. 1.*

**Schol. 2<sup>m</sup>** *Recte dividitur* (relate ad id quod...) universale directum in categorias seu praedicamenta decem: omnia enim entia realia (seu omne id quod concipitur et est in rebus finitis) ad haec reducuntur. (*Cfr. ontolog.*)

#### Propositio 45.

**Universale reflexum formaliter existit in mente solum, fundamentaliter in rebus singularibus.**

**Notiones.** 1) Reflectendo potest intellectus comparare suum conceptum unum abstractum (universale directum) cum pluribus individuis, et percipere ejus aptitudinem ut in pluribus inveniatur, et de pluribus per identitatem praedicetur. — Sic percipit *universale reflexum*, i. e. universalitatem sui conceptus prioris, seu universale cognitum qua tale.

2) Distinguenda est *reflexio vulgaris*: actus quo iterum, majori attentione, cogitatur de eodem objecto ac prius; — *reflexio philosophica ontologica*: actus quo de ipsis notis cogitatur quae prius conceptae erant; — *reflexio philosophica psychologica*: actus quo cogitatur de ipso priore actu cogitandi vel volendi. — Agitur hic de reflexione ontologica.

3) *Existit*; scilicet conceptus objectivus, i. e. ipsum objectum conceptus reflexi, seu universalitas.

*Formaliter*, i. e. realiter, de facto, ut universale. — *Fundamentaliter*, i. e. non realiter ut universale, sed aliquid quod praebeat fundamentum ad concipiendum universale.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*in mente...*). Universale reflexum est objectum actus reflexi; *a.* objectum actus reflexi non potest esse nisi in mente solum; *e.*

*Ad maj.* Universalitas notarum (universale reflexum) non percipitur nisi novo actu comparante notas jam perceptas (universale directum) cum pluribus individuis, et percipiente eas posse eodem modo pluribus inesse; — *a.* quod ita solum percipitur, est objectum actus reflexi (nam actus percipiens notas jam perceptas non est nisi actus reflexus); *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*in rebus*). Adest in rebus singularibus vera similitudo notarum, talis ut uno conceptu istae notae repraesentari possint; *a.* hoc est sufficiens fundamentum ut percipiat intellectus, illo uno istarum notarum conceptu posse repraesentari plures illas ipsas res singulares; *e.*

**Schol. 1<sup>m</sup>** *Quomodo fiat illa reflexio.* — R. *a.* Mens in reflexione ontologica pro objecto cogitationis suae sumit ipsas notas abstractas prout fuerunt actu directo conceptae; et illas percipit esse aptas ut insint eadem pluribus singulis; — *b.* at istam universalitatem non in illis ponit, sed invenit, percipit inesse; — *c.* ut illam universalitatem percipiat, necessaria est (initio saltem) comparatio plurium individuorum similium; — *d.* postea jam, usu ordinario generalisandi, capax fit intellectus, etiam sine comparatione plurium, percipiendi aptitudinem.

**Schol. 2<sup>m</sup>** *Recte dividitur universale reflexum in quinque categoremata seu praedicabilia*: omnes enim modi quibus potest unum concipi ut pluribus communicabile, ad haec reducuntur; nam concipitur universale ut unum pluribus communicabile:

essentialiter

}	totam essentiam exhibens	— — — =	species.
	partem essentiae exhibens		
	{ communem pluribus essentiis	— =	genus.
	{ distinctivam hujus essentiae	— =	differentia specifica.

accidentaliter

}	necessario	— — — — — =	proprium.
	contingenter	— — — — — =	accidens.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo distingui potest triplex universale: *a.* *fundamentale*: essentiae similes, — *b.* *potentiale* seu *directum*: essentia abstracte concepta, — *c.* *formale*, seu *reflexum*, seu *actuale*: essentia concepta ut una simul et multiplicabilis.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Universale reflexum est aliquid universale in repraesentando; sed est aliquid singulare in essendo, nam ut existens est aliquis determinatus mentis actus concipiendi.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ergo falsum est principium quo nituntur adversarii: essentias esse in intellectu sicut sunt in rebus; nam sunt in rebus concretae et determinate singulares, in mente abstractae et universales.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Secundum has theses, universale non est reale! — R. *d.* formaliter, *c.* fundamentaliter, *n.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Universale debet esse aliquid unum identicum in pluribus. — R. *d.* unitate et identitate reali, *n.*; fundamentali et logica, *c.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Natura specifica, v. c. humana, potest existere in pluribus. — R. *d.* una numero, *n.*; una specie, i. e. plures uno conceptu repraesentabiles ob suam similitudinem, *c.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** In SS. Trinitate una natura existit in tribus personis. — R. *d.* una numero, sed singularis natura, *c.*; una numero et universalis, *n.*

**Objic. 5<sup>o</sup>** Adam et Eva suam naturam posteris communicarunt. — R. *d.* suam specie eandem, *c.*; suam numero eandem, *n.* (i. e. fuerunt causa cur posteris sibi similes in natura existerent, *c.*; eam naturam qua ipsi existebant, posteris dederunt, *n.*) — *N. B.* In sola generatione aeterna Dei, Pater communicat Filio suam propriam numero eandem naturam.

**Objic. 6<sup>o</sup>** Cognitio suum objectum praesupponit, non facit; *e.* universale antequam percipiatur debet existere. — R. *d.* *ant.* praesupponit quoad id quod concipitur, *c.*; quoad modum quo concipitur, *sd.* praesupponit fundamentaliter existens, *c.*; semper formaliter, *n.*

**Objic. 7<sup>o</sup>** Universalia sunt aeterna, necessaria; *a.* solus Deus est...; *e.* — R. *d.* *maj.* aeternitate et necessitate negativa, *c.*; positiva, *n.* (Cfr. ontolog.). — *c. d. min.*

## § 2. DE JUDICIO.

### Propositio 46.

In judiciis analyticis immediatis efformandis, mens per se errare nequit: certitudo autem horum judiciorum est metaphysica absoluta.

**Notiones.** 1) *Judicium analyticum* dici potest sensu strictiori vel latiori. *Sensu strictiori* est judicium cujus praedicatum exprimit distincte unam vel plures notas, quae continentur in ipso subjecto composito, minus distincte apprehenso, v. c. *triangulus est figura*; obtinetur ergo praedicatum e sola analysi subjecti.

*Sensu latiori, vero tamen*, est judicium cujus praedicatum non quidem exprimit notas quae in ipso subjecti conceptu sint, sed quae in subjecti notis fundentur, ita ut necessario ipsi convenient, v. c. *triangulus non est circulus*; *triangulus triangulo sibi aequiangulo est similis*; obtinetur praedicatum non ex sola analysi subjecti, imo ita ne cogitaretur quidem de praedicatione tribuendo vel negando; sed ex analysi subjecti simul cum comparatione et analysi praedicati.

2) *Judicia analytica* sunt *immediata* vel *mediata*, prout facta comparatione subjecti et praedicati, statim sine ratiocinio, vel mediante ratiocinio, apparet convenientia.

3) *Per se*: posita debita attentione.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*errare nequit*). Istitis judiciis aut percipitur solum: unam

ex notis subjecti subjecto convenire, — aut : notam quae subjecti notis repugnat; subjecto repugnare; — *a.* in tali perceptione mens per se errare nequit; *e.*

*Ad min.* Causa erroris esset aut quia idea subjecti objectivum valorem non haberet, aut quia mens non esset apta ad verum percipiendum; *a.* neutrum est; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*est metaphysica*). In his judiciis percipitur ita subjecti et praedicati convenientia, ut ejus negatio percipiatur simul fore affirmatio et negatio ejusdem notae, v. c. *homo non rationalis; homo non risivus*; et hoc quidem independenter ab omni hypothesisi, i. e. absolute; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Judicia analytica fundantur non in experientia, sed in subjecti essentia seu conceptu; quod solum est motivum cur praedicatum percipiatur ut absolute, universaliter, necessario conveniens subjecto; — hinc etiam vocantur *judicia a priori*, i. e. ante experientiam.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Possunt tamen saepe eadem judicia ex experientia oriri, sed ut singularia, non ut universalia, necessaria; seu ut synthetica non ut analytica; imo ordinario per experientiam excitatur primo mens ut ideas comparet, et quaerat judicia analytica; — experientia est occasio, non causa.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Potest etiam mens juvari signo aliquo sensibili particulari, ut concurrente phantasmate, facilius fiat apprehensio et analysis (figuris in geometria, exemplo singulari...) — sed a signo iterum abstrahendum.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Judicia analytica, etiam immediate evidentialia, demonstrari possunt *indirecte* seu ab absurdo; — quaedam etiam *directe*, sed demonstratione improprie dicta, quae nihil est nisi *explicatio* terminorum subjecti et praedicati, ut vel eorum significatio intelligatur, vel manifestior fiat evidentialia (taliam multa sunt argumenta in logica).

#### Propositio 47.

In judiciis syntheticis immediatis formandis mens per se non errat; certitudo autem horum judiciorum est physica, hypothetica.

**Notiones.** 1) In his judiciis praedicatum non eruitur per analysim ex subjecto, neque ergo pertinet necessario ad ejus naturam; — sed per experientiam invenitur convenire contingentem subjecto.

2) Judicia synthetica sunt *immediata* vel *mediata*, prout ex experientia statim hauriuntur sine ratiocinio, vel mediante ratiocinio fiunt.

3) Judicia synthetica immediata sunt singularia, non universalia, nam testimonium sensuum refert unum hoc concretum, non universale, v. c. hanc nivem frigidam; — judicia synthetica mediata possunt esse universalia, per inductionem (de qua cfr. infra).

4) Judicia synthetica dicuntur *a posteriori*, i. e. post experientiam; dicuntur etiam *contingentia*, quia contingit hic et nunc subjectum esse cum praedicato identicum, sed non ex propria essentia et necessario semper identicum est.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*non errat*). Experientia, i. e. sensus intimi vel externi infallibile testimonium refert aliquod concretum, v. c. *me cogitantem, nivem frigidam*; mens autem resolvit hoc unum concretum in plures notas, quas iterum componit in unum judicium, v. c. *ego sum cogitans, nix est frigida*; — *a.* sic mens solum praedicat de subjecto id quod de facto in experientia invenitur esse idem cum subjecto, quodque sola mentali analysi fuerat separatam; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*est physica*). In tantum excluditur omne dubium, in quantum certo praebetur menti testimonium concretum sensus, cujus analysi invenitur subjectum et praedicatum; — *a.* hoc motivum est physicum factum experientiae; *e.*

**Scholion.** Quaedam sunt judicia synthetica quoad nos, i. e. pro nostra cognitione, quorum subjectum non satis notum nobis, ut conceptus ipsius analysi valeamus inquirere utrum forsitan sint analytica quoad se, i. e. intrinseca necessitate, si melius cognosceremus subjectum.

#### Propositio 48.

Kantii systema, quoad consilium quo crasim rationis purae instituit, absurdum est.

**Stat. quaest.** 1) Kant dubio tactus de valore objectivo omnis *scientiae metaphysicae*, ante omnia inquirendum esse statuit, num omnino metaphysica, i. e. scientia de suprasensibilibus, sit possibilis. — Ad hanc inquisitionem praemittendam esse inquisitionem criticam de ipsa facultate cognoscitiva, num revera possimus ea quae experientiam, naturam physicam transcendunt, cognoscere; quamdiu enim id *scientificae* exploratum non sit, *dubitandum* esse *positive* de rationis nostrae aptitudine ad ea cognoscenda.

2) *Physicam naturam* intelligit Kant *phaenomena*, i. e. meras rerum apparentias (sensibilia propria et communia); — *reale* vero illud quod his phaenomenis subest, ipsas res, rerumque essentias seu naturas, ut sunt in se et experientiam transcendunt. — Illuc ergo redit inquisitio : num intellectus realitates rerum cognoscere possit.

3) Imo distinguit inter *ens in se* : id quod phaenomenis substat; — et *noumenon* (*νοούμενον*) : id quod ratio necessario cogitare debet. — Hinc conceptus Noumenon latius patet quam Ens in se : omne ens in se est noumenon, sed non vicissim.

**Prob. 1<sup>o</sup>** Consilium Kantii est inquirere utrum ratio nostra apta sit ad verum assequendum, necne; *a.* id ipsum explorare aggreditur illa ipsa ratione de cujus veracitate *positive* dubitat; *e.* ratione *positive* dubia inquirat scientificae num ratio valeat aliquid; et incidit in contradictionem omni scepticismo essentialem.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Consilium Kantii est inquirere num omnino aliquod noumenon (=intelligibile) cognosci possit; *a.* eo ipso quod *naturam rationis* critice

explorare vult, aliquod noumenon ut a nobis certo cognitum praesupponit (hanc ipsam scilicet naturam rationis); e.

### Propositio 49.

**Kantii systema quoad fundamentum cui criticam superstruxit falsum est.**

**Stat. quaest.** 1) Orditur Kant suum systema exponens, ab analysi iudiciorum nostrorum; scilicet: a) iudicium est aut *a priori*, si est universale, absolute necessarium, ac proin independens ab omni experientia; — aut *a posteriori*, si particulare, contingens, hypothetice necessarium, ac proin ab experientia dependens. — b) Iudicium a posteriori semper est *syntheticum*, quia praedicatum semper subjecto aliunde advenit; — iudicium a priori est aut *analyticum*, si non invenitur praedicatum in analysi subjecti, sed aliunde illi adveniens componitur, non tamen ab experientia, quum haec universalitatem et necessitatem absolutam dare non possit, v. c.  $7 + 5 = 12$ .

2) Concludit: a) *judicia analytica* non pertinent ad *scientiam*, quia ipsis nihil novi cognoscitur, nam solum aliter et aliter ordinantur conceptus semper iidem; — b) *judicia synthetica a posteriori*, augent quidem cognitionem humanam, sed quia versantur circa particularia et contingentia, ad scientiam non pertinent; — c) *judicia synthetica a priori* sola constituunt scientiam, quia et nova cognitio his acquiritur, quum praedicatum sit extra notionem subjecti; et sunt universalia ac necessaria.

3) Fundamentum igitur totius philosophiae et omnis scientiae metaphysicae et mathematicae, sunt *judicia synthetica a priori*; — quaerens jam quodnam sit motivum talis iudicii, concludit Kant esse formam subjectivam mentis ita necessario cogitantis.

4) Probandum igitur nobis est, iudicia synthetica a priori Kantiana non esse admittenda, seu non rectam esse iudiciorum analysim initio positam.

**Prob. 1°** Repugnat mentem humanam creare iudicia sine fundamento in re, et iis adhaerere naturaliter, invincibiliter; a. ita esset in iudiciis Kantianis; e.

*Ad maj.* Veritas necessario supponit realitatem objectivam cui conformetur intellectus; i. e. supponit fundamentum in re; e.

*Ad min.* a) In his iudiciis praedicatum unitur subjecto, non ex analysi subjecti, neque experientia, sed nescitur unde. — b) Naturaliter, invincibiliter mens adhaeret iudiciis quae percipit ut universaliter, absolute certa.

**Prob. 2°** Mens per se nec iudicat, nec iudicare potest, nisi subjecti et praedicati objectivam identitatem (vel diversitatem) percipiat; a. in iudiciis syntheticis a priori mens nullo modo illam percipit, sed caecae affirmat, et adhaeret; e.

*Ad maj.* Iudicium non est actus caecus, sed intelligentiae seu perceptionis.

*Ad min.* Mens identitatem... non aliunde assequi potest, quam a) ex consideratione idearum, qua intelligit eas idem objectum repraesentare, — vel

b) ex ipsius objecti experimentalis consideratione, qua intelligit illud duabus ideis repraesentari; — a. priori modo habetur iudicium analyticum a priori, — posteriori modo habetur iudicium syntheticum a posteriori; e.

*N. B.* Dicitur: *per se* nam per accidens, per temeritatem voluntatis, potest duci intellectus ad iudicium sine ratione sufficiente.

**Prob. 3°** In sua crisi iudiciorum supponit Kant, analytica iudicia non esse alia, quam quorum hauritur praedicatum ex sola analysi solius subjecti; a. hoc suppositum falsum est; e.

*Ad min.* Quae Kant vocat analytica, sunt analytica *strictiori sensu*; sed dantur alia analytica *latoiori sensu*, et haec sunt *vere analytica*, nam praedicati identitas cum subjecto percipitur ex sola analysi, non quidem solius subjecti, sed subjecti simul et praedicati; qua analysi invenitur praedicatum fundari in subjecto, seu adesse in subjecto rationem cur praedicatum necessario et universaliter illi sit tribuendum.

**Schol. 1<sup>m</sup>** Exempla affert Kant in probationem; sed haec nihil probant, nam sunt aut analytica et a priori, aut synthetica et a posteriori; scilicet: 1) iudicium mathematicum:  $7 + 5 = 12$ ; — 2) principium causalitatis (nihil fit sine causa); — 3) linea recta est brevissima inter duo data puncta; — 4) in motus communicatione semper actioni aequalis est reactio; — 5) in mutationibus corporeis nulla perit materiae quantitas; — 6) mundus initium habuit.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Systema quod ex his suis iudiciis deducit Kant:

1) Motivum certitudinis in talibus iudiciis, non sunt ideae objectivae, neque experientia; ergo aliquid nobis subjectivum, forma aliqua nobis innata, et actum nobis necessitans.

2) Quenam sit ista forma subjectiva, inveniendum ex analysi horum iudiciorum, et vocabuntur hae formae: *categoriae*.

sunt iudicia:	quibus respondent categoriae:
quantitate: — — — — —	quantitas:
{ universalia — — — — —	{ unitas
{ particularia — — — — —	{ pluralitas
{ singularia — — — — —	{ totalitas
qualitate: — — — — —	qualitas:
{ affirmativa — — — — —	{ realitas
{ negativa — — — — —	{ negatio
{ infinita — — — — —	{ limitatio
relatione: — — — — —	relatio:
{ categorica — — — — —	{ substantia, accidens
{ hypothetica — — — — —	{ causa, effectus
{ disjunctiva — — — — —	{ actio mutua
modalitate: — — — — —	modalitas:
{ problematica — — — — —	{ possibilitas, impossibilitas
{ assertoria — — — — —	{ existentia, non-existentia
{ apodictica — — — — —	{ necessitas, contingentia.



3) His *formis subjectivis*, i. e. ideis nobis innatis, utimur ad iudicia nostra efficienda, eas applicando ad *materiam*, i. e. ad *phaenomena*; — et haec est operatio *intellectus*, i. e. *facultatis iudicandi*.

4) *Materiam*, seu *phaenomena ipsa* percipimus per alias duas formas subjectivas, scilicet *tempus* et *spatium*; eas applicando ad *elementum objectivum* seu *materiam sensationum*, scilicet impressionem ab objecto proveniente; — et haec est operatio *sensibilitatis*, i. e. *facultatis apprehendendi*.

5) Sunt autem nobis subjectivae et innatae istae duae formae, nam: a) ut nobis *phaenomena* repraesentemus quasi juxtaposita, vel succedentia, praesupponitur in nobis *idea spatii* et *temporis*; — b) abstrahendo possumus cogitatione omnia extensa et successiva remove, sed non ipsum spatium et tempus; — c) non nisi unicum possumus cogitare tempus et spatium, cuius quasi partes sint singula tempora et spatia; e. haec non affectio singularium rerum est, sed nobis praconcepta forma.

6) Quid ergo *objective* tandem sentitis *phaenomenis* subsit, i. e. ipsa *noumena*, sunt nobis prorsus incognita.

7) Conceptus quos iudicando formavimus, in nobiliorem et scientificam unitatem conjungimus, per *ratiocinium*, quae est operatio *rationis*, i. e. *facultatis ratiocinandi*. — *Elementum materiale* objectivum ratiocinii sunt conceptus ab intellectu rationi oblati; — *elementum subjectivum formale*, sunt normae secundum quas ratio *necessario* procedere debet. — Nempe:

ratiocinandi modus: cui respondet forma subjectiva:

categoricus	—	—	<i>idea psychologica</i> i. e. τοῦ ἐγώ, i. e. subjecti absoluti, quod jam esse nequit subjecti alterius praedicatum.
hypotheticus	—	—	<i>idea cosmologica</i> i. e. mundi, i. e. cujusdam absolutae dependentiae omnium singularium a totalitate, ad quam reduceantur.
disjunctivus	—	—	<i>idea theologica</i> i. e. Dei, i. e. cujusdam absolutae causae omnium realitatum seu perfectionum possibilium.

Quae tres formae subjectivae, sunt normae secundum quas se ratio discurrendo dirigere debet; nam finis et terminus alicujus motus est essentialiter directivus hujus motus; a. tres illae ideae sunt finis et terminus ratiocinii; e. a priori insunt rationi, et nullum habent objectivum valorem.

### Propositio 50.

**Kantii systema, quoad terminum ad quem critica pervenit, absurdum est.**

**Stat. quaest.** Ex analysi critica rationis, modo exposita, deducit Kant conclusiones responsionesque ad propositam quaestionem de possibilitate scientiae metaphysicae:

1) Nos cognoscere non possumus nisi *objecta sensibilia*. — Haec autem non ipsa in se cognoscimus, sed eorum tantum *phaenomena*, quae nos ipsi formis sensibilitatis et intellectus subjectivis ad modulum nostrum effingimus. —

Realia objecta (ens in se) quae phaenomenis subsunt, non negantur, sed nostrae cognitioni plane impervia sunt (=incognitum X).

2) Iudicia synthetica a priori objectivum valorem non habent; ergo *metaphysica* et *mathesis pura*, quae his constant, non sunt scientiae objectivo valore praeditae; — *physica* autem tota est circa rerum apparentias, idque ita ut natura visibilis a sensibilitate et intellectu construat.

3) Si nostris conceptibus objectivum valorem adscribimus, haec non est nisi deceptio quaedam et illusio naturalis; idque maxime de ideis tribus supremis valet, ac nititur sophisticis quidem, sed rationi naturalibus ac necessariis ratiociniis quibusdam. — Criticae igitur est, haec rationis sophisticata detegere, non quidem ut abjiciantur, quod fieri nequit, sed ut deceptions arceantur.

4) Ergo totus ordo in cognoscendo, qui hucusque tenebatur, invertendus est; non enim objecta sunt mensura nostrae cognitionis sed e contra cognitio nostra est mensura objectorum.

**Prob. 1°** Kant concludit: 1) nullum plane noumenon, ne rerum sensibilibus quidem, a nobis cognosci posse; — 2) objectivum valorem conceptuum, et aptitudinem rationis ad verum cognoscendum, esse negandum; — 3) rationem transcendentali illusionem naturaliter teneri; — a. haec omnia concludit operationis suae, cui ut veraci fidei; — et concludit ex analytica crisi alicujus noumeni, quod ut objectivum et cognitum praesupponit (videlicet naturae rationis nostrae); e.

**Prob. 2°** Kant admittit, apparentiis rerum sensibilibus (phaenomenis) aliquid reale (ens in se) subesse; a. in hoc ipso sibi suisque principiis contradicit; e.

**Prob. min.** Illud quod phaenomenis subest, certe intelligit aliquid reale e existens; a. realitas et existentia pertinet ad duodecim illas categorias, quae sunt merae formae subjectivae; e.

**Scholion.** Doctrina Kantiana rite vocari potest: *idealismus transcendentalis*, nam ea quae transcendent cognitionem empiricam sunt tantum figmenta mentis. — Rite etiam vocari potest: *naturalismus empiricus*, nam pro ratione theoretica (pura), nulla datur cognitio vere idealis, sed tantum empirica.

### § 3. DE RATIOCINIO.

#### Propositio 51.

**Ratiocinio comparantur iudicia mediata, quae per se nequeunt esse falsa, et quae novae possunt esse cognitiones.**

**Notiones.** *Ratiocinium* hic non intelligitur sola dispositio artificiosa propositionum in majorem, minorem, et conclusionem; — sed praecipue inventio medii termini, i. e. actus mentis percipientis identitatem duarum idearum objectivarum cum una tertia (vel diversitatem unius), et sic concludentis identitatem (vel diversitatem) duarum inter se.

*Per se* : si consequentia est recta, i. e. ratiocinium debite fit.

**Stat. quaest.** 1) Sufficit pro syllogismo probare; nam ceterae ratiocinii formae ad illam reducuntur.

2) Secundam partem : novas veritates posse ratiocinio detegi, negant *Baco* et *positivistae*; quia ut conclusio possit deduci, debet in praemissis contineri, et jam percipi, et sic jam praesupponi, et petitionem principii causare; v. c. *omnis homo est mortalis*; *a. Joannes est homo*; *e. est mortalis*; — major non est vera, nec potest vera apparere, nisi supponatur conclusio; — unde mentis processus legitimus non erit nisi inductio : *sicut Petrus, Paulus, Plato et c<sup>o</sup> omnes mortui sunt, ita et Joannes morietur*.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*nequeunt esse falsa*). Si objective vera est aliqua cognitio implicite percepta, haec explicite percepta falsa esse nequit; *a.* conclusio deducta, si consequentia est recta, nihil aliud est quam explicita perceptio veritatis implicite perceptae in praemissis; *e.*

*Ad min.* Haec est ipsa analysis naturae syllogismi, et principii convenientiae et discrepantiae.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*novae cognitiones*). 1<sup>o</sup> Omne ratiocinium aut est *purum* (i. e. ex duabus praemissis analyticis), — aut *mixtum* (ex una analytica et una synthetica), — aut *empiricum* (ex utraque synthetica); — *a.* in singulis, teste experientia, novae oriuntur cognitiones; *e.*

*Prob. min. 1 part. (in puro)*. a) Cognitiones a priori ad principia altiora reducuntur, i. e. invenitur dependentia objectivae eorum veritatis, seu ratio eur sint certae, v. c. *summa angulorum in triangulo = 2*; *a. polygonum n laterum = (n-2) triangulos*; *e. summa angulorum in polygono = (n-2) 2*.

b) Multas detegimus relationes inter nostros conceptus, necessarias quidem, sed non immediate notas.

*Prob. min. 2 part. (in mixto)*. a) Experimentalibus cognitionibus damus certitudinem hypotheticam, v. c. *si dantur sensationes externae, necessario existunt corpora*; *a. dantur*; *e.*

b) Inter objecta experientiae varias detegimus relationes, v. c. *quod semper uniformiter idem causat, hoc est causa ejus per se*; *a. quoties dolui capite, remedio A sanabatur, remedio B intendebatur dolor*; *e. remedium aptum est A, non B*.

c) Plures detegimus veritates quas experientia non attingit, v. c. leges naturales inducimus, — explicamus per hypotheses aptas, — Dei existentiam novimus.

*Prob. min. 3 part. (in empirico)*. Applicamus varia principia experimentalia variis individuis, v. c. *corpora dilatantur calore*; *a. hoc ferrum calefit*; *e. dilatabitur*; — *canis iratus mordet*; *a. hoc tuo lusu irascitur canis meus*; *e. nisi cesses, mordeberis*.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Omnes cognitiones ratiocinio praerequisitae aut pertinent ad subjectum conclusionis, aut ad praedicatum, aut ad principia generalia ratiocinii; *a.* in his nulla praesupponitur cognitio conclusionis (explicita); *e.*

*Ad min. 1) (ad subjectum)*. Quaeritur de eo an sit (existentia), aut quid sit (essentia, proprietates, accidentia); *a.* in primo sufficit praecognosci aliquo modo quid sit; — in secundo, aliquomodo an sit; *e.*

2) (*ad praedicatum*). Quaeritur an sit in subjecto; *a.* sufficit praecognosci quid sit; *e.*

3) (*ad principia*). Haec sunt : primum factum, primum principium, prima conditio, principium convenientiae vel discrepantiae, terminus medius; — *a.* nulla ex his sunt ipsa conclusio; *e.*

**Objic. 1<sup>o</sup>** Teste experientia, e ratiocinio plurimi orti sunt errores. — *R. d.* e ratiocinio debite facto, *n*; indebite, *sd.* ejus inordinationis constare poterat sufficienter attendenti, *c*; secus, *n*.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Ut certitudinem pariat ratiocinium, debet constare de legitimitate consequentiae; *a.* hoc non poterit nisi per novum ratiocinium; *e.* per circulum vitiosum. — *R. c. maj.* — *n. min.* (sed immediata evidentia consequentiae; et e cognitione aliunde certa praemissarum).

**Objic. 3<sup>o</sup>** Ut certa sit conclusio debent esse certae praemissae; *a.* certae non erunt nisi praesupponatur conclusio; *e.* nihil novi, sed circulus. — *R. c. maj.* — *d. min.* nisi praesupponatur ontologice, *c*; logice, *n.* (i. e. debet esse vera, *c*; debet cognosci ut vera, *n*; vel *sd.* cognosci explicite, *n*; implicite, ut possit explicitari, *c.*)

**Scholion.** Quaeritur specialius de ratiocinio mathematico : 1) quae ejus natura, — 2) quanta ejus certitudo in se spectati, — 3) quae ejus natura, applicati ad res physicas, mechanicas, thermodynamicas, astronomicas etc. — 4) quanta ejus tunc certitudo.

*R. 1)* Est analyticum, — *R. 2)* Ergo certitudinis metaphysicae, absolutae universalis.

*R. 3)* In applicatione..., est mixtum; scilicet : a) ex observatione experimentalis statuitur aequatio, i. e. scribitur signis mathematicis propositio aliqua synthetica; — b) calculo mathematico ostenditur hujus aequationis identitas, vel nexus necessarius cum formula finali; — c) habes proin syllogismum conditionalem : « *factum experimentale ita repraesentatur mathematice; a. si ita repraesentatur, necessario debet repraesentari valor incognitae quaerendae x, y, z... formula finali*; *e.* » et prob. min. analytice.

*R. 4)* Est ergo certitudinis physicae, hypotheticae, tantae universalitatis, quanta ipsa major seu propositio synthetica; — sed observandum : a) ut in statuenda aequatione nihil habeatur nisi stricta narratio factae experientiae, certae; — b) ut minor non sit nisi mathematica, analytica evolutio aequationis; — c) ut in legenda conclusione non latior inducatur interpretatio signorum, quam in majori patiebatur experientia. — *N. B.* Ex his non satis observatis, non rari fuerunt et sunt errores physicorum, thermodynamistarum : cfr. cosmolog.

## § 4. DE SENSU NATURAE COMMUNI.

## Propositio 52.

**Judicia sensus naturae communis falsa esse nequeunt.**

**Notiones.** 1) Sensus communis est dispositio illa naturae rationalis, qua omnes qui usum habent rationis impelluntur ad quaedam judicia, quae praesertim spectant vitam physicam, ordinem sociale, morale, religiosum; et quae ab omnibus ut facile obvia admittuntur, v. c. *Deus existit*, — *parentes honorandi*, — *aliis non faciendum quod tibi fieri non velis*, — *non datur effectus sine causa*, — *si vis finem, para medium*.

2) *Judicia illa ab omnibus ratione utentibus ut certa habentur; et tamen non sunt immediate evidentiā; — imo quaedam a philosopho satis difficile scientifice probantur.*

3) *Sensus communis confundi non potest cum consensu communi, i. e. testimonio uniformi hominum (de quo infra).*

**Prob.** Dantur quaedam judicia quae 1) ut certa ab omnibus, constanter, uniformiter admittuntur, — 2) spectant ad vitam physicam, ordinem sociale, morale; — *a. haec judicia nequeunt esse falsa; e.*

*Ad maj. (habentur ut certa).* a) Si exceptio occurrit, omnes derogationem alicui legi factam naturaliter cogitant; — b) si quis negat, ab omnibus sponte judicatur aut ludere velle, aut rationis carere usu.

*Ad min.* 1) *Judicia quae ab omnibus, constanter, uniformiter, invicte admittuntur, procedunt ab ipsa natura rationali, quae falli nequit; e.*

2) *Haec judicia saepe naturalibus passionibus et commodis hominum obstant; a. talia judicia, si communia sunt, causam habent veritatem suam objectivam, non praesudicium vel passionem; e.*

## Propositio 53.

**Consensus uniformis, universalis, constans, circa veritatem necessariam vitae physicae, ordini sociali, morali vel religioso, signum est illud iudicium esse naturale seu a sensu communi procedere.**

**Stat. quaest.** Quaeritur quomodo seu quibus signis aliquod iudicium agnosci possit ut iudicium sensus naturae communis; — R. Duobus signis quae simul adesse debent: a) ut agatur de aliqua veritate quae spectet ad vitam physicam, ad ordinem morale, sociale, religiosum; et b) ut habeatur consensus communis hominum.

**Notiones.** *Universalis*: moraliter, non physice, i. e. etiamsi aliquae invenirentur exceptiones, dummodo hae semper ab aliis ut exceptiones et inordinationes habeantur.

*Veritas necessaria*: ita ut sine ejus admissione ut certae, homo finem suum acquirere non posset.

**Prob.** Consensus ille universalis, uniformis, constans, circa..., a nulla alia causa procedere potest quam a natura seu sensu communi; *e.*

*Prob. ant.* Causa excogitabilis, praeter ipsam naturam, esset: 1) praesudicia hominum, — 2) fraus legumlatorum, — 3) educatio, — 4) metus inanis, — 5) illusio aliqua, — 6) pravitas hominum; — *a. nihil horum sufficit ad explicandum universalem... consensum; e.*

*Ad min. per part.* 1). 2). 3). Non sunt constantes, universales, uniformes.

4) *Metus inanis* nec potuisset oriri, nam praesupponit jam haec iudicia; nec potest manere constans et universalis, nam a) ejus inanitatem ratio inquirens perciperet, b) timore homines mali non inducuntur ad efformandas leges morales, sed potius ad eas negandas.

5) *Illusio* in re maximi momenti pro homine, aut esset invincibilis, aut non; — *a. si primum*: destruitur rationis humanae capacitas ad verum percipiendum, et refunditur error in Deum auctorem naturae; — *si secundum*: necessario vincetur ob attentionem rationis necessario excitatam in rebus tanti momenti. — (Non tanti momenti erat v. c. certa cognitio de motu solis, de rotunditate terrae, de existentia antipodum...).

6) *Ex pravitate hominum* orta fuissent iudicia prorsus opposita ordini et justitiae.

**Objic.** Ille consensus potuit oriri ex revelatione primitiva. — R. a) *tr.* (ergo vera sunt iudicia) — b) *n.* (fuissent saltem obscuratae veritates istae, imminutae, perditae, sicut aliae multae fuerunt).

## Propositio 54.

**Judicia sensus naturae communis ab ipsa ratione et propter evidentiā suam ferri possunt.**

**Stat. quaest.** Quaeritur quid sit ille sensus naturae communis; — 3 sententiae.

1) Alii dicunt: praeter facultates de quibus hucusque egimus, esse aliquam vim directam et immediatam naturae rationalis; scilicet quemdam nostrae naturae instinctum seu necessarium impulsus, quo homo, *absque perceptione motivi*, quaedam iudicia, aliis facultatibus partim saltem non cognoscibilia, ut certa habeat.

2) Alii dicunt: non aliam esse facultatem a ratione distinctam, sed rationem ea iudicia percipere ut certa, *per actum sui generis*, ita ut oriatur certitudo non ex distincta perceptione motivi, sed a) ex perceptione ejus confusa, implicita, incompleta, — b) quem defectum suppleat impulsus naturalis mentis. — Nec tamen ille actus erit caecus, quia licet motiva non percipiat distincte, clare tamen percipit veritatem, seu connexionem subjecti et praedicati.

3) Antiqui scholastici dicunt: illa iudicia ferri ut cetera omnia, scilicet ab ipsa ratione et propter ipsam eorum evidentiā proprie dictam, sive intrinsicam, sive extrinsecam, immediatam vel mediatam.

**Prob. 1°** Teste experientia interna et externa, omnes nostrae cognitiones intellectuales certae, etiam certitudine non scientifica, sed vulgari naturali, nonnisi propter aliquod *motivum objectivum*, et quidem distinctum, vel saltem clarum, sive intrinsecum rei, sive extrinsecum, a nobis admittuntur, nec certum se quis aestimat, nisi tali motivo percepto; — *a.* teste eadem experientia, haec iudicia sensus communis non aliter admittuntur ac cetera omnia; *e.*

**Prob. 2°** Haec veritates pollent sufficienti evidentiā ut ab omnibus percipiuntur; *e.*

*Ad antec.* 1) Connectuntur proxime cum primis principiis rationis, ita ut facili et obvio ratiocinio non possint non deduci.

2) Multa juvant ad earum motivum facile percipiendum, v. c. quotidiana experientia, vita in societate humana, educatio...; fieri etiam posset ut vel propter solam auctoritatem aliqui ea credant.

**Prob. 3°** Admittenda non sunt iudicia Kantiana synthetica a priori; *a.* talia forent ista iudicia in sententiis oppositis; *e.*

*Prob. min.* a) Ista iudicia sunt certa, absoluta, universalia (quod concedunt adversarii); *e.* sunt *a priori*; — b) non ex ratiocinio, proin non ex analysi; *e.* non *analytica* sed *synthetica*. — c) non ex experientia, neque ex motivo objectivo percepto; *e.* non *a posteriori*.

**Objic. 1°** Etiam rudes ratiocinii incapaces, istas veritates sponte percipiunt; *a.* non immediate evidentes sunt istae; *e.* — *R. c. maj. — d. supp. maj.* rudes sunt incapaces ratiocinii omnis, *n*; scientifici, *e.* — *c. min.*

**Objic. 2°** Homines hujus ratiocinii nullatenus sunt conscii. — *R. tr.* (etiam in formandis primis ideis, primis iudiciis, imo primis sensationibus).

**Objic. 3°** Saltem reflectendo deberent homines sui ratiocinii conscii fieri posse; *a.* ita non possunt; *e.* — *R. n. supp. maj.* (rudes et pueri cum prima haec faciunt ratiocinia obvia, capaces sunt reflexionis vulgaris forsā; sed vix ac ne vix quidem reflexionis ontologicae; at certe non reflexionis psychologicae, quae hic requireretur; — quando autem per studium capaces ejus facti sunt, jam non datur memoria distincta primorum actuum).

**Objic. 4°** Haec iudicia usum rationis praeveniunt v. c. in pueris. — *R. d.* usum rationis tantum quantus in his obviis sufficit, *n*; secus, *c.*

**Objic. 5°** In brutis habetur instinctus; *e.* a pari in homine necessarius est aliquis instinctus rationalis. — *R. tr. ant. — n. cons. et par.* (usus rationis supplet eminenter vices instinctus).

**Objic. 6°** Saepe homines bonae indolis ferunt iudicia quaedam practica moralia, et quidem magna cum facilitate; quae tamen magnam difficultatem movent doctis; *e.* non ex ratiocinio, sicut vellent docti redigere, sed ex instinctu rationali. — *R. d. ant. iudicant quid sit melius, c*; jus strictum de quo quaerunt docti, *n.*

## § 5. DE INDUCTIONE.

## Propositio 55.

**Inductio completa formaliter a processu syllogistico non differt.**

**Notiones.** *Inductio* quandoque dicitur: omnis demonstratio a posteriori, concludens ab effectu ad causam. — Haec *definitio vitiosa est*, neque assumitur hic.

Dicitur etiam quandoque: experientia subministrata a sensibus, cujus occasione intellectus ideas et principia analytica efformat. — Haec *definitio minus proprie* conceptum exhibet, neque assumitur hic.

*Proprie et communiter* dicitur processus mentis seu argumentatio, concludens de subjecto universali, id quod de inferioribus singillatim experientia cognoscit. — Hoc sensu assumitur hic.

Inductio est *completa* si de omnibus inferioribus experientia facta est; — *incompleta* si non de omnibus.

**Stat. quaest. 1)** Inductionem differre a syllogismo *materialiter*, omnes conveniunt, nam inductio a particulari ad universale, syllogismus saepe ab universali ad particulare concludit; — sed quaeritur utrum differant *formaliter*, i. e. utrum inductio concludat jure, nisi reducatur ad syllogismum, seu nisi in quantum percipiatur identitas subjecti et praedicati cum uno tertio termino.

2) Respondent alii non differre; — alii (recentiores praesertim) differre essentialiter. — Attamen Cfr. *S. Thom.* opusc. de natura syllog.

**Prob.** Comparantur formae:

inductionis	{	V. A. G. O. T. recte adhibiti sunt infallibiles;
		(omnes sensus sunt V. A. G. O. T.);
et syllogismi	{	ergo omnes sensus recte adhibiti sunt infallibiles;
		omnis sensus recte adhibitus est infallibilis;
		(V. A. G. O. T. sunt sensus);
	{	ergo V. A. G. O. T. recte adhibiti sunt infallibiles.

*Atqui*: in utroque processu, conclusio in tantum fertur jure, in quantum percipitur identitas terminorum extremorum cum uno termino medio, nec magis nec minus valere potest conclusio; *e.*

**Objic. 1°** In omni syllogismo concluditur ab universali ad minus universale; *a.* non ita concluditur in inductione; *e.* — *R. a) tr. maj. — tr. min. — d. cons.* inductio non est syllogismus si materia inspicitur, *c*; si forma ratiocinii (i. e. vis concludendi) inspicitur, *n.*

*R. b) n. maj.* (v. c. syllogismus expositivus: «aliquis Apostolus fuit Judas; *a.* Judas fuit traditor; *e.* aliquis Apostolus fuit traditor»). Ergo syllogismus dicendus erit *genus*, cujus plures *species*: a) deductivus, a magis ad minus universale, b) expositivus, non ab universali... c) inductivus, a minus universalium collectione ad magis universale.....

**Objic. 2°** Inductio concludit a particularibus ad universale; *a.* ita concludere syllogismus non potest; *e.* — *R. d. maj.* inductio incompleta, *tr*; completa, *sd.* concludit a particularibus *omnibus* ideae universalis extensionem exhaurientibus, ad eadem particularia *omnia* alio uno termino designata, *c*; ad aliquid ulterius, *n.* — *c. d. min.*

**Objic. 3°** Principium proximum syllogismi non est principium convenientiae et discrepantiae, sed principium dicti de omni vel dicti de nullo; *a.* per hoc principium explicari nequit inductio; *e.*

*R. a) n. maj. quoad utrumque, v. c.* in syllogismo *expositorio*... : *cfr.* supra; vel in *Bocardo*

vel in <i>Baroco</i>	{	$M o P = \text{aliqua ira non est mala;}$
		$M a S = \text{a. omnis ira est passio;}$
{	$S o P = \text{e. aliqua passio non est mala.}$	
	$P a M = \text{omnis angelus est spiritus;}$	
	$S o M = \text{a. aliqua creatura non est spiritus;}$	
	$S o P = \text{e. aliqua creatura non est angelus.}$	

*R. b) d. maj. ad 1<sup>m</sup>:* principium *formale* syllogismi non est. *., n*; *reductivum proximum* non est, *c.* — *d. ad 2<sup>m</sup>:* dictum de omni... est principium *formale, n*; est principium *reductivum proximum, sd.* primae figurae, *c*; secundae et tertiae, *n.* (principium *formale* illud est ob ejus applicationem, vim suam habet argumentum, seu in quo fundatur vis conclusionis; principium *reductivum* illud est ad quod ut ad formulam generalem reduci potest ratiocinium (*cfr.* dialect).

**Objic. 4°** In inductione omnino adulteratur natura termini *medii*; *e.* —

*Prob. ant.* In prima figura *v. c.*  $\left( \begin{smallmatrix} M & P \\ S & P \end{smallmatrix} \right)$  terminus medius continet subjectum minoris, et ipse continetur in praedicato majoris; *a.* ita fieret ut in inductione totum contineretur in suis partibus, quod absurdum.

*Ad min.* Totum est subjectum minoris, partes praedicatum, ubi dicitur: omnes sensus sunt *V. A. G. O. T.*

*R. Ad antec. d.* si niteretur syllogismus principio dicti de omni, *tr.* vel *c*; si nititur principio convenientiae, *n.* (*N. B.* non magis absurdum est dicere totum contineri omnibus suis partibus simul sumptis, quam dicere omnes partes simul sumptas contineri toto; sunt enim idem variis terminis significatum).

*Ad prob. ant. a) d. maj.* hoc fieri potest, praesertim in prima figura, *c*; fieri debet, et est haec essentia syllogismi generice inspecti, *n.* (*cfr.* *expositorium*, vel in 2<sup>a</sup> et 3<sup>a</sup> figura) — *tr. min.*

*b) d. maj.* hoc dicitur, sed improprie, si sola inspicitur *significatio* verborum, *tr*; dicitur proprie si etiam *suppositio* verborum inspicitur, *n.* — *c. d. min.*

**Objic. 5°** In tali inductione, nihil aliud in conclusione dicitur, quam quod in praemissis jam habetur *explicite*; *e.* — *R. d.* dicitur materialiter idem, *c*; formaliter idem, *n.*

**Coroll.** Ergo eo sensu dicitur inductio esse argumentum cujus non est medium, quia subjectum et medius terminus sunt revera unus conceptus, sed diversimode expressus. — Eo tamen sensu dicimus esse vere medium terminum, quia nisi percipiatur identitas istius conceptus sub varia expressione, conclusio erit impossibilis.

### Propositio 56.

**Inductio incompleta stricte dicta a processu syllogistico formaliter non differt.**

**Notiones.** Inductio incompleta frequentissimi usus est et in vita quotidiana, et in omnibus fere scientiis, ad efformanda judicia synthetica universalialia.

*Stricte dicta* : qua concluditur ab individuis unius speciei ad totam hanc speciem.

*A processu syllogistico* : non quoad ordinationem propositionum praemissarum et consequentium, quod esset *materiale*; sed quoad *processum formalem mentis*, quae non concludat nisi propter perspectam identitatem medii eum extremis terminis.

**Stat. quaest.** Recentiores plures dicunt : mentem nostram, statim ac percipit sufficientem numerum experientiarum variatis adjunctis, proprio impetu naturali directe concludere legem universalem; — quod alii aliter explicant (*cfr.* infra in argum...).

**Prob.** Processus indicari potest syllogisticus, *v. c.* : Omnes quos vidi lapides sibi permissos, ubique et semper deorsum ceciderunt;

*a.* Factum tam constans debet habere causam sibi proportionatam;  
*e.* Quod semper et ubique lapides... ceciderint, datur causa aliqua constans proportionata;

*a.* Haec causa constans proportionata nequit esse nisi natura ipsa lapidis, aut saltem lex physica stabilis a Deo huic naturae indita;

*e.* Lapidis ceciderunt quia haec est eorum natura, vel saltem lex physica indita;

*a.* Natura lapidum, vel lex naturae indita, est communis omnibus lapidibus;

*e.* Omnes lapides, etiam quos non vidi, sibi permissi necessario cadent; *atqui* in tantum, nec aliter, valebit inductio quaecumque, in quantum percipietur nexus extremorum cum mediis modo indicatis; *e.* in tantum dabitur vera inductio, in quantum reducetur ad syllogisticum processum.

*Ad maj.* Processus indicatus *a)* evidenter est syllogisticus, — *b)* et evidenter concludit.

*Prob. min.* Mens concludit aut 1) ex instinctu caeco ad generalisandum impellente, — aut 2) vi solius experientiae habitae, — aut 3) ex principio similitudinis futuri cum praeterito, — aut 4) ex principio constantiae legum naturalium, — aut 5) vi perceptionis mediorum (nam aliud non habetur nec

a parte mentis, nec a parte objecti) — a. nullum ex praecedentibus aliis; ergo solum 5<sup>m</sup>.

*Prob. min. 1 part. (non instinctu caeco).* a) Mens natura sua non iudicat nisi percipiendo motivum, et quidem objectivum; — b) talis conclusio foret iudicium syntheticum a priori kantianum.

*Prob. min. 2 part. (non vi solius experientiae).* Haec per se sola non est nisi de praeteritis particularibus; a. sic nullam habet proportionem cum conclusione generali; e.

*Prob. min. 3 et 4 part. (non ex... similitudine, vel constantia).* a) Hoc ipsum principium admittitur aut ex instinctu caeco, aut ex experientia, aut ex inductione; et redit tota quaestio; — b) jam hoc ipsum principium est medium, et habemus processum syllogisticum.

**Schol. 1<sup>m</sup>** Si polysyllogismus, propositum in argumento, melius inspicias, invenias rectius vocandas esse majores quae dicuntur minores, et vicissim; — sed brevitas et claritatis causa, eum praeferimus modum dicendi quo continuo uno processu pergatur ad conclusionem usque.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Non diffitemur hominem, *post usum jam diuturnum et evolutam rationem*, posse legitime concludere sequenti modo:

Omnes quos vidi lapides sibi permissos, semper et ubique deorsum ceciderunt;

a. Leges naturales sunt constantes (seu: futurum naturaliter simile erit praeterito in rebus necessariis);

e. Omnes lapides semper et ubique deorsum cadent;

*Sed N. B.* a) Sic jam vera manet propositio, inductionem non differere a processu syllogistico, — b) ipsum hoc principium in tantum valet et percipitur, in quantum per inductionem praeviam concluditur existentia legum naturalium universalium.

**Schol. 3<sup>m</sup>** *Utrum idem valeat de inductione qua concluderetur a pluribus speciebus ejusdem generis, ad totum genus.* — R. valet; — nam sicut omnibus individuis ejusdem speciei communis est tota natura quae sola potest esse causa effectuum omnibus communium, ita omnibus speciebus ejusdem generis communis est pars naturae, seu nota essentialis, quae sola esse potest causa effectuum omnibus communium, v. e. *omnes* quas vidi *species*: lapidum, metallorum, crystallorum, gazorum, liquidorum, viventium... cadunt; e. *omnia corpora* cadunt.

### Propositio 57.

Inductione stricte dicta acquirere possumus iudicia synthetica universalia certa certitudinis proprie dictae physicae.

**Stat. quaest.** 1) *Inductione completa*: res est clara, nec jam probanda; — sed de inductione *incompleta* probandum est.

2) Dicunt Baco, Wolf, Tiberghien et positivistae, non dari certitudinem, sed probabilitatem tantum, in his iudiciis ut universalibus. — Dicimus nos

inductionis, si debite fiat, conclusionem posse certam esse; — non dicimus in omni inductione semper futuram.

**Prob. 1<sup>o</sup>** Inductio incompleta reducenda est ad polysyllogismum; a. hujus praemissae aliae sunt principia analytica, absolute certa; — aliud est iudicium syntheticum immediatum particulare (seu particularium collectio) de quo certo constare potest; e.

*Prob. min. per part. 1<sup>a</sup> major* est synthetica certa, nam: requiritur et sufficit ut certi esse possimus de pluribus experientiis, et de variatis quantum fieri potest omnibus adjunctis; a. de his saepe moraliter, saepe etiam physice certi esse possumus; e... (et si quando certi non sumus, inductio non legitima erit, vel probabilis tantum).

1<sup>a</sup> *minor* est ipsum principium causalitatis (cfr. ontolog.).

2<sup>a</sup> *minor* eruitur analytice e principii causalitatis applicatione ad factum, qua excluduntur omnes aliae excogitabiles causae.

3<sup>a</sup> *minor* a) *quoad naturam* est analytica evolutio ideae universalis naturam constituentis, — b) *quoad legem physicam inditam* est analytica evolutio sapientiae divinae, quae naturam condere non potuit nisi eam legibus constantibus donando, quibus ordo servetur in suo opere.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Plura horum iudiciorum sunt veritates sensu communi ab omnibus invincibiliter admissae; a. iudicia sensus communis sunt infallibiliter vera et certa; e.

*Ad maj. v. c. ignis stipulam admotam adurit; — sol singulis diebus oritur; — omnis homo amputato capite moritur.*

**Schol. 1<sup>m</sup>** Ut certitudinem det inductio, accurata requiritur praevia singularium experimentatio; scilicet a) ita fieri observationes debent ut nec minima negligatur circumstantia, quae saepe majoris est momenti quam primo intuitu videtur; — b) multiplicandae sunt quantum requiritur, ut effectuum constantia satis innotescat, ac discernantur accidentia a proprietatibus essentialibus; — c) cavendum a praeconcepta opinione, qua effectum ad praefinitam causam, vel theoreticam explicationem reducere per fas et nefas velis.

**Schol. 2<sup>m</sup>** In hoc toti incumbunt recentiores scientiarum cultores, ut experimenta quam accuratissima faciant, ad idque regulas quam sagacissimas statuunt: suntque in eo antiquioribus superiores; — at notandum, hunc laborem nullo pacto esse ratiocinii vel inductionis partem, sed requisitum praeludium: unde magnus error in illo labore sistentium, et omnem humanam scientiam contineri reputantium.

**Schol. 3<sup>m</sup>** Quis sit *fons certitudinis* in inductione. — R. Factum experientiae certae, et principia analytica (ut habetur in argumentis); hinc etiam patet, si experientia non fuerit sufficienter certa, et variatae circumstantiae, inductionem non fore certam sed plus minus probabilem, quia conclusio sequitur partem pejorem, i. e. praemissam infirmiore; imo concedimus ultro, talem experientiam, in rebus praesertim minus obviis, difficilem fore

et raram, cui ut evidenter sufficienti fidere possimus; at non evertit practica difficultas theoreticum processus valorem.

**Schol. 4<sup>m</sup>** Quae sit certitudo de similitudine futuri cum praeterito, seu de constantia legum naturalium. — R. a) *Ipsas essentias rerum*, ut concrete existentes, Deus destruere potest; — ut abstracte conceptas, mutare non potest; — idem dicendum de *qualitatibus essentialibus*; — b) *contingentes qualitates*, v. c. motum astrorum, angulum refractionis et reflexionis luminis, mutare potest; — at non passim et identidem immutando ordinem naturae, sed solum ita posset, ut jam novus ordo iterum sit constans; nam sapientis est ordinate agere; — c) nec tamen propterea repugnat miraculum, nam non haec immutatio est ordinis naturae, imo neque unius legis, sed solum derogatio particularis a lege constanter permanente.

**Schol. 5<sup>m</sup>** Num valeat inductio etiam de moribus hominum. — R. a) Ex modo ordinario agendi hominum, valet inductio ad *dispositionem* naturalem (in natura fundatam) ad agendum eodem modo, apud omnes homines; — b) non valet inductio ad *actiones* hominum singulorum, quia libera voluntas eas impedire potest; — c) valet tamen etiam ad *actiones* alicujus multitudinis, saltem ob providentiam divinam eas leges morales tuentem, propter societatis bonum et ordinem.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Teste experientia, inductionis conclusio saepe novis experimentis reperta est falsa; v. c. a) *omnia phosphora esse venenosa*, — b) *naturam horrere a vacuo*, — c) *omnia gravia tendere versus centrum terrae*, — d) *levia tendere in coelum*.

R. d. ant. inductionis male factae, c; recte factae, sd. repertum fuit falsum id quod concipiebatur in concludendo, n; repertum est minus exacte exprimi verbis, ac mutandum esse modum dicendi, ob mutatam verborum extensionem, c.

Ad instant. a) omnia phosphora hujus speciei, quae sola cognoscebatur; post cognitam aliam phosphori speciem, jam vox «*omnia phosphora*» fiebat generica, non specifica.

Ad b) ex inductione insufficiente; — unde jam ipsi antiqui limites ponebant hujus horroris; inducebant proinde de aliquibus specialibus determinatis experimentis.

Ad c) «*omnia gravia*» vocanda ea solum quae in superficie terrae inveniuntur; et vera est conclusio. — Si extenditur vox «*omnia gravia*» ad corpora coelestia, jam alius conceptus tribuitur verbis.

Ad d) exprimendo factum experientiae; quod verum est. — Si extenditur vox «*tendant natura sua*» ad *modum* quo fiat haec tendentia, jam non vi inductionis sed aliunde additur.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Nota generica est communis pluribus speciebus, species tamen sunt naturae distinctae; a. non datur certitudo ubi arguitur ab una natura ad aliam; e. ubi a speciebus ad genus. — R. d. maj. nota generica est *essentialis* et communis speciebus eam univoce participantibus, licet aliunde diversis, c; secus, n. — c. d. min.

**Objic. 3<sup>o</sup>** Nunquam certi erimus de sufficientia experimentationis. — R. d. si sceptice inquirimus, c; secus, n.

**Objic. 4<sup>o</sup>** In ratiocinio, conclusio sequitur partem pejorem praemissarum; a. inductione una praemissa est particularis (synthetica); e. licet altera (analytica) sit universalis, conclusio debet particularis esse, nec potest esse universalis certa. — R. c. maj. — d. min. est particularis tantum, n; est collectio particularium (experientiarum) tanta ut objective aequivaleat universali (ita ut sit particularis quoad apparentiam explicitam, universalis tamen implicite, universalitate per comparisonem cum principiis analyticis agnoscenda), c.

### Propositio 58.

Inductio latius dicta, a syllogistico processu formaliter non differt; nec potest per se dare nisi probabilitatem tantum.

**Notiones.** 1) *Inductio latius dicta* est argumentum ab analogo, seu a simili, i. e. processus mentis, quo de uno simili individuo vel specie, inferitur id quod de alio simili notum est.

2) Hic differt ab inductione stricte dicta, vel a) quia ex aliqua similitudine, etiamsi non omnino essentiali, procedit, v. c. *omnes quos audiivi in silva canentes, erant aves*; e. *quicumque in silva canet erit avis*; — vel b) quia concludit ad similitudinem, etiamsi non essentialem, v. c. *omnes quos vidi homines, erant vestiti*; e. *ubique omnes homines sunt vestiti*.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (non differt).** Processus exponi potest syllogisticus, v. c.: Ex candenti cupro vidi spectra iridea luminosa tali linea interrupta;

a. Similium sunt similia, et dissimilium dissimilia (scil. causae, effectus, proprietates, qualitates, leges constantes, fines, structurae...);

e. Candens cuprum solum tales lineas obscuras inscribit;

a. Ex hac stella spectrum irideum luminosum tali linea interscribitur;

e. In hoc stella habetur candens cuprum;

atque in tantum, nec aliter, valebit conclusio, in quantum percipietur nexus extremorum cum mediis modo indicatis; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (probabilitatem tantum).** Reducendus est processus ad syllogisticum; a. in hoc, praemissae aliae possunt quidem esse certae (1<sup>a</sup> major et 2<sup>a</sup> minor: facta experimentalia), sed aliae non sunt nisi probabiles (1<sup>a</sup> minor et 2<sup>a</sup> major); e.

Ad min. a) de factis experientiae: patet.

b) de principio «*similium sunt similia*»: hoc certum solum est ubi a similitudine essentiali concluditur ad similitudinem essentialium; sed non ubi ab accidentalibus similitudine ad similitudinem accidentalium; a. hoc modo concluditur in praesenti inductione; e.

c) de 2<sup>a</sup> majore: haec est conclusio praecedentis syllogismi, ex una parte probabili, non certa.

**Schol. 1<sup>m</sup>** Inductionis late dictae frequens est usus, et utilis, in scientiis

et artibus fere omnibus, dummodo vitentur : a) nimius contemptus vel nimia aestimatio analogiae, ex quibus teneretur conclusio vel pro inepta vel pro certa, — b) nimia coarctatio vel nimia extensio argumenti et conclusionis, ex quibus vel exigeretur tanta similitudo quae esset fere identitas; vel sufficeret tantula, ut jam omnia de omnibus concludi possent.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Haec est magna analogiae utilitas, quod viam aperit ad novas veritates detegendas et stabiliendas; v. c. «vidi tales dentes apud saurios; a. similia sunt similia; e. animal quod tales dentes habeat erit saurius; a. ecce dens fossilis, giganteus quidem, sed similis; e. extitit olim species aliqua gigantea sauriorum (megalosaurus).» — Invenitur videlicet nova species generi noto addenda. — Crescit autem haec probabilitas, si aliis novis rationibus et observationibus fulcitur; — imo poterit ita in certitudinem abire.

**Schol. 3<sup>m</sup>** Valde imperfecta et potius inchoativa inductio est ex unico exemplo, per se nihil probans; diciturque argumentum *ab exemplo analogo*

### Propositio 59.

Inductio improprie dicta, seu ex hypothesisi, probabilis tantum est.

**Notiones.** 1) *Hypothesis* est id cujus veritas nondum est demonstrata, assumitur tamen ut verum, quia facta quaedam certa commode explicat.

2) Ut hypothesis sit utilis, requiritur a) ut sit possibilis, — b) ut nec ipsa nec ulla ejus consequentia experimento et observationi advessetur, — c) ut omnia facta, ad quae explicanda assumitur, commode explicet, — d) ut praebet explicationem analogam, seu similem, aliis explicationibus *jam certis* aliorum factorum similia.

3) Triplex datur hypothesis : a) *physica*, quae assumitur ad explicanda phaenomena naturae, i. e. quae referri debent ad causam naturalem non liberam, immediatam (nisi tale sit factum ut solius Dei interventus praeternaturalis possit ejus causa esse).

b) *moralis*, quae ad explicanda facta libera hominum, i. e. quae referri debent ad liberam voluntatem, habitus, passiones...

c) *logica* seu *hermeneutica*, quae ad explicandas obscuras locutiones, i. e. quae conferri debent cum aliis ejusdem auctoris clarioribus locutionibus, sentiis, placitis...

4) Dicitur haec argumentatio *inductio*, quia ab experientiae factis procedit; — sed *improprie*, quia non ad universalem propositionem ex particularibus proprie assurgit, sed potius modum vel causam ignotam agnoscere conatur suspicando; ex qua causa vel modo poterunt postea deduci universaliora.

**Prob.** Argumentum ex hypothesisi tale est, v. c. :

Si omnia corpora se mutuo, in ratione massarum directa, et ratione quadratae distantiae inversa, attraherent, talia... facta haberentur;

a. Talia... facta habentur, teste experientia;

e. Existit attractio illa;

atqui haec est syllogismi conditionalis figura invalida; e. nullam certitudinem, sed ad summum aliquam probabilitatem per se dare potest.

*Ad min.* Ut valeret argumentum ad certitudinem oporteret ostendere in majore : si haec lex existit, *et non nisi* haec existit...; a. hoc non ostendit per se argumentum ex hypothesisi; e.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Crescit probabilitas conclusionis : a) si ex hypothesisi deducantur a priori novae consequentiae, quae, experientia tentata, inveniantur factis conformes; — b) si novis rationibus inveniantur omnes aliae hypotheses non esse admittendae; — imo si istud bene constet, dari poterit certitudo conclusionis.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Haec est magna hujus argumenti utilitas, quod viam aperit ad multas veritates, imo veritatum integra systemata detegenda : prius ut probabilia, sed mox novis experientiis et rationibus confirmanda.

### § 6. DE SCIENTIA ET METHODO.

#### Propositio 60.

Scientia, seu cognitio perfecta, est cognitio rei per causas ontologicas, seu per demonstrationem.

**Stat. quaest.** Scopus omnis studii humani, et finis inquisitionis ac ratiocinii, ab omnibus dicitur *scientia*; quaeritur quid illa sit.

**Notiones.** 1) *Causa ontologica* distinguenda est a *causa logica* seu *cognitionis*;

*causa logica* est cognitio praemissarum ex quibus deducitur conclusio; i. e. causa cur res cognoscatur a nobis.

*causa ontologica* est id quod in ordine rerum producit seu fundat veritatem rei objectivam, i. e. causa cur res objective ita sit, etiamsi a nobis non cognosceretur.

2) *Cognoscere per causam ontologicam* tria importat : a) cognoscere proximam causam ob quam res est, — b) cognoscere eam esse causam veram rei, — c) cognoscere rem propter hanc causam aliter se habere non posse.

3) *Demonstratio* est argumentatio legitima, quae ex evidentibus praemissis veritatem aliquam evidentem facit. — Potest ergo demonstratio constare uno vel pluribus ratiociniis (si v. c. ipsae praemissae syllogismi sunt probandae).

4) Alio latiore sensu demonstrationes saepe illa dicuntur ratiocinia minus perfecta, quae ex praemissis non certis et evidentibus sed probabilibus tantum concludunt, nec proinde valorem nisi probabilem habere possunt, nec tam demonstrationes vel probationes quam *rationes probabiles* stricte dici debent. — Idque verum est etiamsi altera praemissa sit certa.

5) Eodem fere modo latiore sensu scientiae saepe hodie dicuntur illa studia quae non tam causas rerum ontologicas quaerunt, quam potius phaenomenorum leges et condiciones, v. c. medicina, astronomia, physiologia, vel



etiam causas ontologicas per hypotheses conjiunt, v. c. chemia, physicae plures partes, etc.

6) Dividitur *demonstratio* seu *argumentum* (ratione viae):

directum — — — ostendens praedicatum convenire subjecto, per notas aliquas quae sive subjecto sive praedicato certe insunt.

a priori — — — si praemissae expriment rationem ontologicam conclusionis.

metaphysicum : descendendo ab analysi conceptus (definitione) ad proprietatem necessariam.

physicum — — descendendo a causa ad effectum, vel a lege universali ad casum particularem.

a posteriori — — — si praemissae expriment rationatum, conclusio autem rationem ontologicam.

metaphysicum : ascendendo a proprietate ad essentiale ejus fundamentum (ad conceptum, definitionem).

physicum — — ascendendo ab effectu ad causam, vel inducendo a particularibus legem universalem.

indirectum — — — ostendens absurditatem propositionis contradictoriae.

7) His addi potest argumentum *regressivum* seu *circularis* (circulo non vitioso), ubi scilicet a posteriori ostenditur causa alicujus effectus, et rursus a priori ex ampliore cognitione hujus causae ostenduntur aliae proprietates hujus effectus.

8) Ex his sequitur : a) demonstrationem directam esse indirecta praestantior, quia directa et ostendit rem ita esse, et docet motivum positivum judicandi; indirecta autem solum ostendit rem ita esse, quum sine absurditate negari nequeat; — b) demonstrationem a priori esse perfectiorem quam a posteriori; quia docet cur res ita sit; a posteriori autem docet solum cur nobis res sit nota; — c) non tamen semper possibilem nobis esse omnimodam demonstrationem, sed pro re nata nunc a priori, nunc a posteriori, nunc indirectam tantum.

9) Cfr. S. Thom. opusc. de demonstr.

**Prob. 1°** Perfecta scientia illa est qua res totaliter cognoscitur ut est; a. res nec est, nec esse potest, nisi dependenter a suis causis; e.

**Prob. 2°** Perfecta scientia illa est in qua mens sciendi cupiens plene quiescit; a. mens humana non plene acquiescit, ubi rem historice tantum, vel indirecte cognoscit; sed solum ubi cognoscit per causas ontologicas; e.

**Prob. 3°** Perfecta scientia illa est qua non solum cognoscitur praedicatum subjecto convenire, sed etiam quomodo (mutabiliter an immutabiliter) conveniat; a. hoc non cognoscitur nisi per causas ontologicas; e.

*Prob. min.* Immutabiliter subjecto convenit praedicatum quod illi vi naturae

ejus inest; mutabiliter, quod per accidens inest; a. quid vi naturae, quid per accidens insit rei, nos docent causae ontologicae; e.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Distingui potest *scientia partialis*, seu cognitio alicujus rei demonstratae per causas ontologicas, — quae etiam dicitur *cognitio scientifica* hujus rei; — et *scientia totalis*, seu systema cognitionum demonstratarum de uno objecto, i. e. de objectorum aliquo ordine qui uno conceptu exhibeatur, quod dicitur *objectum formale* hujus scientiae.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo omnis scientia est de universalibus, non de particularibus; nam objectum exhibetur uno conceptu; a. ille conceptus est universalis; e. — (Etiam si agas de particularitate vel singularitate rei, is ipse conceptus erit abstractus et universalis. — Una excipitur scientia de Deo).

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Nulla scientia probat sua principia, nam scientia est complexus demonstrationum; a. demonstrationum praemissae nequeunt in infinitum probari; e. quaedam praemissae admittantur ut principia oportet, quae in hac scientia non demonstrantur.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Subalternae (dependentes, relatae) sunt scientiae ad se invicem :

a) *ratione finis* : si quomodo unius objectum ad objectum alterius refertur ut medium ad finem, v. c. militaris ad politicam; — pharmaceutica ad medicam.

b) *ratione principiorum* : si unius principia in altera demonstrantur, v. c. geometriae in logica, — mechanicae in geometria.

c) *ratione subordinationis logicae* : si unius objectum materiale continetur sub objecto formali alterius, v. c. omnes sub ontologia.

**Coroll. 5<sup>m</sup>** *Contrariorum eadem est scientia*, i. e. opposita cognoscuntur melius ex oppositione sua et mutua comparatione, ac proinde sub eadem nota, tanquam idem objectum formale se exhibent scientiae; unde et : *contrariorum eadem est ratio*, seu definitionis medium.

### Propositio 61.

Ad scientiam duplex apte ducere potest methodus : *analytica et synthetica*.

**Notiones.** 1) *Methodus* generatim est via seu ratio aliquid faciendi. — Hic specialius est : ordo servandus in operationum ac demonstrationum nostrarum serie disponenda, ut finem nostrum praestitutum, puta scientiam, assequamur. — Agitur autem hic de scientia totali, seu de scientia proprie dicta, non de aliqua cognitione scientifica tantum.

2) Duplex datur via possibilis : a) incipiendo a consideratione totius prout confusa idea prius attingitur; dein illud in partes resolvendo; singulas considerando et iterum resolvendo ulterius..., donec ad ultima et simplicissima elementa deveniatur; — b) incipiendo ab elementis rei simplicissimis, dein ea componendo..., donec perveniatur ad totum. — Dividitur ergo *methodus* :

analytica : procedens a toto ad partes suas.

{ resolutione : a *toto actuali* ad partes actuales (= ἀνάλυσις).

{ collectione : a *toto logico* ad inferiora sua (= συναγωγή).

synthetica : procedens a partibus ad totum.

{ compositione : a partibus actualibus ad *totum actuale* (= σύνθεσις).

{ divisione : ab inferioribus ad *totum logicum* (= διαίρεσις).

3) Quia totum actuale habet partes vel physicas vel metaphysicas, ubi fit resolutio in partes metaphysicas, vel compositio illarum, saepe videntur practice vix differre *resolutio* a *divisione*, et *compositio* a *collectione*; — atque inde apud auctores (recentiores praesertim) aliquando non parum confusionis oritur, quum eundem unum processum alter analyticum alter syntheticum appellet.

**Prob.** Opportuna methodus ad demonstrationem ea est, qua ex aliquo noto fieri potest processus ad ignotum; *a.* ad id utraque methodus conducit; *e.*

**Prob. min.** A noto ad ignotum procedit, qui aliquid prius explicite cognoscit, in quo alia implicite cognoscuntur, ad quae jam explicite agnoscenda procedit; *a.* talis processus utraque methodo habetur; *e.*

**ad min.** 1) Cognitio explicita totius continet implicitam cognitionem partium; *a.* a toto ad partes cognoscendas procedit methodus analytica; *e.*

2) Cognitio explicita partium continet implicitam cognitionem totius; *a.* a partibus ad totum procedit methodus synthetica; *e.*

**Coroll.** Non utraque methodus ubique utilis est; sed pro subjecta materia, nunc analytica (praesertim in quaerendo), nunc synthetica (praesertim in docendo) erit opportunior; — immo raro, ac vix unquam, una exclusive methodus ad scientiam totalem conducet, sed potius alternatim, v. e. synthetica quoad processum generalem, et analytica quoad demonstrationes aliquas particulares; — vel e converso...

### Propositio 62.

**Gravissima sunt vitia methodi positivistarum.**

**Stat. quaest.** 1) *Positivistae* non admittunt a) Deum et religionem, — b) animam spirituales et veram libertatem, — c) causas efficientes et finales, — d) substantiam... — Unde rejiciunt in philosophia : metaphysicam et theodicaeam; psychologiam autem reducunt ad physiologiam experimentalem; — fugiunt in artibus formas ideales, reales prosequuntur.

2) **Quoad methodum** : **A.** *Negant* medium cognitionis dari aliud praeter meram experientiam scientificam; — hanc autem dicunt quae versetur circa objecta ponderabilia vel mensurabilia, et proin calculo tractabilia; — rejiciunt igitur etiam experientiam vere psychologiam.

**B.** *Admittunt* a) classificationem omnium scientiarum esse : mathesin, astronomiam, physicam, chemiam, biologiam, sociologiam; — b) tres dari status in quibus mens humana in necessaria sua evolutione successive inve-

niatur : **A.** *theologicum* seu *ficivum* (fetichismum, polytheismum, monotheismum), — **B.** *metaphysicum* (jam non agentia fictitia, sed vires admittuntur occultae), — **C.** *positivum* seu *scientificum*.

**C.** *Conveniunt inter se* satis communiter circa praecedentia; — in aliis inter se differunt, neque addunt nisi vel *falsa*, vel *satis communia* (i. e. quae omnis homo noverat), et haec incohaerenter et incomplete dicta.

3) *Causae* cur ortum sit tale systema, fuerunt : a) methodus nimis a priori aliquorum spiritualistarum, unde reactionis excessus; — b) multi magnique progressus hisce ultimis temporibus facti in scientiis empiricis; — c) scepticismus in rebus metaphysicis ortus ex doctrina Kantiana; — d) superbia mentis et corruptio morum.

4) Auctores positivismi *stricti*, sunt praecipue : A. Comte, Littré...; alii paulo *mitigati* admittunt insuper associationem idearum, vel evolutionem, vel utramque simul : Stuart-Mill, Herbert-Spencer, Taine...

**Prob. 1°** Fundamenta positivismi non evidentia sunt, sed probanda forent, imo falsa sunt, — *a.* gratis affirmantur, ac probationis ne conatus quidem adhibetur; *e.*

**Ad maj.** Fundamenta ea sunt : 1) bonam et veram esse philosophiae et scientiae definitionem positivistarum.

2) Nihil posse cognosci nisi per sensus corporeos.

3) Nulla esse facta interna animi quorum praesens realitas non sub sensus cadat. atque adeo omnia facta esse homogenea.

4) Nihil in mundo existere praeter materiam ejusque vires et proprietates.

5) Omnem nostram cognitionem non habere nisi valorem phaenomenalem; ideas autem non esse nisi mera figmenta varia.

6) Materiam esse idoneam ad actus cognitionis et voluntatis et sensus in se ipsa efficiendos.

7) Omnia quae existunt, sine initio et sine fine esse; nullum esse necessarium rerum conditorem; esse in rebus motus varios sine ullo motore primo et immobili.

8) Nihil absolutum, nihil infinitum existere, aut existere posse.

9) Homines fuisse primum ac necessario in statu theologico, ac dein in statu metaphysico, nimirum in statu erroris naturalis, universalis, necessarii.

10) Statum positivum esse necessario ultimum, cui nullus debeat alius succedere.

11) Fictiones et errores qui in praecedente duplici statu dominabantur necessario, jam in tertio statu nullum locum habere.

12) Nullam haberi hucusque cognitionem metaphysicam certam; ergo metaphysicae objectum esse nobis impervium; ac proinde doctrinas de Deo, de angelis, de anima spirituali, etc... fuisse fictiones chimaericas.

13) Totum genus humanum errasse in rebus omnium gravissimis, sine ulla sui erroris conscientia.

14) Nihil supernaturale esse posse; et quidquid sub sensus corporeos non cadit, esse omnino nihil.

15) Hominem non destinari, ideoque nec facultates habere, nisi ad ea quae sensus attingit; nam ejus finem unicum esse ut viribus naturae ad comode et voluptuose vivendum utatur.

**Prob. 2°** Sibi contradicit methodus positivistarum, nam :

Contentit nihil esse admittendum praeter experientiam sensuum, sed simul inquit : a) quid sit causa et effectus, vis et materia, medium et finis; et conatur circa illa statuere leges immutabiles; — b) veram certitudinem de rebus sensibilibus, imo et (aliqui) de legibus universalibus; — et hanc admittit dari posse; — a. ista omnia involvunt multa admittenda quae supra experientiam sensuum sint elevata (v. c. principia prima, ideas, ratiocinium, matheses etiam sublimiores, causas, absolutum et universale, etc.)

**Prob. 3°** Positivismus corrumpit et evertit scientiae naturam, objectum, et scopum; e.

*Ad antec. per part. 1) Natura scientiae* requirit universalitatem et necessitatem nostrarum cognitionum; a. hae destruuntur si nonnisi experimentales sensuum valent cognitiones; e.

2) *Objectum scientiae* sunt causae et leges universales; a. hae non possunt attingi nec quaeri, si nihil nisi objecta singularia ponderabilia et mensurabilia cognosci, et ut talia calculo subjici possunt; e.

3) *Scopus scientiae* immediatus est rerum ordinem cognoscere per causas et leges generales altiores; — a. positivistae scopum sibi proponunt solum : dare facultatem praevidendi facta futura, determinandi facta determinabilia, vitandi alia, aliis utendi, ad augendas delicias et minuendos dolores; e.

**Schol. 1<sup>m</sup>** Ubi theoretice et generali modo loquuntur positivistae de Deo, de anima..., dicunt se non negare sed ab illis abstrahere, utpote non cognoscibilibus; — sed in corpore operum suorum illa *directe negant*, suntque aperte athei et materialistae.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Ubi metaphysicam dicunt, ita definiunt ut nec omnem nec solam intelligant, scilicet : « fidem rerum quae sensu attingi nequeant. »

**Schol. 3<sup>m</sup>** Definitionem scientiae arbitrarie restringunt, et vitioso circulo utuntur dicentes : nihil posse certum esse nisi quod scientificum; ac nihil esse scientificum nisi quod certum (scilicet per sensus).

**Schol. 4<sup>m</sup>** Absolutum et relativum confundunt cum reali et phaenomenali, ac cum non-cognoscibili et cognoscibili, et porro cum falso et vero!

## ARTICULUS 3.

*De testimonio humano : tertio medio.*

## Propositio 63.

**Auctoritas humani testimonii, sive dogmatici sive historici, omnibus utilis, imo necessaria est.**

**Notiones.** 1) *Testis* est qui suam cognitionem aliis manifestat; — quae manifestatio dicitur *testimonium*.

2) *Testimonium ratione objecti* dividitur in *dogmaticum*, si versatur circa doctrinam, — et *historicum* si circa factum.

*Ratione testis* dividitur in *divinum* et *humanum*.

3) *Testis historicus* est vel *immediatus* seu *oculatus*, qui factum refert quod ipse expertus est (visu, vel auditu, vel quocumque modo); — vel *mediatus* seu *auritus*, qui factum refert quod ipse jam ab alio teste accepit.

4) *Auctoritas* est idoneitas testis ad fidem sibi conciliandam; — ejus elementa sunt : testis scientia et veracitas ab audiente cognitae.

5) *Fides* est actus illorum qui testimonium accipiunt et credunt; est igitur mentis adhaesio veritatibus ex testimonio acceptis, ob auctoritatem testis; — unde differt et a scientia et ab experientia.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (dogmatici)** 1° Pueri nascimur omnium ignari, et sine ulla rerum experientia; a. illa aetate pares non sumus ut per nos ipsos cognitiones quibus tunc jam indigemus, acquiramus; e.

2° Crescente aetate non omnes a nobis ipsis veritates addiscere possumus, quae vel necessariae vel utiles nobis sunt (ob vitae brevitatem; saepe ob negligentiam, vel mediorem defectum; ob alias vitae occupationes); a. non aliud medium nobis superest quam auctoritas; e.

3° Etiam in his quae a nobis ipsis apprehendimus, saepe fit ut certi non simus de experientis factis, vel de ratiocinii rectitudine; a. ut dubium istud exuamus, eximium est medium : aliorum consultatio; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (historici)** : 1° Facta praeteritorum temporum, vel locorum distantium, vel quibus adesse non potuimus, nonnisi auctoritate historica cognoscere possumus; e.

2° Ut scientiis physicis studeamus (chemiae, physicae, historiae naturali, physiologiae, geographiae, astronomiae...), ad inductionem faciendam multis indigemus cognitionibus factorum, quae fere impossibile est omnia ipsos experiri; e.

3° Etiam in multis quae ad experimentalem cognitionem pertinent, ultima certitudo non habetur nisi testimonio historico, v. c. hos esse parentes meos, — hoc oppidum esse Lovanium...

**Objic. 1°** Constat plurimos esse deceptos ex auctoritate; e. inutilis. — R. a) *retorq.* constat plurimos assecutos esse veritatem ex... — R. b) *d.* etiam quum omnes adhibuerint condiciones requisitas, *n*; secus, *tr.*

**Objic. 2°** Nulla utilitas auctoritatis; nam ea nullam patitur demonstrationem. — R. n. ant. — d. rat. add. nullam a priori... tr; a posteriori, n.

### Propositio 64.

Testimonium dogmaticum sapientum vel arte peritorum probabilitatem parit, ita ut pro rudibus norma sit cui acquiescere possint, pro excultis vero fere semper rationi cedere debeat.

**Stat. quaest.** 1) Agitur de humanis et naturalibus cognitionibus, non de supernaturali doctrina.

Testimonium dogmaticum sapientum est hic simplex doctrinae assertio.

2) Non dicimus: rudibus esse semper acquiescendum, nam et ipsi rationem habent per quam scire discant, non credant solum; — sed dicimus: in quantum agitur de re ignota, vel quae hic et nunc captum superet, in tantum eos posse prudenter acquiescere; aliis verbis: dicimus testimonium dogmaticum non dare certitudinem, sed probabilitatem tantum.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (pro rudibus)** 1° Rudes nec ingenio pollent, nec iis mediis instruuntur, quibus scientifice rem cognoscere possint; sapientes vero supponuntur veritatem satis diligenter in examen vocasse; nec ratio est cur, quum graviter agunt, praesumantur simplices decipere velle; e.

**Prob. 2°** Melius esset cum sapiente aliquando errare, quam auctoritati diffidendo, multis fraudari cognitionibus veris; e. etiamsi quando fallantur, haec ratio esse non potest semper dubitandi; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (pro excultis)** 1° Homines exculti idonei sunt ad rem scientifice cognoscendam, ut sibi rationem reddant suae cognitionis; a. hoc fit per rationem, non per fidem; e.

**Prob. 2°** Etsi auctoritas prima sit tempore, ratio prior dignitate est, dataque nobis ut non modo res ipsa, sed et ejus motiva et rationes cognoscantur, quod nobilius est; e.

**Prob. 3°** Quamvis homo excultus veracitatem et scientiam testis cognoscat in genere, non tamen semper de ea constat in re particulari; a. ipse potest argumenta testis in examen vocare, et per se majorem acquirere certitudinem; e.

Ad maj. Constat experientia, etiam sapientes quandoque decipi.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Inde patet quo sensu intelligenda sint tria axiomata nota: «Peritis in arte credendum est.» — «Tanti valet auctoritas quanti ratio allata.» — «Non est jurandum in verba magistri.»

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Quo crescit numerus testium peritorum, eo major fit probabilitas; certitudinem tamen scientificam non attinget.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Cavendum ne haec propositio applicetur ad veritates religionis supernaturales, nam consensus SS. Patrum et Doctorum in rebus fidei et morum, non testimonium dogmaticum humanum est, sed testimonium historicum de fide et doctrina S<sup>ae</sup> Ecclesiae.

### Propositio 65.

Testimonium humanum historicum circa factum coevum nonnunquam certitudinem parit.

**Notiones.** 1) *Supponimus* dari leges morales in homine, i. e. dispositiones aliquas in natura fundatas, ad agendum modo determinato, constanter et uniformiter, ita tamen ut salva maneat naturae humanae libertas; quarum servare constantiam pertineat ad Dei sapientiam, ut naturae conditoris et legislatoris.

2) Ex his legibus, quae ad rem nostram faciunt, sunt: a) *amor veritatis* cognoscendae (nemo amat falli); — b) *horror mendacii* (nemo amat fallere, nisi bonum inde speret sibi proventurum, majus vel saltem aequale malo mendacii); — c) *defensio propria* (nemo permittit, si impedire potest, mendacium sibi suisque nocivum, in vulgus spargi).

3) *Nonnunquam*: si debitae conditiones adsint; et sufficienter considerentur

*possibilitas facti*: metaphysica, physica, moralis.

*credibilitas facti*:

ex testibus: a) scientia, prudentia, veracitas, impartialitas, non nimia credulitas, honestas, religiositas;

b) magnus numerus, diversitas indolis.

ex adjunctis: publicitas facti, convenientia testimoniorum inter se, publicitas narrationum; — interdum ipsa raritas facti.

ex narratione facta modo simplici, praejudicio nullo, cum minutis circumstantiis, addendo quomodo notum factum, appellando ad vades.

**Stat. quaest.** Non dicimus semper certitudinem affuturam, sed nonnunquam: sub datis conditionibus; nec tamen requirimus ut omnes semper simul adsint, sed volumus ut ad illas attendatur, ut de singulis testimoniis in concreto constet quibus conditionibus sint, quibus non sint vestita, et quantum pro hoc casu importet defectus. Hinc sequetur posse haberi certitudinem etiam ex paucorum testimonio quandoque: a) si testes probi, prudentes, — b) si testantur constanter, cum periculo, cum argumentis, — c) si nemine negante, imo et adversariis factum admittentibus...

**Prob.** Testimonium certitudinem pariet si certo constet 1) de testium scientia, 2) de testium veracitate; — a. de his passim satis facile constare potest iis qui ratione utuntur; e.

**Prob. min. 1 part. (de scientia)**. Requiritur et sufficit ut certo constet: a) de sensuum apta dispositione, — b) de eorum applicatione attenta et diligenti; — a. de utraque constare potest; e.

**ad min.** a) (*apta dispositio*). Si testes sunt multi; — si factum tale ut etiam aliqua indispositio sensuum non officiat (unde locutio: «est notum lippis!»)

b) (*debita applicatio*). Si factum perspicuum et facile perceptibile (nam secus neganda esset hominum naturalis cupido sciendi).

*Prob. min. 2 part. (de veracitate)*. Requiritur et sufficit ut certo constet testes nolle decipere; *a.* de hoc constare potest; *e.*

*ad min.* a) Si probi sunt, si nulla ratio mentiendi; — quandoque si utile foret mendacium contrarium; — si testes multi.

b) Interdum etiam constat testes, etiamsi vellent, non posse decipere: si factum publicum, illustre; — si aliis utile, aliis nocivum.

**Objic. 1°** Unus testis non facit certitudinem; *a.* non mutatur in collectione; *e.* — *R. tr. maj.* (vel *d.* semper, *n.*; generatim, *c.*) — *d. min.* non mutatur intrinsece, *c.*; extrinsece, *n.* (mutantur adjuncta, fiuntque talia ut confirmant).

**Objic. 2°** Singuli possunt errare et mentiri; *e.* omnes simul. — *R. d. ant. a)*: errare si debita conditione, *n.*; secus, *c.* — *d. ant. b)*: mentiri possibilitate metaphysica et physica, *c.*; morali, *sd.* sub certis conditionibus, *c.*; sub certis aliis de quibus in thesi, *n.*

**Objic. 3°** Testimonium nequit demonstrationis locum tenere; *e.* sapiente indignum. — *R. d. ant.* demonstrationis a priori, *c.*; a posteriori, ad cognoscendam existentiam facti, *n.*

**Objic. 4°** Infirmior probatio validiori oppositae cedere debet; *a.* de miraculo, v. g. testimonium affirmat certitudine morali, natura negat certitudine physica, quae est validior; *e.* — *ad min.* Naturae leges experientia constant. — *R. tr. maj.* — *ad min. part. a)* (affirmat...) *e.* — *part. b)* (negat...) *n.*; — *part. c)* (est validior) *n.* — *ad prob. min. d.* experientia constat de legibus, i. e. de communiter contingentibus, *c.*; de impossibilitate intrinseca oppositi *particularis* alicujus facti, *n.*

**Objic. 5°** Homines errare aut mentiri non est miraculum; *e.* hoc potius credendum quam miraculum quod narrant. — *R. d. ant.* si debita conditione desint, *c.*; si adsint, *sd.* non est miraculum in ordine physico, *c.*; in ordine morali, *n.* — *n. supp. cons.* (ex duobus semper illud esse credendum quod minus mirum, vel minus miraculosum; si v. c. sint rationes *pro*, et nullae *contra*).

### Propositio 66.

Testimonium humanum historicum traditum circa factum praeteritum nonnunquam certitudinem parit.

**Notiones.** 1) De facto praeterito potest ad posteros testimonium pervenire vel traditione orali, vel libris scriptis. — Hic de traditione seu successiva narratione.

2) Supponitur factum tale ut coaevis cum certitudine potuerit constare; ergo omnia jam secundum thesim praecedentem adsint; — addimus nunc, etiam apud posteros posse haberi de eo facto certitudinem ex traditione.

3) *Nonnunquam*: si debita adsint conditione, scilicet sit traditio a) *con-*

*stans*, seu perpetua, per testium continuatam seriem a facto ad nos usque non interruptam;

b) *ampla*: extensa ad plures et varias series testium; i. e. ut plures testes in singulis lineis, et plures lineae seu a pluribus testibus coaevis oriundae;

c) *uniformis*, narratione omnium testium saltem in substantialibus concordante, nec differente nisi forsitan in accidentalibus adjunctis.

4) Major insuper traditionis auctoritas erit:

a) si integra natio ejusque sapientes, facti memoriam sancte custodiant;

b) si apud plures nationes locis distantes eadem memoria servetur, saltem quoad substantiam;

c) si solemnibus ludis publicis, festis diebus, facti memoria ab antiquo recolatur;

d) si traditio cum monumentis antiquis concordet, qualia sunt: aedificia, sepulchra, numismata, statuae, picturae, supellex et utensilia, vestes et arma;

e) si populares usus, nomina urbium, fluminum, etc. locutiones figuratae, quasi vestigium facti conservent;

f) si concordent aliqua monumenta scripta: diplomata, sigilla, inscriptiones lapidaeae, etc.

**Stat. quaest.** Iterum non ea omnia simul adesse volumus, sed ad ea attendatur et judicetur *in concreto*. — Nec dicimus *post multas* generationes et saecula facilem fore certitudinem, quum vix constare possint conditiones; sed theoretice possibilitatem affirmamus; de existentia vero prudenter ponderanda testimonia secundum regulas hic traditas.

**Prob.** Testimonium traditionis certum erit, si certo constet omnes testes intermedios nec decipi potuisse, nec decipere voluisse (vel potuisse); *a.* haec certo constare possunt; *e.*

*Ad min. 1 part. (decipi)*. Si omnes conditione debita adsint, jam nec prima generatio immediata potuit decipi de facto publico et illustri; nec secunda quae successit non abrupte, sed sensim et pedetentim, et potuit vestigia coeva videre; nec alia ulla sequens, pedetentim succedens.

*Ad min. 2 part. (decipere)*. Ut possit supponi infidelitas, deberent supponi impossibilia, scilicet: a) totam aliquam generationem conspirasse in deceptionem; immo plures simul generationes conspirasse; — b) omnes sequentes ita fuisse hebetes ut nihil agnoverint; — c) alia plura circa monumenta, similiter impossibilia.

**Objic. 1°** Testes mediati sunt minus fide digni quam immediati; et eo minus quo sunt remotiores. — *R. d.* si omnia debita adsint, *n.*; secus, *c.*

**Objic. 2°** Facta dum ore per generationes traduntur, deformantur et mutantur. — *R. d.* facta levis momenti, *tr.*; publica et illustria, *sd.* quoad facti substantiam et adjuncta essentialia, *n.*; quoad cetera, *tr.*

**Objic. 3°** Plura facta quae ut certa habebantur, deinde reputantur fabulae. — *R. d.* quae vi testimonii legitimi, *n.*; secus, *c.*

## Propositio 67.

Testimonium humanum historicum scriptum, circa factum praeteritum, nonnunquam certitudinem parit.

**Notiones.** 1) Agimus praecipue de libris scriptis; ad quorum regulas redigenda sunt, proportione servata, alia monumenta scripta: numismata, inscriptiones.

2) Supponitur factum sicut in propositione praecedenti; addimus hic, apud posteros haberi posse certitudinem ex libris scriptis, per artem criticam, i. e. artem iudicandi de eorum auctoritate; sunt illi quasi testes immortales, de quorum auctoritate quaeritur.

3) Requiritur ut libri sint veraces, genuini, integri:

a) de veracitate eadem valent regulae ac de veracitate testium (supra).

b) de genuinitate seu authentia, i. e. ut liber tribuatur vero suo auctori et temporis; — regulae dignoscendi:  $\alpha'$  opinio publica qua liber ut authenticus ab illa aetate ad nos usque habitus est; —  $\xi'$  observatio styli et adjunctorum narrationis, quae convenient personae auctoris; —  $\gamma'$  extrinseca argumenta dubitandi non dentur, sed affirmandi authentiam; —  $\delta'$  concordantia cum antiquis codicibus.

c) de integritate, i. e. liber sit incorruptus talis qualem scripsit auctor; scilicet nec mutilatus, demptis partibus; nec interpolatus, additis et in textum intercalatis partibus. — Regulae dignoscendi:  $\alpha'$  observatio styli, et formarum, sententiarum: an cohaerentes, et anachronismorum; —  $\xi'$  comparatio citationum apud diversos auctores eosdem locos citantes; —  $\gamma'$  non habendae ut corruptiones quaedam parvi momenti mutationes, variationes, lapsus calami.

4) Liber non genuinus dicitur spurius vel apocryphus; — non integer dicitur corruptus: mutilus vel interpolatus.

**Prob.** Testimonium scriptum erit certum, si constet de libri authentia et integritate; — de auctoris scientia et veracitate; — *a.* haec omnia certo constare possunt; *e.*

*Ad min. 1 part.* De libri authentia et integritate constat si prudenter applicatis regulis convenire apparet; *a.* hoc realiter fieri potest, et fit; *e.*

*Ad min. 2 part.* De scientia auctoris satis est ut facta quae narrat sint publica, illustrata, a pluribus observata, ab aliis non contradicte, monumentis vel aliquibus effectibus confirmata; *a.* haec omnia haberi possunt, et habentur, deque iis ex observatione physica libri scripti constare potest; *e.*

*Ad min. 3 part.* De veracitate auctoris satis est applicare regulas de veracitate testium, et insuper videre: a) utrum diversi auctores sint concordantes, — b) utrum talia sint facta ut corrumpi potuerint, — c) utrum auctor sit factus coaevus, — et contradictores habuerit, — d) utrum probus et honestus, — e) utrum traditio aliqua vel alia monumenta confirmant; — *a.* haec omnia certo cognosci possunt; *e.*

## Propositio 68.

Testimonium humanum historicum, etiamsi non omnes necessariae supra requisitae conditiones adsint, saepe probabilitatem parit.

**Notiones.** 1) Testimonium historicum: sive de facto coaevo, sive de facto praeterito, sive traditum, sive scriptum.

Probabilitatem: ita ut prudentes viri admittere possint; — quandoque etiam probabilitatem maximam.

Etiamsi non omnes,.... Sit saltem: a) narratum factum non repugnans aliis factis narratis; — vel si repugnet, inquiretur:  $\alpha'$  utrum repugnet in rei substantia, an in accidentalibus, —  $\xi'$  utrum contradictio sit realis an apparens tantum, —  $\gamma'$  quae utriusque partis argumenta, —  $\delta'$  praefendus auctor gravior, honestior, impartialis.

2) De argumento negativo, i. e. quo ab auctorum silentio deducitur negandum esse factum: a) si inter coevos facti testes, alii narrant, alii silent: argumentum ordinario fere nihil valet, sed inquiretur causa silentii; — aliquando aequivalere potest negationi, si ostenditur auctor talibus fuisse in circumstantiis ut, si rem novisset, non potuisset silere; nec potuisset rem ignorare, si vera fuisset.

b) Si nullus testis coaevus, sed soli testes posteriores et remotiores factum narrant: argumentum ordinario valet; — aliquando non valet, si apparet causa, cur coevi siluerint, et modus quo posteriores factum cognoverint.

**Prob.** Natura ita comparatum est, ut quamdiu nulla causa adsit, homo potius quaerat non decipi nec decipere, quam temere credat, vel volenter mentiatur; *a.* per regulas datas saepe, cum probabilitate saltem, perspicui potest testibus nullam fuisse causam temere credendi vel volenter mentiendi; *e.*

## Propositio 69.

Consensus communis hominum non semper certitudinem parit, circa veritates non necessarias ad vitam physicam vel ordinem morale, sociale, religiosum.

**Notiones.** Consensus communis non tam testimonium humanum est, quam potius hominum fere omnium conformitas in iudicando de aliqua re, sive juris sive facti.

Non necessarias: in hoc differt iste consensus de quo nunc, a sensu naturae communi, de quo cfr. supra.

**Prob. 1°** Ex auctoritate humana non oritur certitudo, nisi adsint omnes conditiones; *a.* in consensu communi possunt non adesse omnes; *e.*

*Ad min.* Pone rem non magni momenti pro vita physica, vel ordine morali, — vel ad quam observandam media desint, — vel quae nimis faveat passionibus; — jam negligentia quaedam fit facilis, et iudicii turbatio, et error; — *a.* sic deficiet scientia testium; *e.*

**Prob. 2°** Teste experientia homines diu communiter errarunt, v. e. de non existentia antipodum, de motu solis, de influencia cometarum.

## QUAESTIO 5.

## De criterio ultimo dignoscendae certitudinis.

Postquam e praecedentibus constat de natura verae certitudinis, ejusque existentia, ac de mediis quibus duce natura ad eam pervenire queamus, jam nova oritur quaestio de criterio dignoscendae verae certitudinis ab omni fallaci certitudinis apparentia; quae quidem quaestio etiam aliis verbis enunciari potest, quomodo nempe nobis constare infallibiliter possit, nobis certitudinem proprie dictam de aliqua veritate quacumque adesse praesentem. Atque haec quaestio vix unquam ab antiquis, multum vero a recentioribus in varias partes agitata est.

## Propositio 70.

Ultimum fundamentum certitudinis non est consensus communis.

**Stat. quaest.** 1) Quaeritur quodnam sit motivum ultimum certitudinis. — *Motivum* est ratio ob quam *cognitam* mens firmiter veritati adhaeret. — *Motivum ultimum* seu *supremum*, est ratio illa *cognita* ultra quam nulla alia assignari potest, et quae in omnibus aliis specialibus motivis implicite continetur.

(Dicitur ratio *cognita*, nam praeterea dantur aliae rationes mentem moventes sed non ut *cognitae*, v. c. ipsa natura intellectus...)

2) *De La Mennais* (essai sur l'indiff. t. 2.) statuit: a) rationem individualement nihil certo cognoscere posse (argumentis scepticorum); — b) solum consensum communem generis humani, utpote manifestantem revelationem primaevam, esse motivum *omnis* certitudinis, etiam propriae cujusque existentiae; — c) et quidem hoc motivum non tantum esse ultimum, sed et solum esse, quum per illud cetera omnia probari debeant.

**Prob. 1°** Nequit esse ultimum certitudinis motivum, id quod aliud motivum necessario praesupponit; *a.* consensus communis aliud supponit; *e.*

**Prob. min.** Ut quis aliquam veritatem propter consensum communem admittat, debet certo cognoscere: a) alios homines existere, — b) eos fuisse locutos, — c) se intellexisse eorum testimonium; — *a.* haec omnia cognoscere non potest per ipsum consensum communem, de quo rediret tota quaestio; *e.*

**Prob. 2°** Multa sunt quae nullatenus objectum consensus communis esse possunt, v. c. me hic et nunc cogitare, capite dolere, velle...

**Schol.** Diximus de *consensu communi*, qualis superius erat definitus, nam de illo evidenter loquitur *De La Mennais*, quamvis ipse alio nomine utens semper dicat *sensum communem*.

**Objic. 1°** Ubi duo homines, ceteris paribus, dissentiunt, duce natura rem deferunt ad consensum plurium; *e.* — *R. d. ant.* si supponitur utrinque evidentia, *n. supp.*; si utrinque probabilitas, *tr. ant.*; si hinc evidentia, illinc probabilitas, *n. ant.*

**Objic. 2°** Stultus reputatur qui a consensu discedit; *a.* si evidentia privata praevalere debet, licebit discedere; *e.* — *R. d. maj.* jure merito reputatur semper, *n.*; aliquando, *sd.* si in evidentibus a sensu communi discedit, *e.*; si in non evidentibus, a consensu erroneo, ob meliorem rationem, discedit, *n.*

**Objic. 3°** Hic est protestantium et rationalistarum error: rationem privatam esse judicem ultimum. — *R. n. parit.* (in rebus fidei supernaturalis, ratio cedat non consensui communi hominum, sed auctoritati Ecclesiae).

**Objic. 4°** Pueri, duce natura, semper ad auctoritatem recurrunt. — *R. d.* ubi habent evidentiam, *n.*; ubi non habent..., quaerunt juvari ut illam acquirant, *c.*

**Objic. 5°** Quisque nostrum si communem consensum sibi esse contrarium videt, de se incipit dubitare. — *R. d.* si habet pro se evidentiam, *n.*; secus, *tr.*

## Propositio 71.

Ultimum fundamentum certitudinis non est fides divina.

**Stat. quaest.** 1) Agitur de certitudine *naturali*.

2) *Huet* statuit: a) rationem per solas suas vires naturales nihil cognoscere cum certitudine posse, sed cum probabilitate tantum, — b) per donum fidei divinae confirmari titubantem rationem et omnem certitudinem suam accipere (per traditionem). — Idem etiam tenebant *Bautain*, *Bonnetty*.

**Prob.** Fides divina plura alia supponit ut certo praecognita; ergo...

**Prob. ant. 1 part.** (*praesupponit*). Fides ob auctoritatem testantis Dei, praesupponit cognosci Dei existentiam, veracitatem, infallibilitatem, locutionem, nostram existentiam, sensuum veracitatem, aliorum existentiam, veracitatem, etc.

**Ad ant. 2 part.** (*ut certa*). Si per solam rationem ista praecognoscerentur ut probabilia solum, probabilis solum esset ex illis conclusio, scilicet fides divina ipsa.

**Objic. 1°** In ordine supernaturali major est firmitas adhaesionis in fide divina, quam in praecognitis praemissis; *e.* a pari poterit esse major in fide divina in ordine naturali. — *R. d. ant.* est firmitas major quam praemissarum, orta ex praemissis, *n.*; orta ex gratia actuali adjuvante supernaturaliter intellectum et voluntatem, *c.* — *n. cons. et par.*

**Objic. 2°** Principium evidentiae omnem obstinatum errorem protegit. — *R. n.* — vel *d.* ubi legitime applicatur, *n.*; per abusum et mendacium, *tr.*

**Objic. 3°** Poterit quisque dicere: hoc ita est, quia mihi sic videtur. — *R. n.* — vel *d.* si subjective videtur, *n.*; si videtur objectiva evidentia, *c.*

**Objic. 4°** Veritas rerum ab evidentia penderet! — *R. n.* — vel *d.* veritas objectiva penderet, *n.*; perceptio veri certa, *c.*

**Objic. 5°** Quidquid verum est, evidens esset! — *R. n.* — vel *d.* quidquid objective verum est, *n.*; quidquid ut verum certo cognosceretur, *c.*

**Objic. 6°** Saltem quidquid certum est, evidens esset; *a.* plurima (v. c.

mysteria) sunt certa sed non evidētia; *e.*—*R. d. maj.* evidens esset evidētia sive immediata sive mediata, *c*; semper immediata, *n.* — *c. d. min.*

### Propositio 72.

Ultimum fundamentum certitudinis non est caecus instinctus, neque affectus animi.

**Stat. quaest.** 1) *Reid et schola scotica*, statuit: a) ultimum motivum esse caecum mentis instinctum, i. e. suggestionem quamdam et inspirationem naturae, quae mentem, *absque perceptione motivi*, impellat ad quaedam iudicia ut certa; — b) haec proin iudicia esse communia omnibus hominibus, et principia continere sensus communis; — c) aliter enim explicari non posse quomodo homo admittat ut certa haec principia prima, quorum tamen certitudinem et universalitatem ex experientia non acquirat.

b) *Jacoby et sentimentalistae* statuunt ultimum motivum esse sensum aliquem et affectum voluntatis erga veritatem; unde suprema regula: «certum est illud quod interior affectus probat.»

**Prob.** (*quoad utrumque*). Hic caecus instinctus vel hic affectus internus, praesupponit ut cognitum, nexum necessarium inter illam subjectivam suggestionem, vel affectionem, et veritatem objectivam; — *a.* haec cognitio aut habetur ipsa ex alio motivo, et hoc erit ultimum, — aut ex ipso instinctu vel affectu, et habetur circulus vitiosus, et sequuntur iudicia synthetica a priori ac formae subjectivae necessariae Kantianae, et scepticismus universalis; quae sunt absurda; *e.*

**Schol.** 1<sup>m</sup> Nos etiam admittere possumus aliquem animi instinctum ad verum, sed qui non sit caecus; quum impellatur animus naturaliter ad adhaerendum vero evidenter apparenti.

**Schol.** 2<sup>m</sup> Etiam admittere possumus quaedam principia esse naturalia, i. e. omnibus communia et necessaria; sed non caeae admissa, quum admittantur ob evidētia suam immediatam.

### Propositio 73.

Ultimum fundamentum certitudinis non est conscientia.

**Stat. quaest.** *Galuppi* Kantianus ponit ultimum motivum esse conscientiam, qua ultimato certus ideo sum, quia mihi conscius sum, me rem ut est percepisse.

**Prob.** Conscientiae munus proprium est facta interna referre cum certitudine; *a.* ubi conscientia referet me rem ut est percepisse, quaestio manebit cur perceperim ut est, et habetur motivum ulterius; *e.*

**Schol.** In omni certitudine, intervenit quidem conscientia cognitionis verae, saltem implicita, sed intervenit ut conditio quae abesse non possit,

non ut motivum quod *sui cognitione* me moveat ad adhaerendum firmiter; v. c. certus sum omnes radios circuli esse aequales, non *ideo quia* percipio me bene percepisse, sed quia radii ex sua natura evidenter aequales apparent.

### Propositio 74.

Ultimum fundamentum certitudinis est de facto et de jure evidētia rei objectiva.

**Notiones.** 1) *Certitudinis*: proprie dictae subjectivae simul et objectivae. *Evidētia*: est ipsa veritas, cum sua necessitate, menti manifestata. Dividitur: a) ratione *necessitatis*: absoluta, — hypothetica.

b) ratione *manifestationis*: immediata, — mediata.

c) ratione *fontis*: metaphysica, physica, moralis.

d) ratione *nexus* inter motivum et veritatem: *intrinseca* seu *veritatis*, si motivum iudicii est ipsum subjectum (analysis essentiae subjecti, vel subjecti prout experientia exhibetur); — *extrinseca* seu *credibilitatis*, si motivum iudicii non est analysis subjecti, vel experientiae, sed testimonium cum veritate necessario connexum.

2) *Evidētia objectiva*: est affectio seu character ipsius veritatis, independens a subjecto cognoscente; quamquam connotat relationem ad mentem, seu aptitudinem ut se illi manifestet.

*De facto et de jure*: et est, et esse debet.

**Prob.** 1<sup>a</sup> pars (*de facto*). Teste experientia, in omni iudicio certo, nitimur ultimo tandem in evidētia objectiva; *e.*

*Ad antec.* 1) Si est iudicium immediate evidens, ulterius nullum quaerimus motivum.

2) Si est mediatum, adhaeremus propter evidētia consequentiam e praemissis certis.

3) Si quaeritur de ipsis praemissis, iterum adhaeremus aut immediate propter ipsam evidētia, aut mediate propter evidētia consequentiam ex aliis praemissis certis.

4) Nisi perveniatur tandem ad praemissas immediate evidentes, jam non adhaeremus conclusioni sed errorem corrigimus et in dubio manemus.

5) Etiam in iudiciis immediatis ideo ex singulis motivis particularibus sumus certi, quia per sensum intimum, vel externum, vel per intellectum, vel per testimonium, ipsa veritatis necessitas menti manifestatur.

**Prob.** 2<sup>a</sup> pars (*de jure*). Intellectus est facultas cognitiva veri; *a.* facultas cognitiva veri, ubi verum cum necessitate sui manifestatur, necessario acquiescit, sine inquisitione ulterioris motivi (i. e. ubi datur evidētia objectiva, necessario habet certitudinem, propter illam ut ultimum motivum); *e.*

*Ad min.* Evidētia objectiva, seu verum cum necessitate sui apprens, est idipsum quod facultas veri cognoscendi cupida quaerit, et ultra quod nihil jam quaerendum habet; neque potest haec ab alia facultate, v. c. voluntate, cogi ut agat contra propriam naturam, ac seipsam destruat ratio; *e.*



**Coroll.** Ergo opinari et aestimare non est in nobis, i. e. non pro lubitu possumus aliquid judicare verum vel falsum, certum vel probabile esse; sed pro datis motivis apparentibus necessario percipimus et iudicio adhaeremus.

### Propositio 75.

**Evidentia objectiva est criterium certitudinis infallibile.**

**Stat. quaest.** Ex praecedentibus sequitur: quoties adest certitudo striete dicta, toties semper adesse evidentiam, saltem mediatam; — et e converso, quoties adest evidentia, toties semper adesse certitudinem, saltem subjectivam; — quaeritur jam utrum etiam objectiva, — seu utrum in evidentia objectiva habeamus ipsum criterium (*κρίσιον*), i. e. medium discernendi *infallibiliter* omne verum objectivum ab omni falso objectivo. — Respondemus: quoties aderit evidentia, toties eam fore criterium infallibile; non tamen dicimus; circa omnem rem cogitabilem adfuturum istud criterium.

**Prob.** 1° Evidentia est ipsa res, cum necessitate sui, manifestata menti; a. res ita manifestata non potest aliter esse ac manifestatur; e.

2° Si existit certitudo, debet ultimum ejus motivum esse etiam criterium infallibile; a. existit certitudo, et motivum ejus ultimum est evidentia; e.

*Ad maj.* Secus semper maneret dubio locus.

**Schol.** 1<sup>m</sup> In his nostris propositionibus evidentia objectiva intelligitur ipsa res (ipsum enunciabile, seu nexus inter subjectum et praedicatum objectivus) se manifestans intellectui ita necessario esse, seu aliter esse non posse; — non vero intelligitur ipsa rei manifestatio seu apparentia; — nec ejus ipsa perceptio; — nec invincibilis propensio quae hanc consequitur, ad adhaerendum sine formidine.

**Schol.** 2<sup>m</sup> Quidam auctores verbis dicunt ut nos, evidentiam esse ultimum fundamentum, et infallibile criterium; — sed re dissentiunt, intelligentes evidentiam, perceptionem illam et invincibilem propensionem. — Nos illam admittimus, at non ut causam motivam, sed solum ut conditionem sine qua non posset mens firmiter adhaerere (cfr. Balmes, filos. fundam.). Ac proinde refutandi sunt illi auctores eodem fere argumento quo instinctus caecus; nam aut cognoscitur hujus propensionis nexus necessarius cum veritate objectiva, sed hoc ex evidentia; aut non cognoscitur, et est caecus instinctus.

**Schol.** 3<sup>m</sup> Ergo si quis quaerat, quonam signo discerni actu reflexo possit, utrum prior actus directus fuerit certus proprie dictae certitudinis, non subjectivae tantum; — R. Etiam tum criterium ultimum est evidentia objectiva (sensu nostro, supra...), non autem invieta illa propensio... *nam*: ex reflexione psychologica invenitur illa propensio, sed non licet concludere nisi ad certitudinem subjectivam; — requiritur reflexio simul psychologica et ontologica, qua invenitur et propensio illa et motivum ejus objectivum, unde possit concludi ad certitudinem proprie dictam.

**Objic.** 1° Illud non est infallibile certitudinis ultimum criterium, cujus

necessaria cum veritate connexio demonstrari non potest; a. evidentiae...; e. — R. d. maj. si haec connexio non sit per seipsam nota, c; si est..., n. — c. d. min. (sicut lumen solis non debet alio lumine illuminari ut oculo videatur).

**Objic.** 2° Vera evidentia, non falsa, erit criterium; a. eas distinguere non valemus; e. — R. c. maj. — n. min. (si veritas cum motivis suis objectivis se manifestat !)

**Objic.** 3° Saltem non constabit num res objective sint nostris ideis, quas de illis habemus, conformes. — R. n. (si recte adhibentur media cognitionis).

**Objic.** 4° Teste experientia, multi evidentia decepti sunt. — R. d. evidentia immediata, n; mediata, sd. si recte adhibuerunt media cognitionis, n; secus, ac proin per accidens, ob negligentiam, c.

## CAPUT III.

### DE STATU MENTIS RELATE AD FALSUM, SEU DE ERRORE.

Verum judicare potest mens nostra, et quidem sive cum aliqua haesitatione opinans, sive cum plena certitudinis firmitate. Atque de his dictum est.

Sed posse menti etiam falsum inesse moniti fuimus; quinimo docet experientia non raro homines falsis suis opinionibus firmiter adhaerere, quae firmitas certitudinis speciem imitatur, atque error vocatur. Hujus igitur causas et remedia inquiramus oportet.

### Propositio 76.

**Erroris objectum est falsitas, sed sub aliqua specie veri proposita.**

**Notiones.** 1) *Error* est status mentis falsitati adhaerentis; — nec potest esse nisi in iudicio, non in simplici idea.

*Objectum erroris* est ipsum enuntiabile, i. e. ipsa convenientia inter subjectum et praedicatum, quae enuntiari per propositionem vel percipi per iudicium potest.

2) *Objectum erroris* esse falsitatem, i. e. enuntiabile falsum, probari non debet, est enim in ipsa definitione; — sed probandum est, mentem, nisi illi falsum sub aliqua saltem veritatis specie proponatur, judicare falso, et huic iudicio adhaerere, non posse.

**Prob.** Proprium objectum intellectus (i. e. ratio quae movet intellectum ad iudicandum, et ad adhaerendum) est veritas, non falsitas; a. nulla potentia potest moveri ad actum, nisi ad actum proprium (i. e. circa objectum proprium), vel saltem qui proprius videatur; e.

**Objic.** 1° Voluntas potest imperare intellectui; e. sicut alia, potest et hoc imperare, ut erret ubi falsitas apparet sub specie falsi. — R. d. ant. ita ut immutetur natura intellectus, n; alias, c; — n. cons.

**Objic.** 2° Potest voluntas imperare ut errorem ore quis proferat, etiamsi falsitas appareat; e. — R. d. ant. ut ore mentiatur, c; ut mente erret, n.

**Coroll.** Ergo opinari et aestimare non est in nobis, i. e. non pro lubitu possumus aliquid judicare verum vel falsum, certum vel probabile esse; sed pro datis motivis apparentibus necessario percipimus et iudicio adhaeremus.

### Propositio 75.

**Evidentia objectiva est criterium certitudinis infallibile.**

**Stat. quaest.** Ex praecedentibus sequitur: quoties adest certitudo striete dicta, toties semper adesse evidentiam, saltem mediatam; — et e converso, quoties adest evidentia, toties semper adesse certitudinem, saltem subjectivam; — quaeritur jam utrum etiam objectiva, — seu utrum in evidentia objectiva habeamus ipsum criterium (*κρίσιον*), i. e. medium discernendi *infallibiliter* omne verum objectivum ab omni falso objectivo. — Respondemus: quoties aderit evidentia, toties eam fore criterium infallibile; non tamen dicimus; circa omnem rem cogitabilem adfuturum istud criterium.

**Prob.** 1° Evidentia est ipsa res, cum necessitate sui, manifestata menti; a. res ita manifestata non potest aliter esse ac manifestatur; e.

2° Si existit certitudo, debet ultimum ejus motivum esse etiam criterium infallibile; a. existit certitudo, et motivum ejus ultimum est evidentia; e.

*Ad maj.* Secus semper maneret dubio locus.

**Schol.** 1<sup>m</sup> In his nostris propositionibus evidentia objectiva intelligitur ipsa res (ipsum enunciabile, seu nexus inter subjectum et praedicatum objectivus) se manifestans intellectui ita necessario esse, seu aliter esse non posse; — non vero intelligitur ipsa rei manifestatio seu apparentia; — nec ejus ipsa perceptio; — nec invincibilis propensio quae hanc consequitur, ad adhaerendum sine formidine.

**Schol.** 2<sup>m</sup> Quidam auctores verbis dicunt ut nos, evidentiam esse ultimum fundamentum, et infallibile criterium; — sed re dissentiunt, intelligentes evidentiam, perceptionem illam et invincibilem propensionem. — Nos illam admittimus, at non ut causam motivam, sed solum ut conditionem sine qua non posset mens firmiter adhaerere (cfr. Balmes, filos. fundam.). Ac proinde refutandi sunt illi auctores eodem fere argumento quo instinctus caecus; nam aut cognoscitur hujus propensionis nexus necessarius cum veritate objectiva, sed hoc ex evidentia; aut non cognoscitur, et est caecus instinctus.

**Schol.** 3<sup>m</sup> Ergo si quis quaerat, quonam signo discerni actu reflexo possit, utrum prior actus directus fuerit certus proprie dictae certitudinis, non subjectivae tantum; — R. Etiam tum criterium ultimum est evidentia objectiva (sensu nostro, supra...), non autem invieta illa propensio... *nam*: ex reflexione psychologica invenitur illa propensio, sed non licet concludere nisi ad certitudinem subjectivam; — requiritur reflexio simul psychologica et ontologica, qua invenitur et propensio illa et motivum ejus objectivum, unde possit concludi ad certitudinem proprie dictam.

**Objic.** 1° Illud non est infallibile certitudinis ultimum criterium, cujus

necessaria cum veritate connexio demonstrari non potest; a. evidentiae...; e. — R. d. maj. si haec connexio non sit per seipsam nota, c; si est..., n. — c. d. min. (sicut lumen solis non debet alio lumine illuminari ut oculo videatur).

**Objic.** 2° Vera evidentia, non falsa, erit criterium; a. eas distinguere non valemus; e. — R. c. maj. — n. min. (si veritas cum motivis suis objectivis se manifestat !)

**Objic.** 3° Saltem non constabit num res objective sint nostris ideis, quas de illis habemus, conformes. — R. n. (si recte adhibentur media cognitionis).

**Objic.** 4° Teste experientia, multi evidentia decepti sunt. — R. d. evidentia immediata, n; mediata, sd. si recte adhibuerunt media cognitionis, n; secus, ac proin per accidens, ob negligentiam, c.

## CAPUT III.

### DE STATU MENTIS RELATE AD FALSUM, SEU DE ERRORE.

Verum judicare potest mens nostra, et quidem sive cum aliqua haesitatione opinans, sive cum plena certitudinis firmitate. Atque de his dictum est.

Sed posse menti etiam falsum inesse moniti fuimus; quinimo docet experientia non raro homines falsis suis opinionibus firmiter adhaerere, quae firmitas certitudinis speciem imitatur, atque error vocatur. Hujus igitur causas et remedia inquiramus oportet.

### Propositio 76.

**Erroris objectum est falsitas, sed sub aliqua specie veri proposita.**

**Notiones.** 1) *Error* est status mentis falsitati adhaerentis; — nec potest esse nisi in iudicio, non in simplici idea.

*Objectum erroris* est ipsum enuntiabile, i. e. ipsa convenientia inter subjectum et praedicatum, quae enuntiari per propositionem vel percipi per iudicium potest.

2) *Objectum erroris* esse falsitatem, i. e. enuntiabile falsum, probari non debet, est enim in ipsa definitione; — sed probandum est, mentem, nisi illi falsum sub aliqua saltem veritatis specie proponatur, judicare falso, et huic iudicio adhaerere, non posse.

**Prob.** Proprium objectum intellectus (i. e. ratio quae movet intellectum ad iudicandum, et ad adhaerendum) est veritas, non falsitas; a. nulla potentia potest moveri ad actum, nisi ad actum proprium (i. e. circa objectum proprium), vel saltem qui proprius videatur; e.

**Objic.** 1° Voluntas potest imperare intellectui; e. sicut alia, potest et hoc imperare, ut erret ubi falsitas apparet sub specie falsi. — R. d. ant. ita ut immutetur natura intellectus, n; alias, c; — n. cons.

**Objic.** 2° Potest voluntas imperare ut errorem ore quis proferat, etiamsi falsitas apparet; e. — R. d. ant. ut ore mentiatur, c; ut mente erret, n.

## Propositio 77.

**Nullus error est physice necessarius, sed a libera voluntatis motione oritur.**

**Notiones.** 1) Distinguendus est *error materialis*, i. e. adhaesio iudicio falso, sed non major quam ferant motiva; est ergo opinio probabilis tantum falsa; — et *error formalis*, i. e. adhaesio iudicio falso, major quam ferant motiva apparentia; poterit ergo esse etiam certitudo subjectiva.

2) Agimus nunc de errore formali tantum, non de materiali...

3) *Physice necessarius*; ita ut vi suarum facultatum, seu vi naturae suae, homo resistere non possit, et errorem vitare; — admittimus saepe errorem esse *moraliter necessarium*, i. e. tot ac tantas esse difficultates ut homines communiter certo eas non sint superaturi.

4) *A libera voluntate*, ut a causa vera, licet non totali et sola; aliae enim causae concurrunt (cfr. infra).

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (non necessarius).** Intellectus non necessatur ad iudicium et adhaesionem, nisi ab evidentia objectiva; *a.* haec falsa esse nequit; *e.*

*Ad min.* Secus: 1) nullum esset criterium veritatis (cfr. sup.), — 2) homo natura sua determinaretur ad errorem, — 3) fieret legitimus scepticismus.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (a libera voluntate).** Nihil potest intellectum movere ad errorem nisi voluntas; *a.* in hoc voluntas est libera; *e.*

*Ad maj.* 1) *non evidentia, nec ipsum objectum*: nam esset contradictio.

2) *non ipse intellectus*, nam haec facultas non seipsam determinat, sed debet determinari aliunde (v. c. ab objecto).

3) *non alia facultas praeter voluntatem*, nam talis nulla datur cui subiaceat intellectus.

*Ad min.* Voluntas semper libera est, quoties objectum non evidenter apparet ut omnimode bonum; *a.* falsum nequit evidenter apparere ut omnimode bonum homini *rationali*; *e.*

**Schol. 1<sup>m</sup>** Ex his explicatur quae sint omnes erroris causae, nimirum: species veri... = falsum saltem aliquomodo appareat ut verum.

ob praepudicia, vel ob falsam auctoritatem.

ob confusionem idearum, qua altera alteri inter iudicandum substituitur:

per imaginationem, praesertim associatione phantasmatum (cfr. prop. 36), — per oblivionem, — per terminum ambiguum ex attentionis defectu,

quia mens humana finita.

quia res consideranda multiplex.

motio liberae voluntatis, intellectum ad temere iudicandum impellentis:

ob appetitum enuntiabilis, i. e. cupidine ut sit verum.

ob impatientiam suspensionis, i. e. cupidine ut cito certa sit cognitio, nec maneat dubia.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Remedia erroris corrigendi proinde plana sunt: tollantur erroris causae, et jam errori locus non erit.

## CAPUT IV.

## DE STATU IGNORANTIAE HUMANAЕ, SEU DE LIMITIBUS RATIONIS.

Alius restat mentis nostrae status relate ad veritatem, ignorantia videlicet, seu carentia omnis iudicii sive veri sive falsi circa aliquam rem. Atque hic de tali statu, si versatur circa veritatem aliquam naturalem, nihil addendum occurrit. Verum si de veritatibus sublimioribus anquirere libeat, disputandum erit utrum tales aliqua veritates sint, quae earum natura, quid et quomodo de illis nostra mens attingere possit et non possit, cur necessaria nobis aliqua sit ignorantia.

## Propositio 78.

**Sunt quaedam veritates, quae absolute et per se rationis humanae captum superant.**

**Stat. quaest.** 1) Dicunt *rationalistae*, rationis humanae nullos esse limites, sed quidquid est intelligibile, per eam posse inveniri et probari; et quidquid per eam inveniri et probari non potest, non esse verum.

2) *Rationis humanae*: in se spectatae, i. e. vi naturae suae, ita ut agatur de omnibus et singulis hominibus, etiam sapientissimis; non solum de magis vel minus hebetibus.

**Notiones.** *Captum superant*, seu excedunt, i. e. homo aut terminorum ideam non habet, aut praedicati cum subjecto convenientiam perspicere non valet.

*Absolute*, i. e. homo naturalibus suis mediis nullo modo potest eas percipere; — *secundum quid* perciperet, si non cum certitudine, vel non clare, sed probabili opinione, vel suspitione tantum attingeret.

*Per se*, i. e. vi naturae suae, — non solum *per accidens*, i. e. ob aliquam difficultatem quae exercitium facultatum impedit, v. c. de numero stellarum.

**Prob.** Homo naturaliter cognitionem habet Dei, et spirituum, et simplicium, non intuitivam, sed factitiam tantum discursivam; *a.* ex cognitione factitia discursiva non possunt deduci omnes veritates quae pertinent ad subjectum; *e.*

*Ad maj.* Experientiae nostrae non subjacet Deus, spiritus, simplicia, directe, sed solum eorum effectus, ex quibus ratiocinando concludimus ad ipsam eorum existentiam et essentiam, repraesentatam per notas alienas, analogas.

*Ad min.* Faciendo analysim ideae quam de talibus habemus, invenimus notas quas ipsi per ratiocinium composuimus; *a.* istae nec sunt propriae, nec completae et adaequatae; *e.*

**Schol.** Afferuntur saepe alia duo argumenta:

1) Intellectus humanus est finitus, nec ergo potest infinite multas veritates cognoscere; *a.* intellectus divinus est infinitus, ac proin infinite multas veri-

tates cognoscit; *e.* — *Sed R.* Hoc probat intellectum humanum non posse simul omnes veritates cognoscere, *c*; etiam tales esse veritates ut nec singulae ab homine viribus naturalibus attingi possint, *n.* (nisi probatum aliunde sit, existere objectum aliquod infinitum, quod ipsum nunc quaeritur).

2) Etiam in rebus naturalibus, plurimae sunt veritates quae intellectus humanus non attingit; *e.* a fortiori in rebus supernaturalibus. — *Sed R.* Hoc probat in supernaturalibus posse dari veritates nondum cognitae, sicut neque omnes naturales adhuc sunt cognitae, *c*; etiam dari debere de facto, quae non possint attingi, *n.*

### Propositio 79.

Veritates illae quae supra rationem humanam, non possunt dici contra rationem esse.

**Prob. 1°** Contra rationem est ea propositio in qua evidenter percipitur repugnantia inter subjectum et praedicatum; — supra rationem ea in qua non evidenter percipitur convenientia inter subjectum et praedicatum; — *a.* haec non sunt idem; *e.*

**Prob. 2°** Ex eo quod aliquid mente humana attingi nequit, non sequitur quod a mente alia superiore non possit attingi; — *a.* si mens alia potest illud attingere, jam repugnare nequit cum principiis rationis analyticis, quae eadem sunt pro omnibus mentibus; *e.*

### Propositio 80.

Veritates quae supra rationem sunt, possunt esse materia doctrinae a revelatione divina procedentis.

**Notiones.** 1) *Revelatio* est testimonium Dei, docentis vel testantis, i. e. dogmaticum vel historicum.

2) *Revelatio* potest objectum habere: veritatem quam aliunde homo naturaliter cognoscere posset; — vel veritatem quam homo naturaliter invenire quidem non potuisset, sed quam semel revelatam intelligere valet. — vel mysterium proprie dictum, i. e. veritatem quam homo naturaliter nec invenire potuisset, nec etiam revelatam intelligere potest.

**Stat. quaest.** De his omnibus affirmamus in propositione; sed magis explicitè agimus de ultimis, ob majorem difficultatem.

**Prob.** Causa cur illae veritates non possent revelari, esset aut ex parte Dei (qui non posset homini suam cognitionem manifestare), aut ex parte hominis (qui non valeret illas veritates accipere); *a.* neutrum potest admitti; *e.*

**Prob. min. 1 part. (ex parte Dei).** Deus est infinite sapiens et infinite potens; *e.* et cognoscit plurima media apta ad manifestandam suam cognitionem, et potest ea media adhibere; *e.*

**Prob. min. 2 part. (ex parte hominis).** Impossibilitas esset aut quia generatim ex testimonio nihil novi posset homo addiscere, aut quia circa istas

veritates terminorum non habet ideam propriam, aut quia nexum inter subjectum et praedicatum non percipit; *a.* horum nihil valet; *e.*

*ad min. per part. a) Generatim ex testimonio:* cfr. supra, de testimonio humano, quae a fortiori de testimonio divino valebunt.

*b) Ideam propriam et intuitivam terminorum non habens,* potest tamen, ope revelationis, aliquam sibi factitiam eorum sed veram ideam componere, v. c. de gratia sanctificante, de existentia accidentium in Eucharistia sine substrato.

*c) Quod nexum inter subjectum et praedicatum non intelligat,* efficit tantum ut motivum instrinsecum non percipiat cur sit verum, non autem ut ob motivum extrinsecum non percipiat quod sit verum, v. c. trinitas personarum in una singulari natura, — unitas personae in duplici natura.

**Coroll.** Ergo repugnat quidem ut istae veritates opponantur principiis metaphysice certis; sed non repugnat ut opponantur principiis physice certis, nam haec hauriuntur ex ordine naturali.

**Objic. 1°** Nos modum assequi non possumus quo Deus revelet. — *R. d.* non possumus determinatum modum assignare, *tr*; in genere varios modos posibles, *n.*

**Objic. 2°** Ambigua et incerta res est revelatio. — *R. d.* per se, *tr*; concrete, spectata sapientia Dei revelantis, atque ejus fine obtinendo, *n.*

**Objic. 3°** Plures falsis imaginationibus decepti sunt. — *R. d.* invincibiliter, *n*; secus, *tr.*

### Propositio 81.

Certi esse possumus mediatae revelationis a Deo factae.

**Notiones.** *Revelatio* est *immediata* pro illo cui directe per seipsum Deus loquitur; — est *mediata* pro illis quibus non Deus per seipsum, sed ad quos prophetam suum mittit, quo mediante illis loquitur.

**Stat. quaest.** 1) Illum cui Deus immediate loquitur, posse certum esse de revelatione sibi facta, est clarum satis ut non probetur, nam tenetur Deus ob suam sapientiam media apta eligere.

2) Agitur in thesi de certitudine proprie dicta, quam alii homines possunt habere de facto revelationis alicui immediate factae.

**Prob.** Ut aliquis reddatur certus de aliquo facto, satis est ut motiva habeat sufficientia ad illud cum evidentia extrinseca credendum; *a.* talia suppetunt motiva circa factum mediatae revelationis; *e.*

*Ad min.* 1) De hoc facto, sicut de omni alio facto, inspiciendum est quantae sit auctoritatis testimonium hominis affirmantis, et:

2) Hic *speciatim* (quia ordinario testis erit unus, vel pauci tantum, et quia agitur de facto extraordinario et minus facile admittendo) attendendum: *a)* utrum ex aliqua passione moveatur testis ad fallendum (sed hoc in concreto constet, non in abstracto concludatur fieri posse); — *b)* utrum etiam cum damno

suo testetur; — *c*) utrum suum testimonium factis supernaturalibus (miraculis, prophetiis) confirmet; — *a*. haec omnia haberi possunt, et a Deo sapiente et provido sufficienter suppeditantur, ubi opus est; *e*.

**Coroll.** Clarum est, nec jam probandum, revelatione, ubi haec certo constat facta fuisse, exhiberi motivum certitudinis proprie dictae, et quidem summi gradus, de veritate revelata; nam testis Deus est sapientissimus veracissimus.

**Objic.** Certitudo non est sine evidentia; *a*. nulla est evidentia in rebus a Deo revelatis (praesertim mediate); *e*. — *R. d. maj.* sine evidentia sive intrinseca sive extrinseca, *c*; sine intrinseca tantum, *n*. — *c. d. min.* non intrinseca, *c*; non extrinseca, *sd.* in immediate revelatis, *n*; in mediate, *sd.* per se, *tr*; sub Deo provido, *n*.

### Propositio 82.

Revelatio divina est hominibus absolute necessaria ad cognitionem veritatum supernaturalium; sed etiam ad cognitionem veritatum aliquarum naturalium utilis est et relative necessaria.

**Notiones.** *Utile* est id quod faciliorem reddit finem obtinendum; — *necessarium* est id sine quo finis obtineri non potest; — *absolute necessarium*, sine quo omnino non potest; — *relative necessarium*, sine quo natura sua quidem potest, sed de facto, ob adjuncta et difficultates, certo non obtinebitur.

**Stat. quaest.** 1) Pro veritatibus supernaturalibus dicimus revelationem esse absolute necessariam omnibus et singulis hominibus; — pro naturalibus, esse relative necessariam generi humano collective sumpto, non singulis hominibus.

2) Veritates istae naturales, eae sunt maxime quae ad vitam moralem et socialem spectant, nec ita primariae sunt ut a sensu communi percipiantur, sed sunt conclusiones jam paulo remotiores. — *Cfr. S. Thom. 1 p. q. 1. a. 1.*

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (supernaturalium).** Veritates supernaturales eae sunt, quas homo naturae suae viribus acquirere non potest (analisi, vel experientia); *a*. ad tales veritates cognoscendas nullum superest aliud medium praeter revelationem; *e*.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (naturalium... utilis).** Utile est quod juvat ad cognoscendum citius, communius, certius; *a*. circa aliquas veritates, revelatio...; *e*.

*Ad min. 1 part. (citius).* Tales veritates sola ratione non nisi multo labore, pluribus disputationibus, multis praesuppositis cognitionibus attinguntur; *a*. his opus non est ubi revelatio illas clare proponit; *e*.

*Ad 2 part. (communius).* Plurimi homines vel ingenio non pollent satis acuto, vel studiis non satis exercentur, vel aliis occupationibus distinentur, vel torpore addiscendi impediuntur; *a*. haec omnia facile supplentur, ubi revelatio...; *e*.


*Ad 3 part. (certius).* Posito praesenti generis humani statu, debilitate humanae mentis, multae ex his veritatibus diu incertae manent, et difficilis est circa illas certitudo; *a*. per Dei testimonium facile fiunt certissimae; *e*.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (relative necessaria) 1<sup>o</sup>** Difficultates modo dictae, tantae sunt, ut moraliter certum sit multo majorem partem hominum illas non superaturam, ac proin illas veritates ignoraturam esse; *a*. haec est relativa necessitas; *e*.

**Prob. 2<sup>o</sup>** De facto, experientia constante, etiam inter praestantissimos philosophos extra revelationem: 1) pauci illas veritates cognoverunt, — 2) et quidem imperfecte et incerte, — 3) nec potuerunt alios docere et persuadere, ob defectum auctoritatis, sanctionis, et claritatis rationum; *e*.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Revelatio, utpote supernaturalis, est naturae indebita; *a*. hic affirmatur esse moraliter necessaria; *e*. moraliter debita. — *R. c. maj.* — *d. min.* per se, *n*; propter defectum alterius adjutorii naturalis, *sd.* quod per eam simpliciter compensatur, *n*; quod superabundatur, *c*.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Mystera aut sunt veritates, aut non; *a*. si primum, revelatio non est necessaria nec utilis; si secundum, est absurda; *e*. — *R. d. maj.* aut veritates naturales, aut supernaturales, aut non, *c*; secus, *n*. — *ad min. 1 part. d.* si naturales: revelatio non est absolute necessaria, *c*; nec relative necessaria, nec utilis, *n*. — *ad 2 part. d.* si supernaturales: non utilis ad cognoscenda mysteria intime, *c*; ad apprehendenda quoad terminos, licet non quoad essentiam, *n*.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA

DIRECCIÓN GENERAL DE

## LIBER SECUNDUS.

### ONTOLOGIA.

#### PROOEMIUM.

I. **Metaphysica** dicitur illa scientia quae supream rerum notiones suprasensibiles investigat; illas videlicet veritates quae per experientiam vel per testimonium sciri et attingi non possunt, sed quae soli ratiocinio et mentali contemplationi perviae sunt. De Metaphysica generatim haec pauca notanda veniunt :

1° *Finis metaphysices* est generalissima et certissima principia rerum nos docere, quibus ut primis et necessariis veritatibus omnis veritatum omnium ordo regatur ac quasi nitatur.

2° *Objectum metaphysices* sunt causae ontologicae ultimae rerum omnium existentium, tum excogitabilium, menti nostrae proponendae, ordinandae ac perspicendae.

3° *Medium metaphysices* est mentalis rerum contemplatio et ratiociniorum discursus ac processus methodicus, quo a factis et datis, per varias scientias naturales et experientiam omnimodam praebitis, ad conclusiones necessarias ultimas procedamus.

4° *Comparatio metaphysices ad alias scientias.* Post obviam cujusque experientiam, post acutam atque sagacem experimentationem et observationem, post coordinationem et subordinationem rerum per varias classes et familias et genera et species, orta dici potest aliqua scientia naturalis, de hoc scilicet aliquo ordine rerum. Hujus scientiae munus jam est facta observare, eorum constantiam vel mutabilitatem notare, conditiones varias et adjuncta sub quibus facta constanter vel iterentur vel mutantur animadvertere, naturae

leges singulas determinare, legum inter se relationes mutuas indagare, legum plurimum per mutuas relationes complexum illustrare atque ad leges universalissimas reducere, easque exprimere per formulas simplicissimas. Atque hinc prona erit via ad causas rerum propinquiores pro singulis rerum ordinibus deducendas. Et ecce *scientia* possidebitur *aliqua particularis*. At non item *scientia metaphysica*. Haec enim et varias scientias inter se comparans, et unitatem in varietate humanarum cognitionum quaerens, altiores communes rerum causas inquirat, intimiorem naturam ipsarum causarum rimatur, atque ad primam usque causam omnium unam contemplandam assurgit. Quae ulterior inquisitio tam consona humanae naturae est, ut ipso rationis nostrae impulsu sponte ad eam feramur, atque vix ullus in scientiis vere peritus existat qui non illas quaestiones attingat; quinimo multi limites metaphysicae ingressi, facti sui ignari, et aliunde non sufficienter ad tales lucubrationes parati atque exequuti per philosophiae studium, miros in errores mira per devia deveniunt.

5<sup>o</sup> *Divisio metaphysicae* jam ex prima introductione generali ad philosophiam nota remanet. Etenim de omni ente consideratio quum sit, pars una necessario *circa notionem entis generatim sumpti, et circa omnia entia eatenus inspecta quatenus praecise entia sunt*, versari debet, quae vocatur *metaphysica generalis* seu *ONTOLOGIA*; partes aliae de singulis summis entium divisionibus tractant, suntque partes *metaphysicae specialis*.

II. **Ontologia** igitur, ex modo dictis, ens ut ens, sive aliis verbis: omnia entia prout entia sunt, considerat; quamobrem in quatuor capita dividetur tota haec tractatio.

- Caput 1. De ente in communi, seu de notionem transcendentali entis.
- Caput 2. De entis proprietatibus transcendentalibus.
- Caput 3. De entis summis generibus, seu categoriis.
- Caput 4. De entis perfectione.

## CAPUT I.

### DE ENTE IN COMMUNI.

Quidquid est, quidquid esse potest, imo quidquid excogitari potest, est, aliquod ens, et si ab omni differentia quacumque inter illa omnia entia abstrahas, habes communem aliquam omnibus notam hanc, quod sint *entia*: habes conceptum entis in communi, de quo disputamus toto isto capite. Et quidem tres de eo sint quaestiones:

- Quaestio 1. De ente, ut sic.
- Quaestio 2. De ente, ut essentia.
- Quaestio 3. De ente, ut existente.

### QUAESTIO 1.

#### De ente, ut sic.

De hoc conceptu quaerendum est quid in sua abstractione repraesentet, seu quodnam sit objectum formale conceptui tam abstracto correspondens; deinde quum etiam entis oppositum, puta non ens, concipere nostra mens queat, etiam hujus conceptus objectum quale sit quaeremus; ac tandem, quoniam ex ipsa entis et non entis consideratione aliqua prima et universalissima iudicia se menti offerunt, de his quoque disputandum erit. Sint proinde

- Articulus 1. De conceptu entis.
- Articulus 2. De ente rationis, seu non ente.
- Articulus 3. De primis principiis ex idea entis.

### ARTICULUS 1.

#### De conceptu entis.

#### Propositio 1.

**Conceptus subjectivus proprius et adaequatus entis, ut sic, est unus.**

**Stat. quaest.** 1) *Notio entis* definiri non potest, nam a) est notio maxime communis et generalissima, — b) est notio simplicissima, — c) nullam habet priorem et notioem per quam definiatur; — *aliis verbis*: quia habet omnium minimam comprehensionem et maximam extensionem.

2) Potest tamen et debet explicari ista entis notio; atque haec erit indagatio hujus et sequentium propositionum. — Dicimus igitur hic: *conceptus subjectivus noster*, i. e. ipse actus mentis nostrae cogitantis ens, nostra perceptio entis subjectiva;

*proprius*: quo non percipiuntur aliae notae praeter notam entis;

*adaequatus*: qui omnia entia complectitur, nullum excludit;

*entis, ut sic*: reduplicative, ut entis, nullo modo determinatus; i. e. cogitando quodcumque prout est ens, non prout est tale vel aliud ens;

*est unus*: i. e. praecisus ab aliis conceptibus subjectivis aliarum rerum et notarum.

3) *Scopus* est explicare conceptum *objectivum* entis, i. e. inquirere qualem notam nobis repraesentemus dum cogitamus ens; sed quia paulo difficilius, et multum pendens a subjectiva nostra conceptione, ab ista incipimus.

4) De hac et proxime sequentibus propositionibus cfr. *Suarez*, met. disp. 2.

**Prob. 1<sup>o</sup>** Voces exprimunt immediate conceptus mentis seu ea quae subjective concepta sunt (ita ut ubi plura sunt subjective concepta, ibi plura sint verba); — *a.* vox entis non solum materialiter est una, sed et formaliter unam habet significationem ex primaeva impositione sua; *e.*

leges singulas determinare, legum inter se relationes mutuas indagare, legum plurimum per mutuas relationes complexum illustrare atque ad leges universalissimas reducere, easque exprimere per formulas simplicissimas. Atque hinc prona erit via ad causas rerum propinquiores pro singulis rerum ordinibus deducendas. Et ecce *scientia* possidebitur *aliqua particularis*. At non item *scientia metaphysica*. Haec enim et varias scientias inter se comparans, et unitatem in varietate humanarum cognitionum quaerens, altiores communes rerum causas inquirat, intimiorem naturam ipsarum causarum rimatur, atque ad primam usque causam omnium unam contemplandam assurgit. Quae ulterior inquisitio tam consona humanae naturae est, ut ipso rationis nostrae impulsu sponte ad eam feramur, atque vix ullus in scientiis vere peritus existat qui non illas quaestiones attingat; quinimo multi limites metaphysicae ingressi, facti sui ignari, et aliunde non sufficienter ad tales lucubrationes parati atque exequuti per philosophiae studium, miros in errores mira per devia deveniunt.

5<sup>o</sup> *Divisio metaphysicae* jam ex prima introductione generali ad philosophiam nota remanet. Etenim de omni ente consideratio quum sit, pars una necessario *circa notionem entis generatim sumpti, et circa omnia entia eatenus inspecta quatenus praecise entia sunt*, versari debet, quae vocatur *metaphysica generalis* seu *ONTOLOGIA*; partes aliae de singulis summis entium divisionibus tractant, suntque partes *metaphysicae specialis*.

II. **Ontologia** igitur, ex modo dictis, ens ut ens, sive aliis verbis: omnia entia prout entia sunt, considerat; quamobrem in quatuor capita dividetur, tota haec tractatio.

- Caput 1. De ente in communi, seu de notionem transcendentali entis.
- Caput 2. De entis proprietatibus transcendentalibus.
- Caput 3. De entis summis generibus, seu categoriis.
- Caput 4. De entis perfectione.

## CAPUT I.

### DE ENTE IN COMMUNI.

Quidquid est, quidquid esse potest, imo quidquid excogitari potest, est, aliquod ens, et si ab omni differentia quacumque inter illa omnia entia abstrahas, habes communem aliquam omnibus notam hanc, quod sint *entia*: habes conceptum entis in communi, de quo disputamus toto isto capite. Et quidem tres de eo sint quaestiones:

- Quaestio 1. De ente, ut sic.
- Quaestio 2. De ente, ut essentia.
- Quaestio 3. De ente, ut existente.

### QUAESTIO 1.

#### De ente, ut sic.

De hoc conceptu quaerendum est quid in sua abstractione repraesentet, seu quodnam sit objectum formale conceptui tam abstracto correspondens; deinde quum etiam entis oppositum, puta non ens, concipere nostra mens queat, etiam hujus conceptus objectum quale sit quaeremus; ac tandem, quoniam ex ipsa entis et non entis consideratione aliqua prima et universalissima judicia se menti offerunt, de his quoque disputandum erit. Sint proinde

- Articulus 1. De conceptu entis.
- Articulus 2. De ente rationis, seu non ente.
- Articulus 3. De primis principiis ex idea entis.

### ARTICULUS 1.

#### De conceptu entis.

#### Propositio 1.

**Conceptus subjectivus proprius et adaequatus entis, ut sic, est unus.**

**Stat. quaest.** 1) *Notio entis* definiri non potest, nam a) est notio maxime communis et generalissima, — b) est notio simplicissima, — c) nullam habet priorem et notioem per quam definiatur; — *aliis verbis*: quia habet omnium minimam comprehensionem et maximam extensionem.

2) Potest tamen et debet explicari ista entis notio; atque haec erit indagatio hujus et sequentium propositionum. — Dicimus igitur hic: *conceptus subjectivus noster*, i. e. ipse actus mentis nostrae cogitantis ens, nostra perceptio entis subjectiva;

*proprius*: quo non percipiuntur aliae notae praeter notam entis;

*adaequatus*: qui omnia entia complectitur, nullum excludit;

*entis, ut sic*: reduplicative, ut entis, nullo modo determinatus; i. e. cogitando quodcumque prout est ens, non prout est tale vel aliud ens;

*est unus*: i. e. praecisus ab aliis conceptibus subjectivis aliarum rerum et notarum.

3) *Scopus* est explicare conceptum *objectivum* entis, i. e. inquirere qualem notam nobis repraesentemus dum cogitamus ens; sed quia paulo difficilius, et multum pendens a subjectiva nostra conceptione, ab ista incipimus.

4) De hac et proxime sequentibus propositionibus cfr. *Suarez*, met. disp. 2. **Prob. 1<sup>o</sup>** Voces expriment immediate conceptus mentis seu ea quae subjective concepta sunt (ita ut ubi plura sunt subjective concepta, ibi plura sint verba); — *a.* vox entis non solum materialiter est una, sed et formaliter unam habet significationem ex primaeva impositione sua; *e.*



*Prob. min.* 1) Audito nomine entis experimur mentem nostram non distrahi in plura, nec in plures actus; sed colligi potius in unum (aliter ac v. c. audito nomine Tauri, Tartari, Galli...); *e.*

2) Si sensus vocis entis non est unus, erunt innumeri; *a.* hoc est absurdum; *e.*

*ad maj.* Si multiplicantur, hoc fiet secundum entitatum diversitatem in extensione entis comprehensarum; *a.* hae in infinitum possunt multiplicari, et secundum proprias notas distingui; *e.*

**Prob. 2°** Unum habemus conceptum subjectivum existentiae, ut sic; *a.* idem dicendum est de conceptu subjectivo entis ut sic; *e.*

*Ad maj.* Teste experientia, quoties loquimur de existentia, ut sic, unum formamus conceptum simplicem abstractissimum.

*Ad min.* Ens aut sumitur ut participium, et est idem ac: aliquid existens; — aut ut nomen, et est: aliquid aptum ad existendum; — *e.* conceptus subjectivus entis ut sic, tam simplex et unus est, quam conceptus existentiae ut sic.

### Propositio 2.

**Conceptui subjectivo entis respondet conceptus objectivus unus adaequatus et immediatus.**

**Notiones.** 1) *Conceptus objectivus* est res illa quae proprie per conceptum subjectivum cognoscitur et repraesentatur; seu est ipsa nota objecti concepta.

*Adaequatus*: qui ad omnia entia extenditur, sicut conceptus subjectivus.

*Immediatus*: qui immediate in se repraesentatur, nam mediate repraesentantur res determinatae quae sunt.

*Unus*: qui expresse non dicit substantiam neque accidens, neque finitum neque infinitum, sed haec omnia per modum unius, quatenus inter se aliquomodo sunt similia, et conveniunt in essendo.

**Prob.** Conceptus subjectivus unus debet habere objectum aliquod adaequatum; *a.* hoc non est aggregatum e variis naturis secundum proprias earum rationes; *e.*

*Ad min.* 1) Conceptus entis non exhibet res, seu naturas diversas, ut diversas; sed omnia quatenus sunt, non qualia sunt, i. e. praecise quatenus habent aliquam similitudinem in essendo.

2) Si ens non significaret notam objective unam, significaret immediate v. c. substantiam et accidens: aut copulative, aut disjunctive; — *a.* neutrum dici potest; *e.* — (idem de finito et infinito...)

*ad min.* Si copulative: sententia «*substantia est ens*» significaret «*substantia est substantia et accidens*» — quod absurdum.

Si disjunctive: eadem sententia significaret: «*substantia est substantia (tantologic), aut est accidens (absurdum).*»

### Propositio 3.

**Conceptus objectivus entis ut sic, est secundum rationem praecisus ab omnibus particularibus, seu membris dividendis ens.**

**Notiones.** 1) *Praecisio* (seu abstractio) fieri potest a mente, etiamsi a parte rei nulla sit distinctio inter notam quae concipitur et notam quae non concipitur, v. c. si cogito *Deum*, — *Dei intellectum*, — *divini intellectus actum*... — Talis praecisio fit per modum concipiendi rem inadaequatam, imperfectam, confusam. — Hoc sensu dicimus conceptum entis objectivum esse ratione praecisum ab inferioribus.

2) *Dividentibus ens*, i. e. ab omnibus aliis notis quae sub nota entis ordinari possent tanquam ejus subdivisiones, fere sicut species ordinantur sub genere illudque dividunt.

**Prob. 1°** Conceptu subjectivo repraesentatur ens objective ita ut nullum inferius distinguat, sed omnia per modum unius quatenus conveniunt in essendo; *a.* haec est praecisio secundum rationem; *e.*

*Ad maj.* 1) Conceptus entis objectivus rationi non apparet ut conceptus proprius substantiae, accidentis, infiniti, finiti, aut cujusvis determinati generis; nec ut aggregatum ex illis omnibus; *e.*

2) Si conceptus entis inferiora distingueret, sententiae: «*substantia est ens, accidens est ens*» aut essent tautologicae, aut falsae et absurdae; *a.* neutrum dici potest; *e.*

**Prob. 2°** Datur conceptus objectivus unus, v. c. substantiae, ratione praecisus ab omnibus inferioribus; *a.* hoc non nisi ob eorum convenientiam secundum quam concipi possunt praecise; *e.* a pari omnia entia...

**Objic. 1°** Ens est analogum; *e.* entia non conveniunt sicut substantiae conveniunt univoce in nota substantiae. — *R. c. ant.* (cfr. infra) — *d. cons.* non conveniunt in modo essendi, *c.* in essendo praecise, *n.*

**Objic. 2°** Ratio entis intime essentialiter inest omnibus; *e.* non potest praescindi. — *R. c. ant.* (cfr. infra) — *d. cons.* re, *c.* ratione, *n.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** In hoc conceptu objetivo entis, sic praeciso, non includuntur actu modi intrinseci substantiae, accidentis, etc. *nam*: aut includerentur ut constituentes hunc conceptum, i. e. in ejus comprehensione, aut ut dividentes, i. e. in ejus extensione; — *a.* non primum (nam impossibile est unum, ut unum, constitui modis oppositis), nec secundum (nam ille conceptus objectivus esset actu divisus, non unus); *e.*

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Vox *entis* non significat immediate substantiam vel accidens, vel alia genera secundum proprias rationes; sed conceptum objectivum entis ut sic, et ratione illius, genera in quibus reipsa existit; *nam*: vox est signum manifestativum conceptus subjectivi, et suppositivum conceptus objectivi.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** *Ens* potest usurpari in syllogismo ut medius terminus, *nam*: exprimit conceptum unum, estque terminus formaliter unus, dummodo sumatur ut sic, nec ludatur in ejus differentiis inferioribus.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** *Ens non dicit solum conceptum unum et praecisum, prout absolute et abstracte consideratur, sed et prout comparatur ad inferiora ut de eis praedicetur, vel existens in eis consideratur; nam: post quamcumque notitiam abstractivam conceptus communis a particularibus, potest intellectus facere comparativam notitiam hujus conceptus praecisi cum inferioribus magis concretis.*

#### Propositio 4.

**Conceptus entis objectivus, prout in re ipsa existit, non est ex natura rei distinctus ac praecisus ab inferioribus in quibus existit.**

**Notiones.** A parte rei, i. e. independentem a consideratione mentis, potest haberi distinctio ut inter rem et rem, ita ut utraque ab altera separata possit existere, — vel ut inter rem et modum, ita ut separatim possit unum sine altero existere, sed non alterum sine primo.

**Stat. quaest. 1)** *Inferiora entis hic non solum intelliguntur res variae prout physice et concrete existunt, sed etiam et maxime: conceptus objectivi formales rerum variarum, etiamsi aliunde abstracti et valde simplices sint conceptus, i. e. objecta formalia conceptuum, etiam si valde abstracta concipiuntur objecta. In tota hac propositione igitur debet realitas et existentia intelligi pro realitate concepta, et existentia concepta, non pro realitate vel existentia physica.*

2) Scotistae dicunt inter ens et inferiora sua, v. c. substantiam, esse a parte rei veram distinctionem, ita ut substantia sit compositum ex ente et modo substantiae (substantialitate).

3) Posset quidem excogitari duplex modus negandi nostram propositionem: a) *ens* et v. c. *substantiam* ita ex natura rei distingui, ut sint sibi contradistincta, et sit ens non substantia, et substantia non ens; sed ita substantia esset nihil, et jam non esset substantia. Sed hoc nemo dixit, neque refutandum vel disputandum est;

b) *ens* et v. c. *substantiam* distingui realiter ut partem et totum (vel inclusum et includens); et sic substantia resolvi posset in duos conceptus: *entis* et *substantialitatis*, seu determinationis substantialis; et isti realiter distincti componerentur in substantiam. Hoc solum videntur adversarii affirmare.

4) Probandum ergo nobis manet, conceptum *entis* objectivum, et conceptum *determinationis substantialis* objectivum, non esse duo realiter distincta, sed realiter identica.

**Prob.** Non sunt realiter distincti duo conceptus objectivi quorum 1) unus alterum includit essentialiter, et 2) in eo vicissim essentialiter includitur; a. ita se habent conceptus objectivi entis et determinationis ejus; e.

**Prob. min. 1 part.** (*ens essentialiter includit determinationem*). Iste conceptus objectivus entis, nisi intrinsece includit determinationem, ipse est indeterminatissimum, communissimum ens; a. ita conceptus substantiae erit essentialiter compositus ex essentiali indeterminatione *quoad ipsam suam essentiam*

(suum esse), et determinatione aliqua *praeter suam essentiam* (suum esse) addita et distincta; — quod est absurdum; e.

**Prob. min. 2 part.** (*determinatio essentialiter includit ens*). Iste conceptus objectivus distinctus determinationis, nisi intrinsece includit ens, ipse est nihil, et nihil addit supra ens, et nequit facere distinctionem realem inter ens et substantiam, nec constituere substantiam; e.

**Objic. 1<sup>o</sup>** *Ens et substantia distinguuntur non ut pars et pars; nec ut pars et totum; sed ut conceptus simplex communis, et conceptus simplex particularis; ita ut communis in particulari includatur, sed non contra; — sicut fit in omnibus universalibus (genere et specie). — R. tr. ant. 1 part. et retorq: si conceptus inferior particularis est simplex, jam non solubilis est in partes distinctas; e. nulla distinctio realis inter partes, vel inter totum et partes. — ad 2<sup>m</sup> part: ita fit in universalibus, n. (cfr. infra).*

**Objic. 2<sup>o</sup>** *Ratio entis eadem est in re, quae mente concipitur; a. in mente concepta non includit modum substantiae vel accidentis... — ad maj. Non dicitur esse in re ens eo modo quo concipitur abstracto, sed esse in re id ens quod concipitur. — R. d. maj. est eadem realiter, c; ratione, n. (est realiter includens, ratione non includens, sed praecisa...) — d. min. non includit, i. e. positive excludit praecisione abstractiva, n; i. e. non ut inclusum percipit (praecisione confusiva), c.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** *Quae sunt in re separabilia, sunt in re aliquomodo distincta; a. nota entis est in re separabilis a nota substantiae (in accidente), et a nota accidentis (in substantia); e. — R. c. maj. — d. min. nota entis in substantia est separabilis a nota substantiae, et in accidente a nota accidentis, n; secus, c.*

**Instant.** *Ex concessis potest nota entis alicubi separari a nota substantiae, et alicubi a nota accidentis; a. hoc sufficit ut sit distincta in re. — R. d. maj. nota entis ratione praecisa, tr; nota entis realiter existens alicubi, potest separari et eadem existere alibi, n.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** *Substantia a parte rei non ex eo est substantia ex quo est ens; e. est aliqua distinctio ex parte rei. — prob. ant. Substantia ex eodem est ens, ex quo accidens est ens (nam in ratione entis unum sunt). — R. n. antec. — ad prob: d. assert. ex eodem ratione praeciso, c; realiter, n. — d. rat. addit: sunt unum praecisione mentis, c; re, n.*

**Objic. 5<sup>o</sup>** *Impossibile est ut eadem res secundum idem conveniat cum alia, et ab ea differat; a. substantia, a parte rei, ante omnem intellectum, convenit cum accidente in nota entis, et differt ab eo in nota substantiae; e. nota entis et nota substantiae non est idem a parte rei. — R. d. maj. conveniat in uno ordine, et in eodem ordine differat, c; et in alio ordine differat, n. — d. min. convenit ratione et differt re, c; convenit re sicut differt re, n.*

**Objic. 6<sup>o</sup>** *Si in substantia nota entis et nota substantiae esset idem, quidquid est de essentia entis esset de essentia substantiae, et contra; — et jam accidens esset substantia (nam est ens), et simul non substantia (nam est accidens). — R. d. 1<sup>m</sup> part. si esset idem re, esset de essentia entis realiter, c; de essentia entis ratione praecisi, n. — d. pariter 2<sup>m</sup> part.*

## Propositio 5.

**Contractio entis ad sua inferiora non fit per modum compositionis, sed solum per modum expressioris conceptionis alicujus entis contenti sub ente.**

**Stat. quaest.** 1) Communis nota entis nunquam in re potest reperiri sola, sed semper conjungitur particulari cuius notae, per quam propterea dicitur contrahi seu determinari ad tale ens. — Quaeritur quomodo fiat illa contractio entis communis ad certam notam entis determinati.

2) Ob hujus quaestionis difficultatem, propositiones praecedentes negabant adversarii varii, nempe : a) *Cajetanus* negat dari contractionem ullam, cum non sit conceptus entis unus ullo modo (prop. 1, 2). — b) *Scotus* dicit dari compositionem metaphysicam inter notam entis et modos ab ente distinctos a parte rei (prop. 4) — c) *Alii* dicunt dari compositionem metaphysicam, sed inadaequatam, inter ens et modos inadaequate distinctos ab ente, i. e. ita ut in ente non ipsi includantur, sed illud ipsi includant (prop. 4).

3) Compositio correspondet distinctioni, et est a) *physica*, si partes componentes sunt realiter distinctae, v. c. corpus et anima; — b) *metaphysica*, si partes non realiter, sed ratione cum fundamento in re, sunt distinctae, v. c. animalitas et rationalitas.

4) Dicimus igitur dari contractionem (prop. 1, 2); at non per compositionem, sive physicam, sive metaphysicam (prop. 4); — sed ratione (prop. 3), quae magis explicite et distincte percipiat de aliquo inferiore, id quod confuse jam habetur in notione entis (prop. 4); ita ut uterque conceptus, tam *entis*, quam v. c. *substantiae*, sit simplex et irresolubilis in duos conceptus, solumque differant quia unus est magis determinatus, seu clarior, expressior quam alter.

**Prop. 1<sup>o</sup>** Conceptus objectivus entis est unus, ratione praecisus ab inferioribus, re autem non praecisus, sed intime in inferioribus inclusus et ea vicissim includens; — *a.* unicus modus ut in iis non habeatur contradictio, sed concilientur inter se, est ut ens determinetur ad inferiora per expressio-rem conceptionem...; *e.*

**Ad min.** 1) Si est *unus*, nequit ad inferiora determinari, nisi aliqua contractione;

2) Si est *ratione praecisus*, jam non dicit expresse inferiora; *e.* ut illa expresse dicat, videtur aliquid addendum esse;

3) Sed si est *re non praecisus*, jam omnia quae addi possent, includit, et in iis includitur, ergo videtur nihil posse addi;

4) Quinimo, etiam si fingatur *compositio inadaequata*, modus additus includit ens, aut determinatum, aut indeterminatum; — *a. si primum*: jam vel nihil manet addendum, et nulla erit compositio, vel abitur in infinitum; — *si secundum*: componitur ut existens a parte rei aliquid universalissimum!

**Prob. 2<sup>o</sup>** Praecisio rationis generatim non aliter fieri potest, nisi aut exclusione et separatione unius notae dum concipitur altera (= praecisio abstractiva); — aut conceptione confusa totius indeterminate (=praecisio con-

fusiva); — *a.* praecisio entis non potuit fieri exclusione et separatione, sed solum perceptione confusa; — *e.* non potest determinari per recompositionem, sed solum per conceptionem expressiorem...

**Schol.** In propositione agitur magis de conceptu objectivo entis; — si quis quaerat de ipso conceptu subjectivo entis: — R. etiam tum idem esse dicendum, nam: conceptus subjectivus v. c. substantiae, et conceptus subjectivus entis, in hoc solum differunt quod per unum magis expresse concipitur res prout est in se, et per alterum confuse solum et praecise secundum aliquam convenientiam cum aliis rebus; *a.* ad hoc totum non requiritur conceptuum compositio, sed sufficit idem conceptus unus rei, magis et minus confusus vel praecisus; *e.*

**Coroll.** Ens infinitum et ens finitum, substantia et accidens, spiritus et corpus, etc. etiam intrinsece in ipsa ratione entis essentialiter differunt, *nam*: modis differunt sibi essentialibus et inter se oppositis; *a.* isti modi a parte rei non distinguuntur ab ipso ente quod illis inest; *e.*

**ad min.** Ens quatenus inest infinito et finito, substantiae et accidenti, spiritui et materiae..., non est a parte rei praecisum a modis contrahentibus, sed sufficit expressior ejus conceptio, ut jam inesse inveniatur; *e.*

## Propositio 6.

**Notio entis quatenus tribuitur infinito et finito, substantiae et accidenti, non est aequivoca, neque univoca, sed analogia analogiae attributionis intrinsecae.**

**Stat. quaest.** 1) Haec thesis corollarium praecedentium dici potest, sed erat earum scopus, nam magni est momenti, quia ex ea male intellecta sequitur ontologismus et pantheismus.

2) Prima pars contra Aureolum, dicentem: ens *casu* tribui Deo et creaturae. — Secunda pars contra Scotum dicentem: ens *univoce* tribui. — Tertia pars cum S. Thoma et fere omnibus non pantheistis: *analogice*. — Quarta pars ad mentem S. Thomae, evolutio analogiae: *attributionis intrinsecae*.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (non casu).** Aequivoca casu sunt ea quae eodem nomine vocantur, sed casu solum, et sub ratione plane diversa; *a.* non casu, sed propter aliquam convenientiam, similitudinem in essendo, omnia inferiora vocantur entia; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (non univoca).** Univocum est id quod pluribus convenit sub eadem ratione, et determinatur ad inferiora per differentias sibi extrinsecas; *a.* ens inferioribus suis convenit non sub ratione omnino eadem sed contrahentes differentias sibi intrinsece identicas habet a parte rei; *e.*

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (sed analogia).** Analogum est id quod unum pluribus convenit, sed sub ratione partim diversa; *a.* ens...; *e.*

**Prob. 4<sup>a</sup> pars (attrib. intrins.)** 1) Analogia *proportionis* est ubi unum pluribus diverse tribuitur non ex natura rei, sed ex sola consideratione mentis, v. c. *risus* de homine et prato; — *regnum* de homine et leone;

2) *attributionis extrinsecae* est ubi tribuitur ex natura rei proprie uni, et aliis per relationem ad id unum, v. c. *sanitas* animali proprie, *medicinae*, *cibo*, quia dant eam, *colori*, quia prodit;

3) *attributionis intrinsecae* est ubi unum tribuitur pluribus diverse, sed proprie et intrinsece singulis;

*atqui* ens tribuitur diverse inferioribus suis non ex mera consideratione mentis, neque ex sola extrinseca relatione ad unum analogum princeps, sed ob propriam intrinsecam uniuscujusque inferioris essentiam; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo ens non est nota generica, sed transcendentalis, i. e. non univoce in pluribus, sed analogice, essentialiter tamen et intrinsece in omnibus.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ens finitum concipi potest et definiri inadaequate ut ens, non concepto prius ente infinito, nam est analogia attributionis intrinsecae; unde ens infinitum est quidem prius in ordine existentiae, sed posterius finito in ordine cognitionis nostrae.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ens infinitum (Deus) non est sub aliquo genere cum entibus finitis, sed ipse solus efformat genus quod omnino complet et comprehendit in sua infinitate.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Si quaeratur, inter omnia entia, quidnam sit analogum princeps et cur. — R. a) *Praenotandum*: analogum princeps datur vel *logicum* vel *ontologicum*; *logicum* illud est cui perfecte convenit nostra idea, nec plus nec minus exprimens quam quod a parte rei habetur; et ita analogum princeps nobis est *ens creatum sensibile*, nam ex hujus contemplatione idea entis in nobis oritur; — sed *ontologicum* illud est quod a parte rei reperitur, sive a nobis adaequate cognoscatur, sive non; — et ita jam R. b) : *Deus*, nam solus est per essentiam suam ens in vi nominis simul et in vi participii (i. e. est aliquid, et existit); — cetera omnia sunt per essentiam suam entia in vi nominis tantum (i. e. sunt aliquid quod possit existere), imo et hoc sunt solum in quantum participant essentiam a Deo (i. e. in quantum sunt per essentiam similia Deo); — in vi participii autem non sunt entia nisi vel in potentia (i. e. in quantum possunt accipere existentiam), vel in actu recepto (i. e. in quantum existentiam accipiunt ab alio), — ergo *nomen proprium* Dei est : ENS, = ὁ ὄν, = ἡ γὰρ — R. c) : Specialius respiciendo genera entium sibi opposita, alia habent ordinem relationis intrinsecae, v. c. *substantia* est per se, *accidens* est in substantia, et sic analogum princeps horum est *substantia*; — alia habent ordinem non relationis intrinsecae, sed inaequalitatis, v. c. *spiritus* et *corpus* concipiuntur sine ordine relationis mutuae, sed sunt inaequaliter entia, et neutrum potest dici princeps alterius.

## ARTICULUS 2.

## De ente rationis.

## Propositio 7.

**Praeter ens reale, est quoque ens rationis. quod est analogum enti reali. analogiae proportionis.**

**Stat. quaest.** 1) *Ens rationis*, seu *non ens*, est id quod a ratione cogitatur ut ens, cum tamen in se entitatem non habeat, v. c. *tenebrae*, *caecitas*.

2) Vocari potest *ens rationis* : a) id quod a ratione producitur, v. c. *actus cognoscendi*; — b) id quod rationi inhaeret, v. c. *scientia*, *certitudo*. — c) id quod non existit nisi ut terminus seu objectum cognoscentis rationis, v. c. *bos alatus*, *homo forsitan nunquam nasciturus*; — d) id quod nullam realem entitatem habet, nec habere potest, sed solum cogitatur mente ad modum entis, v. c. *caecitas*, *triangulus quadratus*.

3) Sed tria priora minus stricto sensu dicuntur *entia rationis*, habent enim notas positivas, reales saltem aliquomodo. — Agimus hic de ente rationis quarto sensu, stricto.

4) Quaestio est non de entis rationis existentia reali, quod esset contradictorium; sed de ejus esse objetivo in mente.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*est ens rationis*). Teste experientia multa cogitamus quae objectivam entitatem positivam nullam habent, v. c. *chimaeras*, *negationes*, et illa cogitamus ad modum entium; seu «intellectus nititur apprehendere quod non est, et ideo fingit illud aliquomodo ut ens (S. Thom.);» *a.* hoc est ens rationis; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*est analogum*). Inter ens reale et ens rationis est aliquid commune (utrumque concipitur ab intellectu), sed diversa ratione (ens reale est aliquid a parte rei, ens rationis non); *e.*

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*proportionis*). Tota haec analogia est non a parte rei (nam res non est) sed a parte mentis quae cogitat ens rationis quasi esset ens reale; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ens rationis non est falsitas, nam ratio non percipit id quod in re non est, vel modum rei qui in ea non est, sed percipit rem modo quo res non est; *a.* talis perceptio est impropria quidem, sed non falsa.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Etiam ipsum nihilum potest mens concipere, tum positivum (i. e. negationem existentiae), tum negativum (i. e. negationem realitatis possibilis); nam : nihil est non ens, seu ens rationis, v. c. *homo post saeculum nasciturus* est nihil positivum; *circulus quadratus* est nihil negativum.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ratio cur ens rationis fiat in intellectu est : a) ipsa hujus entis imperfectio tanta ut per se non possit apprehendi, sed solum per aliud reale; — b) saepe etiam nostri intellectus imperfectio tanta, ut ens aliquod reale apprehendere non valeamus conceptu adaequato, sed supplere debeamus per entia rationis v. c. per distinctiones, negationes, relationes.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Actus ille quo intellectus ens rationis format, est actus comparativus et quasi reflexivus, quo comparando conceptum subjecti aliquo modo affecti, v. c. lumine, cum conceptu ejusdem subjecti eo modo non affecti, efformatur conceptus hujus affectionis absentiae quasi alicujus affectionis oppositae, v. c. tenebrae.

### ARTICULUS 3.

*De primis principiis ex idea entis.*

#### Propositio 8.

**Ex notione entis immediate enascuntur principia identitatis, contradictionis, et exclusi medii.**

**Stat. quaest. 1)** Sicut in aliis judiciis analyticis mens faciens analysim subjecti invenit praedicatum, et propter perspectum nexum necessarium assentitur et adhaeret; ita in considerata notione entis mens percipit judicia prima. Quaerimus quatenam sint judicia illa quae ex sola notione entis mens nostra evoluit.

2) Quaestio est de ipso ordine *perceptionis*, i. e. nondum curamus *quanta firmitate* adhaereat mens, sed tantum: quid percipiat.

3) Respondemus: percipi *immediate*, i. e. sine discursu, non per modum conclusionis, sed sponte, statim atque aliqua attentione mens considerat ens.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (principium identitatis).** Quum primum mens considerat ens, et in ente videt actum essendi, nequit non percipere identitatem inter ens actuale et ens actu existens; *a.* hoc est iudicium: *quod est, est*, seu: *ens est; e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (principium contradictionis).** Quum primum mens attendit ad ens et ad actum essendi, atque illud comparat cum non ente (ente rationis), nequit non percipere oppositionem inter ens et non ens; *a.* hoc est iudicium: *ens non est non ens*, seu: *nihil potest simul esse et non esse; e.*

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (principium exclusi medii).** Quum primum mens oppositionem inter ens et non ens animadvertit, nequit illam non percipere ut tam absolutam quae omne medium et omnem attenuationem excludat; *a.* hoc est iudicium: *quodlibet aut est aut non est; e.*

**Schol.** Si quaeras *quo ordine inter se* percipiantur haec tria principia; R. Illo ordine quo mox enuntiabantur, nam evidenter prius est percipere identitatem subjecti et praedicati, quam hujus identitatis tantam necessitatem ut repugnet oppositum; et hoc alterum prius est quam percipere impossibilitatem etiam graduum in hac oppositione.

#### Propositio 9.

**In ordine adhaesionis principium identitatis non differt a principio contradictionis, atque ita est omnium primum.**

**Stat. quaest. 1)** Jam quaerimus de ordine *adhaesionis*, i. e. de firmitate mentis in judiciis illis primis percipiendis. Quaestio igitur est, quodnam ex illis prius supponatur absolute certum, ante quod nullum aliud tale sit, ex quo omnia alia suam mutuentur absolutam certitudinem ut ex fundamento primo in quo nitantur.

2) Dicimus in priore parte: principium identitatis in hoc ordine adhaesionis, i. e. in quantum *ut vere certum* percipitur, non differre a principio contradictionis, sed esse cum illo plene synonymum, atque indifferenter jam alterum pro altero venire posse.

3) Dicimus in secunda parte: hoc principium identitatis ita perceptum, seu quod idem jam est, principium contradictionis, esse prius principio exclusi medii (et a fortiori ceteris omnibus).

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (non differt...).** Quum mens adhaeret iudicio: *quod est, est*, ideo adhaeret quia in praedicato distinctius percipit, quod in subjecto confusius, et sensus est: *quod est, prout est, necessario est*; seu: *quod est, dum est, certo est*; — *a.* sic non differt a principio contradictionis nisi in modo quo effertur; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (est primum).** Hoc est primum principium in ordine adhaesionis, virtute cujus ceteris adhaeremus, quo supposito cetera possunt esse certa, quo non supposito nihil potest esse certum, i. e. nulli possumus adhaerere; *a.* talis est principium contradictionis (vel identitatis, quatenus ab illo non differt); *e.*

**Ad min. 1)** Omnis adhaesio propterea habetur, quia percipitur necessitas iudicii objectivi, seu enuntiabilis; *a.* omnis necessitas fundatur in principio contradictionis (nam omnis necessitas huc redit, ut res, prout est, tam necessario sit, ut nequeat non esse); *e.*

2) Etiam ipsum principium exclusi medii est immediata conclusio principii contradictionis, nam ideo positio entis est negatio non entis quia non potest ens esse simul non ens; *e.*

**Objic. 1<sup>o</sup>** Prius percipitur necessitas rei, quam impossibilitas ejus oppositi.—R. *d.* in ordine perceptionis est prius, *c*; in ordine adhaesionis, *n. supp.* (sunt idem).

**Objic. 2<sup>o</sup>** Prima veritas certa est: «ego sum».—R. *d.* primum iudicium perceptum, *tr*; prima adhaesio data, seu fundamentum primae adhaesionis, *n.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Iudicium negativum est posterius positivo; — et modale posterius simpliciter; — *a.* principium contradictionis est negativum et modale, et principium identitatis est positivum et simplex; *e.* — R. *d. maj.* in ordine apprehensionis iudicii, *c*; in ordine adhaesionis, *n.* — *d. min. 1 part.* formaliter, *n*; materiali enuntiatione, *sd.* necessario, *n*; ordinario et facilius *tr.* ens repugnat non-enti, seu: ens et non ens repugnant identificari...].

**Objic. 4°** Ante omnem adhaesionem firmam supponitur hoc : « quod est evidens, verum est; » *e.* hoc est primum principium. — *R. d. ant.* supponitur evidentia, *c.*; supponitur cognitum hoc principium, *n.*

**Objic. 5°** Primum principium adhaesionis est : « *Deus est;* » nam si Deus non esset, nulla veritas objectiva, neque ulla cognitio subjectiva esset possibilis. — *R. n. assert.* — *ad prob. 1 part.* nulla veritas objectiva, *c.* — *ad 2 part.* nulla cognitio subjectiva, *d. i. e.* nisi de facto Deus existeret, nullum subjectum existere posset quod cogitet, *c.*; *i. e.* nisi Dei existentia prius cognoscatur, nulla alius rei cognitio nobis est possibilis, *n.*

**Objic. 6°** Primum principium est *essentia rei*; nam haec est prima radix omnium proprietatum et actionum rei. — *R. d. assert.* principium ontologicum intrinsecum rei, est ejus essentia (*i. e.* primum et intimum rei constitutum in quo radicantur omnia quae rei insunt), *c.*; primum principium cognitionis in ordine perceptionis nostrae, vel adhaesionis, *n.*

### Propositio 10.

Ut principium contradictionis sit universaliter verum, necessaria est notio : « simul ».

**Stat. quaest. 1)** Kant putat illud « *simul* » esse omittendum, quia principium est universale, quod proin a notione et conditione temporis abstrahere debet; eritque enunciandum : « *praedicatum quod rei repugnat, illi non convenit.* »

2) Haec formula Kantiana vera est ubi agitur de principiis analyticis et necessariis; sed quaestio est de veritatis universalitate.

3) Varie potest enunciari principium contradictionis : « ens non est non ens » — « non ens non est ens » — « ens nequit esse non ens ». — Quaeritur utrum notio « *simul* » necessario in his omnibus et similibus debeat exprimi vel saltem intelligi, ad veritatem principii universaliter sumpti.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*de ente in vi participii*). Quaedam sunt indifferentia ad existendum vel non existendum in sensu diviso, et repugnat solum in sensu composito ut existant et non existant; *a.* istum sensum compositum exhibet notio « *simul,* » non vero aliam quaecumque temporis restrictivam conditionem; *e.*

*Ad maj.* Sensus habetur *compositus*, ubi plures notae intelliguntur unico esse conceptu per modum unius compositi sumendae; *v. c.* homo sedens nequit ambulare; — *sensus divisus*, ubi intelliguntur pluribus conceptibus per modum plurium sumendae; *v. c.* homo sedens potest ambulare.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*de ente in vi nominis*). 1) Individua sunt indifferentia ad habendas vel non habendas realitates accidentales, in sensu diviso; — 2) universalialia sunt indifferentia ad varias contractiones ad inferiora sua, in sensu diviso; — 3) utraque non repugnant nisi in sensu composito; — *a.* sensum compositum hunc exhibet notio « *simul;* » *e.*

*Ad maj.* 1) *v. c.* Joannes potest esse iratus et placatus, currens et jacens; — 2) *v. c.* animal potest esse rationale et irrationale.

### QUAESTIO 2.

#### De ente, ut essentia.

Postquam notam entis in sua notione objectiva communissima inspeximus relate ad inferiora sua, eandem notam jam inspiciamus intime in seipsa, seu in ipsa repraesentatione quam nobis exhibet. Atque ita invenimus conceptus hujus aliquam distinctiorem notionem, qua *ens*, ut nomen dictum, ab *ente*, ut participio verbi essendi usurpato, discernamus; qua distinctione facta, statim *ens ut nomen seu essentiam significans*, examini subjiciamus. Sit ergo :

Articulus 1. De notione objectiva entis.

Articulus 2. De essentia.

### ARTICULUS 1.

#### De notione objectiva entis.

### Propositio 11.

**Ens ut participium significat aliquid actu existens; ut nomen vero significat essentiam realem.**

**Stat. quaest. 1)** Quaeritur in quo consistat essentialis seu formalis nota entis objectivi, seu : quae nota objectiva repraesentetur conceptu entis.

2) Aliqui (Avicenna) respondebant ens esse accidens rerum, cum significet existentiam, quae ab eis potest auferri. — Sed respondebant peripatetici distinguendum esse (ut jam saepius innuimus) duplicem sensum vocabuli *entis*, nam usu potest venire ut participium praesens verbi *essendi*, vel ut nomen verbale ab eodem verbo.

**Notiones.** *Actu existens*, *i. e.* habens realem actum essendi; habens hic et nunc veram praesentiam suam in ordine physicarum rerum.

*Essentiam realem*, *i. e.* non fictam chimaericam, sed veram et aptam ad actu existendum.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*ut participium*) 1° Haec significatio fundatur in proprietate et rigore verbi « *sum,* » quod absolute dictum significat actuale esse existentiae; *e.*

**Prob. 2°** Omnia entia actu existentia in hoc similia sunt; *e.* sub hac nota communi objectiva concipi possunt, quae nota erit entis.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*ut nomen*). Ens dicitur de omni ente reali, *i. e.* non solum de rebus existentibus, sed de naturis realibus secundum se consideratis, sive existant, sive non (et hoc sensu ens dividitur in decem praedicamenta); — *a.* isto sensu ens non conservat vim participii praesentis; *e.*

*Ad maj.* Omnes essentiae, sive existant sive non, dummodo sint aptae ad existendum, in hoc similes sunt; *e.* sub hac nota communi objectiva concipi possunt, quae erit nota entis.

**Schol.** *Quid sit essentia realis.* — R. 1° **ESSENTIA** declaratur 1) *in ordine ad effectus* : id quod est primum et radicale et intimum principium omnium actionum et proprietatum quae rei conveniunt; et *natura* dicitur;

2) *in ordine ad nostrum concipiendi modum* : id quod concipitur rei primo convenire ut illam constituat in suo esse proprio; quod concipitur ut ejus definitio, respondens quaestioni : « quid est? » et *quidditas*, seu *quod quid est* dicitur.

R. 2° **REALE** declaratur 1) *per negationem* : id quod in se nullam involvit contradictionem, neque est mere confictum per intellectum ex oppositis insociabilibus;

2) *per affirmationem* : a) *a priori* : id quod a Deo produci potest, et constitui in esse entis actualis; — b) *a posteriori* : id quod est principium vel radix realium operationum vel effectuum.

#### Propositio 12.

Ens ut nomen et ens ut participium non significat duplicem notam entis, dividendam aliquam notam communem; sed significat notam entis magis et minus praecisam.

**Stat. quaest.** 1) Quaeritur utrum ens ut participium et ens ut nomen sint duae notae diversae; an sit una, divisa in duo inferiora.

2) Difficultas est : *si est unus* conceptus, non poterit explicari per aliquam notam magis simplicem quam *entis*; *a.* haec semper aut est participium aut nomen, et quaeritur de nota abstracta ab utroque; — *si sunt diversi* conceptus : jam non est unus conceptus objectivus entis respectu Dei et creaturae possibilis, hominis existentis et hominis possibilis.

3) Respondemus non esse diversos conceptus, neque esse unum in inferiora divisum, sed unum indivisum magis et minus praecisum confusivum.

**Prob.** Ens ut nomen significat id quod habet essentiam realem, abstrahendo ab actuali existentia, quam non negat, sed a qua praescindit; — ens ut participium significat id quod habet essentiam realem, includendo actuali ejus existentiam; — *a.* haec non est alia et alia significatio, sed eadem magis et minus praecisa; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Confundi non debent distinctio in ens ut nomen et ens ut participium, et distinctio in ens in potentia et ens in actu; — nam ens in potentia dicit essentiam realem abstrahendo ab existentia, non praecisive (sicut ens ut nomen), sed negative, i. e. explicite eam negando.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ens ut nomen est praedicatum essentiale (praedicatur quidditative) de suis inferioribus; *nam* habere essentiam realem convenit enti reali, estque illi maxime essentiale; — non autem essentiale praedicatum est ens ut participium, nisi de solo Deo.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ens ut nomen etiam intrinsece includitur in omni conceptu positivae differentiae, aut modi entis realis, *nam* : a) ens est id quod habet realem essentiam, nec requiritur ut haec essentia sit completa vel incompleta, perfecta vel imperfecta, integra vel partialis, sed solum ut sit realis; *a.* tales sunt differentiae... modi...

b) In his omnibus differentiis... modis..., semper reperitur aliquis effectus seu quasi-effectus realis (scilicet constituunt, complent, integrant, distinguunt ens reale), et sunt radices proprietatum vel actionum realium; *a.* hoc nequit intelligi sine inclusione alicujus entitatis.

#### ARTICULUS 2.

##### De essentia.

#### Propositio 13.

**Essentias rerum naturalium, saltem quarundam, vere, licet imperfecte, cognoscimus.**

**Notiones.** 1) *Essentia* est id per quod res est id quod est, i. e. nota vel complexus notarum, ex quibus res habet ut sit ista res, et cognoscatur quid sit; quarum vel una sublata, jam non ista res concipiatur esse. — Vocatur etiam quidditas rei.

2) *Essentia* dicitur tum de substantia, tum de accidente, sed minus proprie, sunt enim accidentia minus proprie entia.

3) *Essentia* est vel specifica vel generica, sed minus proprie, nulla enim res est generica tantum, sed semper ad aliquam speciem infimam pertinet.

4) *Essentia* est vel physica, si definitur per partes physicas; — vel metaphysica, si definitur per partes metaphysicas; — utraque essentia est vere realis.

5) *Rerum naturalium* : quarum constitutio ab intellectu humano non pendet; — nam de *rebus artificialibus* : quarum constitutio ab intellectu pendet, clarum est hominem non ignorare quae ipse excogitavit, v. c. de navi, aratro, clave, horologio... vel de essentiis quae ideis respondent arbitrarie compositis. — *Saltem quarundam* : nam concedimus non omnes essentias nobis esse notas, v. c. plantarum et brutorum infimas species.

**Stat. quaest.** 1) *Locke* negat nos ullius essentiae cognitionem habere, sed tantum verba quibus, ad majorem facilitatem et breviter sermonis, rerum particularium concretarum classes varias, quasi catalogos, indicamus; unde et ipsa definitio non sit nisi unius vocis explicatio per plures voces alias. — Hunc sequuntur *positivistae* dicentes nihil nisi facta et phaenomena externa a nobis cognosci.

2) Confundenda non est haec thesis cum thesi logices contra nominalistas : ibi quaerebatur de objecto formali ideae, utrum ideam universalem, v. c.

arboris, haberem; — hic quaeritur potius de objecto materiali, utrum definiens v. c. arborem : « substantiam corpoream viventem non sentientem » re ipsa id exprimat quod arboris essentiam objective constituit.

3) Cfr. *S. Thom.* qq. disp. de pot. q. 9. a. 2. ad 5.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*vere cognoscimus*). 1<sup>o</sup> Teste experientia, habemus de rebus saltem pluribus, conceptus qui sint 1) immutabiles (semper easdem notas ut iisdem rebus proprias exhibentes), — 2) qui rerum constituenta, sive metaphysica sive physica, satis clare et distincte repraesentant, — 3) qui exhibent reales differentias quibus inter se discrepent rerum naturae; — *a.* hi sunt conceptus vere exhibentes realem objectivam essentiam rerum; *e.*

**Prob. 2<sup>o</sup>** Essentias per genus et differentias explicamus; *a.* genus et differentiae non sunt opus inane mentis nostrae; sed sunt notiones universales abstractae, quae idipsum exhibent quod rebus inest, sola individuatione neglecta; *e.*

*Maj. concedit Locke; — Min. cfr. logic. de univers.*

**Prob. 3<sup>o</sup>** Id quod attingitur per inductionem proprie dictam, sufficienter variatam, rite factam, vere et certo cognoscitur; *a.* plures essentias sic attingimus; *e.*

*Ad maj. cfr. logic. — Ad min.* Per experientiam attingimus *phaenomena externa*, omnimode variatis adjunctis; — inde per principium causalitatis concludimus *proprietates et vires*; — dein ex variis proprietatum et virium complexibus, ope ejusdem principii causalitatis seu rationis sufficientis, concludimus *naturas* quae sint eorum fundamenta et principia.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*imperfecte*). Imperfecta est cognitio quae non intuitiva, sed discursive composita ex alienis notis; *a.* talis est nostra cognitio essentiarum; *e.*

*Ad min.* Essentias non intrinsece in seipsis videmus, sed ex effectibus per *phaenomena externa* manifestatis arguimus et concludimus.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Ex *phaenomenis* cognoscimus quae proprietates hic et nunc in ente habeantur, non vero utrum illae sint essentiales. — *R. d.* ex *phaenomenis* aliquibus, inductione insufficiente, *c*; ex multis et variatis, inductione rite facta, *n.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Ex inductione novimus tantum proprietates oriri vel ex essentia vel ex lege physica superaddita essentiae; sed inter duo haec distinguere non possumus. — *R. d.* saepe, *c*; semper, *n.* (v. c. si repugnat dari talem legem nisi in tali natura; — animam cogitare nisi sit simplex et spiritus).

**Objic. 3<sup>o</sup>** In inductione praesupponitur, ut verus, conceptus objectivus essentiae; *a.* hic inductione probatur hujus conceptus objectivi veritas; *e.* per circulum vitiosum. — *R. d. maj.* conceptus objectivus, i. e. objectum formale hujus conceptus, in abstracto, *c*; i. e. objectum materiale, in concreto, *n.* — *c. d. min.* inductione probatur veritas objecti formalis, in abstracto, *n*; materialis in concreto, *c.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** Essentiae metaphysicae non sunt objective reales. — *R. d.* quoad modum quo repraesentant, *c*; quoad id quod repraesentant, *n.*

### Propositio 14.

Omne ens suam habet essentiam, quam amittere nequit, immutabilem, indivisibilem, necessariam, aeternam, infinitam; sed sensu plane diverso atque eadem attributa de Deo praedicantur.

**Stat. quaest.** 1) *Omne ens* : consideratum in ordine ideali, abstrahendo ab ejus existentia in ordine reali.

2) *Sensu diverso* : quod non attendentes ontologistae, concludunt suam sententiam : essentias esse identicas cum Deo, neque a nobis cognosci posse nisi ex intuitione Dei, licet imperfecta.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars minutim.** *Quoad 1<sup>m</sup> (habet suam)*. Essentia est id quo ens est id quod est, seu : per quod ens est istud ens; *e.* ens sine essentia esset simul ens et nullum ens.

*Quoad 2<sup>m</sup> (nequit amittere)*. Ens sine sua essentia jam non esset istud ens; *e.* si suam essentiam amitteret, jam non ipsum ens illam amitteret, sed ipsum cessaret esse, et aliud fieret ens, aliam habens essentiam; *e.*

*Quoad 3<sup>m</sup> (immutabilem)*. Essentia est complexus notarum sine quibus istud ens nec esse nec concipi potest; *e.* si essentia mutaretur, jam non istud ens esset vel conciperetur, sed aliud ens; *e.*

*Quoad 4<sup>m</sup> (indivisibilem)*. Essentia est complexus notarum quae omnes simul constituunt hoc ens; *e.* si essentia divideretur, jam non haberetur istud ens, sed alia entia quae possint ejus esse elementa; *e.*

*Quoad 5<sup>m</sup> (necessariam)*. Essentia est complexus notarum quae ens istud constituunt; *e.* si ens istud est ens reale (i. e. non : ens rationis involvens contradictionem), ejus essentia non potest non illud constituere *ut aptum existendi*.

*Quoad 6<sup>m</sup> (aeternam)*. Nunquam coepit esse verum, nec unquam cessabit, hujus entis notas constitutivas esse illas omnes simul et non alias; et ita intelligebatur a Deo; *e.*

*Quoad 7<sup>m</sup> (infinitam)*. Essentia est complexus notarum...; *a.* iste idem complexus potest in infinite multis individuis repeteri; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*alio sensu*) **minutim.** *Quoad 1<sup>m</sup> (suam)*. Essentia potest haberi : a) participata vel imparticipata ab alio, cujus sit imitatio; — b) recepta vel irrecepta ab alio qui eam communicet, seu : qui ejus sit causa; — *a.* Dei essentia est imparticipata et irrecepta; — entium, est participata et recepta; *e.*

*Quoad 2<sup>m</sup> (inamissibilem)*. Essentia potest esse inamissibilis in ordine reali, vel in ordine ideali, seu in sensu composito; — *a.* Dei essentia est inamissibilis in ordine reali, seu absolute; — entium, in ordine ideali, seu in sensu composito; *e.*

*Quoad 3<sup>m</sup> (immutabilem)*. Essentia est immutabilis improprie (quae non possit incipere vel cessare esse eadem), — vel proprie (quae eadem manens, varios non accipiat successive modos accidentales); — *a.* Dei essentia est improprie et proprie immutabilis; — entium, improprie tantum.



Quoad 4<sup>m</sup> (*indivisibilem*). Essentia potest dici indivisibilis (in partes physicas, vel metaphysicas) quia elementa soluta jam non erunt ejusdem essentiae, vel quia elementa non dantur quae solvantur; — *a.* Dei essentia ob secundam rationem; — entium ob primam sunt indivisibiles; *e.*

Quoad 5<sup>m</sup> (*necessariam*). Essentia potest habere necessitatem existentiae, — vel constitutionis ex iis et non aliis notis, — vel possibilitatis aliquando existendi; — *a.* Dei essentia habet primam; — entium secundam et tertiam solum; *e.*

Quoad 6<sup>m</sup> (*aeternam*). Essentia potest esse aeterna positive in ordine reali, ita ut in aeternitate existat; — vel positive in ordine ideali, ut in aeternitate cognoscatur, — vel negative, ut sit indifferens ad existendum in quavis parte durationis indefinitae; — *a.* Dei essentia est aeterna positive in ordine reali et ideali; — entium, positive in solo ordine ideali, et negative; *e.*

Quoad 7<sup>m</sup> (*infinitam*). Essentia potest esse infinita in comprehensione composita ex notis, — vel in comprehensione simplici perfectionis realissimae, — vel in extensione inferiorum singularium possibilium; — *a.* Dei essentia est infinita comprehensione simplici quoad rem; comprehensione composita quoad nostrum imperfectum concipiendi modum; — entium essentia est infinita in extensione solum; *e.*

### QUAESTIO 3.

#### De ente ut existente.

De ente, prout in vi participii sumitur, seu de existentia entium, inquirendum venit, quid sit existentia alicujus rei; et quia per comparisonem ad oppositum clarior fieri potest notio, praemittimus inquisitionem de non existente essentia, quae possibilis tantum sit. At notio ipsa possibilitatis et existentiae melius ac distinctius intelligetur si praemissa fuerit generalis notio potentiae et actus, cujus generis una species est possibilitas et existentia mox dispendenda. Sint igitur:

Articulus 1. Generatim de actu et potentia.

Articulus 2. De potentia objectiva, seu possibilitate.

Articulus 3. De actu existentiae.

#### ARTICULUS 1.

##### De actu et potentia.

#### Propositio 15.

Potentia, et actus generatim in mutua quadam oppositione consistunt, et correlative concipiuntur.

Stat. quaest. 1) Notio quam nunc explicare intendimus una est ex praecipuis in tota philosophia. Sunt enim plurimae quaestiones postea tractandae

vix aliud quam hujus notionis applicatio cum suis logicis consectariis, v. c. de substantia et accidente, de materia et forma, de causis, de natura viventium, etc.

2) Quoad notionis generalem explicationem in abstracto dandam, nullum forsitan inveniemus adversarium; sed mirae inconsequentiae passim applicationes particulares obvias habebimus, in cosmologia praesertim et in psychologia, quoties varias assertiones ac systemata recentiorum naturalium scientiarum cultorum dijudicanda inveniimus.

**Notiones.** In mutua oppositione, i. e. si naturam inspicere velis, potentiam invenies, in quantum potentia est, consistere in rei statu opposito huic statui, in quo res est si actum habet; ac proinde de utriusque essentia esse ut sibi mutuo opponantur et se excludant...

**Correlative,** i. e. vi hujus oppositionis concipiantur, ita ut *actus*, reduplicative ut actus, concipi debeat per comparisonem cum statu rei hoc actu carentis; ac vicissim *potentia*, reduplicative ut potentia, concipi debeat per comparisonem cum statu rei quae actum habeat cujus privationem dicit potentia.

**Prob.** *Actus*, natura sua, dicit perfectionem aliquam praesentem, ad quam *potentia* dicit natura sua capacitatem, connotando ejus carentiam; *a.* sic de utriusque essentia est mutua oppositio, nec possunt concipi reduplicative nisi vi hujus oppositionis; *e.*

**Ad maj.** Melius patebit haec notio generica ex comparatione parallela singularum potentiarum cum singulis actibus:

Omnis enim *actus* est perfectio aliqua, quocumque sensu illa nunc intelligatur; ejus *negatio* non de se jam est potentia, sed si negationi connotatio additur alicujus capacitatis, praedispositionis, aptitudinis ad eam perfectionem, illa vocabitur *potentia*.

Porro sicut actus varius esse potest, ita et potentia erit varia correspondens. Nam unus aliquis rei actus seu perfectio est ipsa ejus *existentia*. Hujus mera negatio est *nihilum*; sed eadem haec negatio, connotata rei aptitudine ad existendum, dicenda erit rei *potentia objectiva*, seu rei possibilitas objectiva: talis enim res habebit aliquam essentiam suam, idealem quidem seu objectivam (i. e. quae sit merum cogitationis objectum), realem tamen, et positivis notis constantem, non meris negationibus.

Alius aliquis rei actus est ejus perfectio seu nota positiva quaelibet, sive essentialis sive accidentalis, in subjecto reali existente praesupposito recepta. Hanc vocamus *formam*, sive substantialem sive accidentalem; subjectum autem in quo recipitur dicimus *materiam*. Si igitur materiam designare voluerimus una cum ejus aptitudine, praedispositione ad aliquam formam, dicimus materiae huic inesse *potentiam subjectivam* ad eam formam (subjectivam inquam, i. e. in praesupposito subjecto).

Haec omnia et ampliora compara in sequenti tabella:

<i>potentia</i> = principium seu aptitudo aliquid suscipiendi vel acquirendi.	<i>actus</i> = perfectio illa quae potentia correspondente acquiri poterat.
logica = objectiva = possibilitas, mera aptitudo ad existendum,	— existentia ipsa rei possibilis,
{ intrinseca : absolute in se spectata.	{ absolute spectata quatenus opponitur non existentiae.
{ extrinseca : connotans causam suam proportionatam.	{ relative ad causam efficientem.
realis = subjectiva : aptitudo ad perfectionem aliquam, fundata in existentia subjecti cui talis potentia insit.	forma : ipsa perfectio recepta in subjecto ad eam apto.
pura : materiae primae, sine ullo actu.	— essentialis = substantialis.
mixta : materiae secundae, = substantiae.	— accidentalis.
activa : aptitudo seu principium agendi.	— operatio, activitas hic et nunc se exercens.
passiva : aptitudo seu principium patiendi ab alio, i. e. principium per quod alicui competit ut moveatur vel patiatur ab alio.	— qualitas seu determinatio quaecumque recepta ab alio.
naturalis : patiendi secundum suam naturam ab aliquo agente naturali.	{ qualitas vel determinatio naturae subjecti proportionata.
obedientialis patiendi aliquid sibi supernaturale, ab ipso Deo, cui omnia ad nutum obediunt.	{ qualitas seu determinatio supernaturalis, v. e. gratia sanctificans, gloria in corpore resurgente.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** *In tantum aliquid est perfectum, in quantum est in actu; imperfectum vero in quantum est in potentia.*

**Coroll. 2<sup>m</sup>** *Actus omnino purus est omnino perfectus, nam nullam habet potentiam, i. e. imperfectionem; — item actus purus in aliquo ordine est omnino perfectus in eodem ordine.*

**Coroll. 3<sup>m</sup>** *In tantum aliquid agit in quantum est in actu, patitur vero in quantum est in potentia; nam pati nihil potest nisi patiendo aliquid acquirat vel amittat; neque aliquid agit nisi activitate quae est actus quidam.*

**Coroll. 4<sup>m</sup>** *Potentia qua talis nequit per seipsam in actum reduci, sed reducitur ab alio principio in actu, nam nemo dat quod non habet.*

**Coroll. 5<sup>m</sup>** *Omne ens mutabile constat potentia et actu; nam mutatur eo quod vel actum accipit cujus potentiam habebat, vel actum amittit cujus potentiam retinet.*

**Coroll. 6<sup>m</sup>** *Absolute actus prior est potentia, sed relative potentia est prior actu; i. e. 1) ut sit vera aliqua potentia, praerequiritur aliquod ens in actu existens et proportionatum, quod vel sit subjectum habens hanc potentiam, vel sit causa producens eam; 2) in uno eodemque individuo non potest incipere actus aliquis existere, nisi prius in eo fuerit potentia correspondens ad hunc actum recipiendum.*

**Coroll. 7<sup>m</sup>** *Cujus est potentia, ejus est actus, i. e. 1) actus et potentia ita sibi correspondent, ut in eodem subjecto debeant inveniri (successive), ac repugnet potentiam esse sine actu in uno, et actum hujus potentiae sine ea esse in alio; — 2) ita etiam sibi correspondent ut repugnet unum actum in subjecto inveniri vi potentiae quam habebat subjectum ad alium actum recipiendum.*

**Coroll. 8<sup>m</sup>** *Potentia frustra est quae non redigitur ad actum; i. e. opus inutile naturae (ac Dei, auctoris naturae) esset potentia aliqua in subjecto data, quae vi naturae hujus subjecti deberet nunquam transire in actum.*

**Coroll. 9<sup>m</sup>** *A potentia ad actum non valet illatio, sed ab actu ad potentiam valet.*

**Schol.** Disputant theologi utrum potentia obedientialis semper sit mere passiva, an vero subdividenda sit in mere passivam et obedientialiter activam.

## ARTICULUS 2.

### De potentia objectiva.

Ex praecedente tabella duplex apparuit potentia : logica seu objectiva, et realis seu subjectiva. De priori nunc, potentia objectiva, venit agendum : huic enim correspondens actus est existentia rei, de qua agitur. De altera, potentia nempe subjectiva, melius alio loco suo reponetur disputatio. Quare sint nunc :

§ 1. Quid sit potentia objectiva.

§ 2. In quo fundetur ultimo.

§ 1. QUID SIT POTENTIA OBJECTIVA.

### Propositio 16.

**Quod possibile est, non est omnino nihil.**

**Notiones.** 1) *Possibile* est id omne quod existere potest aliquando, licet hic et nunc non existat.

2) *Possibilitas intrinseca* est simplex habilitas ad existendum, seu non repugnantia ad actum existentiae, ex parte ipsius rei quae dicitur possibilis; — *possibilitas extrinseca* est habilitas ad existendum, orta ex virtute causae quae idonea sit ad rem producendam, seu : ex existentia causae proportionatae.

3) *Possibilitas intrinseca* vocatur etiam *formalis*, vel *absoluta*; — *extrinseca* dicitur etiam *causalis*, vel *relativa*; — utraque simul dicitur *adaequata*.

**Stat. quaest.** Quaestioni : «quid sint possibilia» respondet Kant : «ea esse nihil nisi merum figmentum mentis» — nos concedimus ens possibile, seu ens in potentia objectiva, esse in ordine existentiae nihil; haec enim est ejus conditio, ut opponatur actui existentiae; — sed nunc addimus ea non esse in omni ordine nihil, sed in ordine saltem idealis veritatis objectivae esse aliquid reale.

**Prob. 1°** Possibile attributa essentialia sua habet opposita attributis essentialibus nihili; *e*.

*Ad antec.* 1) Possibile concipitur per notas suas essentielles proprias, positivas, — 2) uno eodemque conceptu repraesentari potest cum existentibus, — 3) potest existentiam accipere et esse aliquid physicum; — *a*. nihilum 1) concipitur solum per negationem realitatis non suae, — 2) nec sub uno conceptu cum existentibus convenire potest, — 3) nec potest unquam fieri aliquid physice existens; *e*.

**Prob. 2°** Possibilia inter se differunt, et habent inter se ordinem causae, effectus, finis, dependentiae, ortus, etc; et haec omnia per se, i. e. natura sua; *a*. nihil a nihilo natura sua nec differt, nec pendet, nec oritur; *e*.

**Coroll.** Illa realitas possibilitum vocatur essentia abstracta; et quando concipitur, est aliquid in ordine ideali seu logico, i. e. in ordine cogitationis repraesentatur aliquid ut positivum, non ut mera negatio. Neque confundi debent possibiles essentiae istae individuae, abstractae ab existentia, cum essentiis metaphysicis universalibus, abstractis ab individuatione, quales possibiles non sunt.

**Objic. 1°** Quod non est omnino nihil, recedens a nihilo accedit ad terminum oppositum : esse reale; *a*. nequit accedere ad esse reale nisi participando quemdam realitatis gradum; *e*. — *R. d. maj.* ad esse reale sive essentiae, *c*; existentiae, *sd.* in potentia, *c*; in actu, *n*.

**Objic. 2°** Haec thesis videtur affirmare existentiam alicujus ordinis idealis, praeter ordinem physicum; *a*. sic affirmat existentiam ordinis non existentis, quod absurdum; *e*. — *R. d. maj.* existentiam aliquam physicam, *n*; objectivatem aliquam logicam, *c*; — *c. d. min.*

### PROPOSITIO 17.

Possibilia non sunt ea solum quae aliquando existunt.

**Stat. quaest.** Ad eandem quaestionem : «quid sint possibilia» respondet *Hobbes* cum fatalistis, confundendo possibilitatem intrinsecam cum

*extrinseca* : ea sola esse possibilia quae produci possunt in existentiam, alia autem produci non posse quam quae de facto producuntur.

**Prob. 1°** Possibile est quod in suis notis constitutivis repugnantiam ad existendum non involvit; *a*. praeter ea quae aliquando existunt, infinite multa alia nullam repugnantiam involvunt ad existendum; *e*.

*Ad min.* 1) Alia individua existentibus similia, eodem vel alio tempore, — 2) individuorum etiam existentium alia accidentia, actiones, etc, — 3) perfectiones majores per gradus indefinite multos, — 4) corporum moles majores, figurarum varietates.

**Prob. 2°** Plurima sunt impossibilia in sensu composito, quae se invicem excludunt; *a*. non propterea sunt impossibilia in sensu diviso; *e*. — v. c. Petrum, qui scribit, non scribere sed saltare.

**Schol.** *Quid et ubi sint possibilia?* — *R.* Possibilia sunt entitates reales ex notis convenientibus, i. e. non-repugnantibus, constantes; existunt autem solum in ordine ideali seu logico, i. e. in tantum sunt actu aliquid, in quantum actu intelliguntur; *a*. ab aeterno est divinus intellectus, eaque intelligit; *e*. ab aeterno sunt in intellectu divino, et hoc sensu possunt dici aeterna.

### PROPOSITIO 18.

*Intrinseca rerum possibilitas nec a rerum existentia, nec ab humano intellectu oritur.*

**Stat. quaest.** Non quaeritur de nostra cognitione, v. c. undenam concipiamus possibilitatem; — sed quaeritur de ipsa potentia objectiva rerum quae dicuntur possibiles : in quo fundetur, seu unde oriatur.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (ab existentia).** Illud non oritur ab alia re, quod huic necessario praesupponendum intelligitur; *a*. *intrinseca* rei possibilitas necessario ejus existentiae praesupponenda intelligitur; *e*.

*Ad min.* Ante rei existentiam, ejus essentia aut repugnabat existere, aut non; — *a*. si primum : non potuisset res unquam in existentiam educi; — si secundum : jam praesupponebatur possibilitas rei; *e*.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (ab intellectu).** 1° Possibilitas interna praesupponitur cognitioni nostrae; *e*.

*Ad antec.* 1) Sociabilitatem inter notas essentiae et existentiam, intellectus non facit sed percipit. — 2) Intellectus passive potius contemplatur possibilia, quam ea componit vel efficit active.

**Prob. 2°** Id non oritur ab intellectu nostro quod, etiam si intellectus noster non existeret, non minus esset; *a*. possibilia tamen essent; *e*.

*Ad min.* Pone totum genus humanum tolli, tamen non repugnaret nasci novam plantam, vel flare ventum, vel cadere pluviam.

**Prob. 3°** Intellectus apprehendit possibilitatem : aut arbitrarie (sine norma stabili), aut non arbitrarie (cum norma stabili); — *a*. si primum : idem erit simul possibile et impossibile, v. c. in diversis intellectibus, vel in eodem

diversis actibus, quod est absurdum; — si secundum : haec norma nequit esse forma subjectiva Kantiana, qua negaretur idearum objectivitas; *e.* est ipsum objectum, seu objectiva veritas, quae praesupponitur ante intellectum; *e.*

### Propositio 19.

**Intrinseca possibilitas non a Dei omnipotentia oritur.**

**Stat. quaest.** Ad eandem quaestionem, respondebant Ockam et aliqui Scholastici, possibilem esse aliquam rem quia eam Deus posset creare.

**Prob.** Possibilitatem oriri a potentia Divina intelligi debet : aut 1) ita ut aliqua sint possible vel impossible solum quia Deus ea facere potest vel non potest; — aut 2) ita ut Deus faciat ut hoc sit possibile, illud impossibile; — *a.* utrumque est absurdum; *e.*

**Prob. min. 1 part. (quia potest facere).** Jam Deus sine ulla ratione, nisi propria limitatione et impotentia ulteriore, non omnia posset facere; unde : a) esset finitus, — b) diceretur omnipotens quia potest facere omnia quae potest facere, tautologice, — c) non ideo ergo essent impossible quia Deus ea non posset facere, sed ideo non posset facere quia sibi essent impossible, — d) nihil certo cognosceremus esse impossibile, nisi adaequate cognosceremus Dei potentiam et naturam, sicut ipse se cognoscit; — *a.* ista singula sunt absurda; *e.*

**Prob. min. 2 part. (quia facit posse).** Id facit aut libere aut necessario; — *a.* si primum : jam non a potentia sed a voluntate oritur possibilitas, — si secundum : jam sine ulla ratione nisi sua imperfecta potentia, non alia potuit possible facere, quam quae fecit; *e.*

**Objic. 1°** Possible est quod potest existere; *a.* nihil potest existere nisi per divinam potentiam; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* quatenus haec est ratio possibilitatis extrinsecae, *c;* intrinsecae, *n.*

**Objic. 2°** Si fingas Deum non existere, tollitur possibilitas etiam intrinseca. — *R. d.* ratione essentiae Dei, *c;* potentiae, *n.* (cfr. infra).

**Objic. 3°** Si omnipotentia jam supponit possibilitatem internam, Deus ad creationem rerum illa indiget; *a.* hoc est absurdum; *e.* — *R. d. maj.* indiget tanquam concausa rerum, *n;* tanquam prototypo seu exemplari, *sd.* quod ipsum in Deo fundatur, *c;* secus, *n.*

**Objic. 4°** Aptitudo creaturae ad existendum (utpote entis ab alio) non est nisi cum dependentia ab alio; *e.* nequit potentiam divinam antevertere. — *R. d. ant.* ab alio, i. e. ab essentia divina, *c;* a potentia, *n.*

### Propositio 20.

**Intrinseca possibilitas non a Dei voluntate oritur.**

**Stat. quaest.** Ad eandem quaestionem, Cartesius : Quia sic voluit Deus, nam potuisset Deus aliter velle, et jam id quod nunc est possibile, habuisset intrinsecam repugnantiam; et e converso.

**Prob.** Haec voluntas aut fuit positiva ad utrumque (voluit possible et voluit impossible), aut fuit positiva ad unum et negativa ad alterum (voluit possible, neglexit cetera); — *a.* ista sunt absurda; *e.*

**Prob. min. 1 part. (voluit possible et impossible).** Ea voluit aut ducente intellectu aut non; — *a.* si primum : jam non tam a voluntate quam ab intellectu pendet possibilitas, — si secundum : ponitur in Deo absurda voluntas caeca, fato vel casu mota, et ignoti cupido; *e.*

**Prob. min. 2 part. (neglexit impossible).** Ea omisit aut libere, aut necessario; — *a.* si primum : potuisset saltem velle, et adhuc potest, ut impossibile sit possible, v. c. ut circulus manens non quadratus sit quadratus; et sic tollitur ipsum principium contradictionis, et proin omnis scientia, omnis certitudo, omnis ordo cogitandi; — si secundum : jam non potuit aliter velle, et hoc quidem sine alia ratione quam sua propria limitatione et imperfectione; *e.*

**Objic. 1°** Voluntas omnipotens potest omnia facere. — *R. d.* omnia quae fieri possunt, *c;* secus, *n.*

**Objic. 2°** Si voluntas nequit impossible facere possible, limitibus coarctatur. — *R. n.* (impossible est nihilum, non aliquid positivum limitans).

**Objic. 3°** Ergo Dei voluntas penderet a possibilitate. — *R. d.* ut a norma sibi extrinseca, *n;* sibi intrinseca, *c.*

### Propositio 21.

**Possibilitas intrinseca ex ipsis rerum essentiis oritur.**

**Prob.** Ut possibilitas vel impossibilitas intrinseca rerum ex earum essentiis ipsis oriatur, requiritur et sufficit : 1) ut omnis essentia, eo ipso quod est essentia realis (i. e. notas insociabiles non includens), possit a causa proportionata in existentiam adduci, — 2) ut omnis essentia, eo ipso quod est essentia non realis (notas repugnantes includens, ens rationis), repugnet a quacumque causa in existentiam adduci; — *a.* haec duo obtinent; *e.*

**Ad min. 1 part. (realis... potest).** Si causa producit talem essentiam, eo ipso quod est realis essentia, omnes ejus notae simul coexistere poterunt, et realis existentia hujus essentiae habebitur.

**Ad min. 2 part. (non realis... non potest).** Si causa produceret talem effectum, eo ipso quod est non realis essentia, omnes ejus notae non possent simul manere, sed se mutuo tollerent, et sic realis existentia hujus essentiae nunquam attingeretur, sed semper nihil.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Si quaeratur de possibilitate singularum notarum. — *R.* Etiam haec oritur ab essentia reali hujus notae, seu ab hujus notae realitate; nam eo ipso quod est aliquid positivum reale, jam nec sibi ipsi contradicit (se destruit), neque existentiae quae est et ipsa nota positiva.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Inde intelligitur cur Deus impossible facere non possit, quin tamen propterea imperfectio vel limes Deo tribuatur; nam non Deus repugnat talia facere posse; sed potius talia repugnant fieri posse.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Inde sequitur etiam intrinsecam rerum possibilitatem esse immutabilem, necessariam, aeternam, etc, eodem sensu quo de essentiis metaphysicis ipsis eadem praedicantur.

§ 2. IN QUO FUNDETUR POTENTIA OBJECTIVA.

**Propositio 22.**

**Essentiarum possibilium ultimum fundamentum est Deus.**

**Stat. quaest.** 1) In praecedentibus quaerebatur cur essentiae essent possibiles, seu quae esset causa ob quam tandem essentiae possent a statu possibilitatis objectivae transire in actum existentiae, seu melius : ob quam essent in statu possibilitatis; — nunc quaeritur ulterius de ipsis essentiis realibus, etiam quatenus sunt reales in statu ideali, unde habeant realitatem suam, seu quodnam sit fundamentum cur sint potius aliquid quam absolute nihil.

2) Respondent platonici : formas illas esse in se etiam existentes, sed refutati sunt in logica; istae enim formae seu essentiae sunt universales; — alii respondent illas essentias, non quidem in ordine existentiae, sed in ordine ideali esse independenter aliquid positivum ob suam naturam propriam; ita ut etiamsi per absurdum supponatur Deum non existere, adhuc istae essentiae essent in se aliquid positivum et possibile; — respondet S. Thomas et scholastici fere omnes, ultimum fundamentum unde omne ens reale habet suam entitatem realem, suam realitatem, etiam in ordine ideali, esse Deum. — cfr. *Kleutgen*. phil. n° 581 sq. — *Storchenau* ontol. sect. 2, c. 1.

**Prob. 1<sup>o</sup>** Si essentiae possibiles non penderent a Deo, Deus ab iis penderet in sua cognitione, in sua potentia et in sua operatione; *a.* hoc est absurdum; *e.*

*Ad maj. 1 part. (in cognitione).* Perfectius est eas essentias cognoscere, quam non cognoscere; *e.* si istae essent non in Deo fundatae, sed independentes, Deus eas cognoscens perficeretur quoad intellectum suum ab eis, et in hac sua cognitiva perfectione ab eis dependens esset; *e.*

*Ad maj. 2 part. (in potentia et operatione).* In tantum Deus potens est aliquid operari, in quantum permittit possibilitas, et non reluctatur impossibilitas essentiarum; — *e.* si istae essent independentes a Deo, Deus ab eis haberet limites potentiae, neque operari posset nisi secundum exemplaria, et ab iis dependens esset ut a norma sua.

*Ad min.* Repugnat conceptui Dei infiniti, independentis, entis a se, ut sit dependens ab aliqua entitate distincta a seipso, vel quae non sit fundata in eo et dependens ab eo.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Totus ordo idealis, tota complexio realitatum intelligibilium, naturarum spiritualium et non spiritualium, debet existere (fundari) in aliquo

physico et reali; *a.* hoc physicum et reale aliud esse nequit nisi ens a se, necessarium, spirituale, infinitum : Deus; *e.*

**Prob. maj.** Realitas metaphysica et intelligibilis alicujus creaturae : *a.* in se nullam habet *actualitatem*, sed meram *possibilitatem objectivam*; *e.* in seipsa consistere nequit (nam absolute actus prior est potentia; cfr. sup.); — *b.* supponitur ut intelligibilis ab intellectu, non fit ab illo; *e.* non potest *solum* in intellectu aliquo consistere; — *a.* quod nec in seipso nec in intellectu consistere potest, debet consistere (fundari) in aliquo physico et reali; *e.*

**Propositio 23.**

**Essentiarum possibilium ultimum fundamentum est divina essentia quatenus est objectum divinae intelligentiae.**

**Stat. quaest.** 1) Jam est probatum, essentiarum ultimum fundamentum esse Deum, sed quaeritur ulterius quomodo. — R. Quia Dei essentia est infinitus complexus omnium realitatum, et repraesentabilis seu potius imitabilis per alia entia finita, quae ab eo plures vel pauciores realitates aliquo modo participant, i. e. similes illi habeant; haec autem imitabilitas, ejusque varii modi ab ipso Deo cognoscuntur; quae cognitio essentias participantis possibiles constituit.

2) Explicatur sententia comparatione : video hominem vivum, et percipio imagines ejus fieri posse magis et minus perfectas et varias, v. c. rudi delineatione unicolore; pictura multicolore et arte facta; statua cerea, lapidea, aurea; statua multicolore; statua automaticae motus imitante; — harum omnium fundamentum est essentia hujus hominis analogiee imitabilis; — sed earum essentia formaliter constituitur et existit ut concepta, non nisi in quantum cognosco imitabiles varias illas, seu quatenus cognosco hominem illum ut illis modis imitabilem. — Cfr. *S. Thom.* 1. p. q. 58. a. 6. — *Gent.* 1. 3. c. 24. — *Verit.* q. 3, a. 2.

**Prob.** Ex praecedentibus : 1) essentiae sunt a Deo dependentes in suo esse, — 2) et a Deo distinctae in suo esse formali, — 3) reales tamen, aeternae, immutabiles, etc. — 4) non in Dei essentia ut sic, existentes ut tales, — 5) sed in Dei intellectu existentes ut tales, — 6) nec tamen in intellectu Dei fundatae, sed praesuppositae aliquomodo; — *a.* unicus modus sufficienter illa omnia conciliandi, est explicatio proposita; *e.*

*Ad maj. per part. 1)* : fundamentum est Deus; cfr. sup.

2) et 3) : sunt aeternae, etc... sed alio sensu ac Deus; — et sunt entia analogica secundaria; Deus ens primum; cfr. sup.

4) Si essentiae formaliter constitutae ut tales, existerent in Dei essentia ut sic, divina essentia ut sic exhiberet in se formas omnium rerum, essetque Deus v. c. formaliter animal, et formaliter lapis, etc; quod absurdum.

5) Essentias formaliter constitutas ut tales, ab aeterno et immutabiliter

cognoscit Deus; — nam et ipsae ab aeterno tales sunt, et Deus immutabilis non potuit aliquando ignorare quod erat verum, et quod postea cognoscit; *e.*

6) Prius est esse quam cognosci; nec de natura intellectus est, facere suum objectum, sed apprehendere illud saltem aliquomodo praesuppositum; *e.*

**Probari potest eadem doctrina alio modo per duas partes :**

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*interna rerum possibilitas pendet proxime a divino intellectu*) 1° Opus non naturae sed *artis* et voluntatis, antequam fiat, pendet ab intellectu artificis (a quo *proxime* habet possibilitatem, scilicet naturam *determinate* conceptam et voluntati exequenti applicatam); — *a.* possibilita relate ad Deum se habent ut res arte et voluntate creabiles; *e.*

*Ad maj.* Apprehensio exemplaris requiritur saltem ut conditio et causa dirigens pro artifice.

**Prob. 2°** In essentia divina, possibilita 1) non continentur formaliter secundum suas rationes *determinatas*, — 2) nec secundum eorum ordinem proxime practicum inter se; *e.*

*Ad antec.* 1) Essentia divina non est *formaliter* hic homo, hic lapis, sed est exemplar *virtuale*; — 2) essentia divina continet proxime et immediate nonnisi componentia et elementa *cum varia sua potentialitate*; creatio vero spectat effectum *determinatum*; — *e.* debet factibile antea determinari, quod fit per intellectum.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (... *pendet remote ab essentia divina*) 1° Eo ipso quod Deus est vi essentiae suae *plenitudo* essendi, seu ipsum esse, est *eminenter* et *virtualiter* (non formaliter), et *active* (non passive) esse hujus et hujus rei; et eo ipso quod res tali modo in essentia divina continentur, sunt etiam passive possibilita, seu intrinsecus ex sua parte producibiles; *e.*

*Ad explic.* *Eminenter* (non formaliter) i. e. nobiliori (non eodem) modo, scilicet sublatis imperfectionibus; — *virtualiter* (non formaliter) i. e. habens virtutem eas producendi, causandi; — *active* (non passive) i. e. eas producendi extra se, non se mutandi in eas, fiendi illae.

**Prob. 2°** De natura intellectus cognoscentis est, se conformare objecto; *e.* omnis intellectus, etiam divinus, objectum suum aliquomodo supponit, non facit; neque ideo res sunt possibilita (possibilitate illa remota) quia intelliguntur, sed intelliguntur tales esse quia tales sunt.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo possibilita possibilitatem suam formalem, seu entitatem suam, a Deo distinctam, habent a Deo, non per *actionem* aliquam, liberam aut necessariam (quia possibile qua tale non habet causam effectivam), sed habent a Deo ut ratione *radicali* et *eminente*, per quamdam emanationem realem metaphysicam (non physicam : cave pantheismum!) — Radicans autem et radicum distinguuntur *realiter*, haud secus ac causa efficiens et effectus, nihil enim esse potest radix sui ipsius.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo possibilita cum absoluta necessitate ex essentia divina emanant, et sunt secundum suam possibilitatem tam necessaria quam Deus; nam non possent destrui vel mutari nisi destrueretur vel mutetur eorum fundamentum : essentia Dei.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Neque potest haec necessaria connexio possibilitum cum Deo dici dependentia Dei ab eis; nam oritur non ex indigentia Dei, sed ex infinita ejus abundantia et fecunditate.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Ergo Deus omnia et singula possibilita ab aeterno perfectissime intelligit.

**Coroll. 5<sup>m</sup>** Si Deus non existeret, nihil esset possibile nec impossibile, quia nullum esset reale ens, nec proin oppositio inter ens et non ens; deesset omnis ordo idealis quia deesset et cogitans et cogitabile.

**Coroll. 6<sup>m</sup>** Distingui potest essentiarum *esse eminens*, quod aliud non est nisi divina essentia, — et *esse intentionale*, quod est ipsa idea divina subjectiva, — et *esse objectivum* seu *formale*, i. e. illud esse quod res habiturae essent si crearentur, seu quo sunt tales intelligibiles.

**Coroll. 7<sup>m</sup>** *Cognoscibilitas* possibilitum essentiarum pro intellectu humano immediate fundatur in rebus creatis existentibus, quarum contemplatione notas haurimus; — et per eas mediate fundatur in Dei essentia, quam quasi mediante imagine contemplantur, i. e. cujus imaginem conspiciamus.

**Objic. 1°** Ex hac doctrina sequeretur, si vel una musca esset impossibilis, ipsum Deum deficere; *a.* hoc est absurdum; *e.* — *R. d. maj.* deficere consequenter (ob suam dependentiam ab hac musca ut a causa vel a conditione), *n;* arguitive (ob dependentiam necessariam muscae a Deo, qui dum est ut est, non possit non fundare ejus possibilitatem; quam si non fundaret, jam nobis manifeste liceret ex effectu arguere causam esse mutatam), *c.*

**Objic. 2°** Si Deus necessariam habet connexionem cum possibilitibus, ab iis pendet, iisque indiget. — *R. d. si...* ut cum principio a quo perfectionem suam habeat, *c;* si... ut cum termino cui largiatur de plenitudine sua, *n.*

**Objic. 3°** Per hanc thesim res possibilita nihil aliud essent nisi ipsae ideae Dei; *a.* ideae Dei sunt ipsa essentia Dei, quae proinde creatione multiplicaretur eadem; *e.* — *R. d. maj.* ipsae ideae Dei formaliter, *n;* terminative, *c;* — *c. d. min. 1 part.* — *ad 2 part : n. supp.*

*Inst.* Saltem laedit conceptum creationis; nam res non fierent ex nihilo, sed ex sua possibilitate. — *R. n. singula.*

**Objic. 4°** Concipere possumus internam rerum possibilitatem et essentiam, quin de divino intellectu vel essentia divina cogitemus; *a.* quod concipi sine alio potest, ab illo non pendet; *e.* — *R. d. maj.* concipere i. e. ejus naturam rimari, *n;* i. e. apprehendere, non cogitando de Deo, *sd.* per praecisionem mentis, *c;* per praecisionem a parte rei, *n.* — *c. d. min.* — Vel *R. d. maj.* possumus..., et hoc quia directe factum apprehendimus, quod ipsum fundatur in Deo, *c;* quod non fundetur in Deo, *n.*

**Objic. 5°** Intellectus, etiam divinus, supponit objectum, non facit; *e.* essentiae nullo modo ab intellectu divino pendent. — *R. d. ant.* supponit objectum primum, quod sit fundamentum ceterarum idearum, *c;* secunda-

rium, *sd.* supponit virtualiter (quatenus in primario aliqua ratione continentur), *c;* complete et jam perfecte in se constitutum, *n.*

**Objic. 6°** Ex hac thesi ideo essentia est possibilis, quia ita Deus est imitabilis; ac proin ideo essentia est impossibilis quia Deus non ita imitabilis; *a.* haec est limitatio et imperfectio essentiae Dei sine alia ratione; *e.* — *R. d. maj.* remote et fundamentaliter, *c;* proxime et formaliter, *n.* (sed ex ipsa essentiarum non repugnantia) — *c. d. min.*

### ARTICULUS 3.

#### De actu existentiae.

Correspondens potentiae objectivae actus est ipsa existentia; de qua nunc inquirendum venit, non quidem quid *metaphysice considerata* sit, est enim ipsa essentiae praesentia in ordine rerum, neque per alias clariores vel simpliciores notas declarari ipsa potest; sed quaerendum est quid existentia alicujus rei, *physice et materialiter sumpta*, essentialiter sit.

#### Propositio 24.

**Essentiae actualis entitas, ejusque existentia, non re distinguuntur, sed tantum in conceptu cum fundamento in re.**

**Notiones.** *Existentia* varie definiri seu describi potest: a) actualis rei praesentia in ordine physico, — b) ultima rei actualitas, — c) essentia quatenus cessat esse in mero possibilitatis statu, et in rerum natura ponitur; — d) id quo res est extra suas causas. — Ex his praeplacent a) et d), nam b) et c) possunt et debent aliter et aliter explicari, quatenus haec praesens nostra propositio admittitur vel rejicitur.

*Essentia non existens* dicitur ens in potentia, seu ens possibile; — *essentia existens* dicitur ens in actu, seu ens actuale.

**Stat. quaest. 1)** *Potentia et actus* correspondens generatim distinguuntur realiter: sive agitur de potentia objectiva et existentia, sive de potentia subjectiva et forma; nam opponuntur ut essentialiter non ens et ens.

2) Sed quaestio movetur, num sit, in re creata existente, admittenda distinctio realis inter *actum existentiae*, et essentiam actualem, quae sit *potentia subjectiva hujus actus*.

3) Respondent *Thomistae* essentiam existentem componi ex duabus partibus realiter distinctis, ut re et re; scilicet essentia actuali, et ejus existentia; cfr. *S. Thom. op. de ente et essent. — c. Gent. 1. 2, c. 52.*

Respondent *Scotistae aliqui* esse compositam ex distinctis realiter, ut re et modo ejus.

4) Respondemus nos: a) dari distinctionem rationis cum fundamento in re; b) non dari distinctionem a parte rei, et quidem neque ut inter rem et rem,

neque ut inter rem et modum suum; — sed si fiat abstractio a parte rei ab existentia, jam *ipso facto* nullum manere a parte rei subjectum aptum ad existendum, sed manere solam potentiam objectivam.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*est... in conceptu...*). 1) Ea distinguuntur *ratione* quae, licet a parte rei sint identica, respondent conceptibus distinctis; — 2) et *cum fundamento in re* si in ordine rerum objectivo habetur ratio aliqua objectiva cur possimus duos illos conceptus distinguere; — *a.* 1) conceptus essentiae exprimit id quo ens est formaliter tale ens, differens ab aliis entibus; — conceptus existentiae exprimit id quo ens est formaliter extra nihilum, actu praesens in ordine physico; — 2) fundamentum habetur, quod plura entia existunt quae non sunt ejusdem essentiae; — et plura ejusdem essentiae concipiuntur quae non existunt; — et hoc fundamentum est a parte rei; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*sed non re*) 1° Essentia actualis intrinsece constituitur aliquo esse reali et actuali, a se non distincto; *a.* istud esse reale et actuale ab ipsa existentia non distinguitur realiter; *e.*

*Ad maj. 1 part. (intrinsece constituitur esse reali, actuali).* Essentia realis et actualis, in suo genere (substantiali, accidentali...) est verum et actuale ens reale, differens ab ente in potentia; *a.* nequit esse verum et actuale ens reale nisi in hoc statu constituatur aliquo esse reali et actuali; *e.*

*Ad maj. 2 part. (a se non distincta).* Essentia actualis differt ab essentia in potentia; *a.* differt, non per aliud quidquam, sed per proprium illud esse actuale et reale quo in suo genere est ens reale actuale; *e.*

*Prob. min. (hoc esse ab existentia non distinguitur).* Omnia illi conveniunt quae ut propria praedicantur de existentia (et propter quae adversarii existimant existentiam distingui ab essentia); *e.*

*ad antec.* Existentia a) non est aeterna sed temporalis, — b) convenit creaturae contingenter, non necessario, — c) confertur creaturae per efficientiam creatoris, — d) est esse extra causas, quo res desinit esse nihil in se, et incipit esse aliquid in se, — e) ponit essentiam in novo statu temporali, quo haec differat ab essentia mere possibili, — f) sufficit ad veritatem hujus locutionis: « essentia est; » — *a.* haec omnia vere dicenda sunt de illo esse reali actuali, etiam in se solo formaliter inspecto, et abstrahendo ab omni alio esse distincto superaddendo, v. c. ab existentia ut distincta superaddenda; *e.*

**Resumitur brevius idem argumentum.** Essentia actualis et producta est aliquid (non nihilum); — et proin habet propriam entitatem qua differt a nihilo et mere possibili, et qua constituitur extra ordinem metaphysicum, in ordine physico; — et est aliquid contingens (non necessarium), et temporale (non aeternum); — *a.* si entitate propria ita differt a nihilo, et desinit esse nihil et mere possibile, et est extra suas causas: etiam propria entitate existit (nam existentia est id quo aliquid constituitur extra suas causas); *e.*

**Prob. 2°** (*eadem 2<sup>a</sup> pars*). Sententia adversa 1) vix, vel nullo modo, intelligi potest, — 2) nullo solido fundamento nititur, — 3) est ad omnia inutilis; *e.*

*Ad antec. 1 part.* Nequit intelligi essentia actu producta extra merae possibilitatis statum, et tamen *non ipso facto* existens; — quod fatentur adversarii difficile conceptu esse.

*Ad ant. 2 part.* Fundamenta afferuntur: a) de essentia creaturae esse, ut habeat esse non a se, sed participatum; et hinc creaturam esse necessario potentialem; — b) creaturam non recipere esse absolutum, sed in certo genere circumscriptam existentiam; — a. haec omnia facillime explicantur ex distinctione rationis cum fundamento in re; e.

*Ad ant. 3 part.* Esse inutilem, sequitur ex praecedentibus, et clarius paulatim apparebit in tota nostra philosophia; — dein entia non sunt multiplicanda sine necessitate.

**Objic. 1°** Si non est distinctio realis, esse creaturae est esse irreceptum; a. quod est irreceptum est infinitum (quia non habet unde limitetur); e. — R. d. maj. non receptum in aliquo subjecto praesupposito, c; non ab aliquo dante, n. — c. d. min. non receptum ab aliquo dante, c; non in aliquo subjecto, n. — *Ad rat. addit. n.* (limitatum datur, limitatione *essentia* propriae suae essentiae metaphysice praesuppositae, non physice).

**Objic. 2°** Inter actum et nihil (seu potentiam objectivam), est potentia subjectiva; e. — R. d. ant. quoad alios actus, secundarios, c; quoad actum primum essendi (seu existendi), n.

*Inst.* Essentia producta habet per se entitatem veram, quae non est mera objectivitas rei, sed est entitas physice potentialis, quae vi existentiae ad ultimam actualitatem adducitur in linea entis. — R. n. — Vel d. in ordine metaphysico, c; physico, n.

**Objic. 3°** Essentia est aeterna, etc, existentia est temporalis, etc; e. — R. d. essentia abstracta, metaphysica, c; concreta, producta, physica, n.

**Objic. 4°** Nulli essentiae finitae est essentialis existentia; e. — R. d. in statu metaphysico, c; in statu physico et sensu composito, n.

**Objic. 5°** Ubi nulla distinctio inter essentiam et existentiam, ibi est actus purus; a. actus purus est solus Deus; e. — R. d. maj. ubi nulla distinctio rationis cum fundamento in re, c; ubi nulla realis, n. — c. d. min. — (aliis verbis d. maj. ubi inter essentiam metaphysicam et existentiam, c; inter essentiam physicam..., n.).

**Objic. 6°** Essentia se habet ad existentiam sicut potentia ad actum; a. potentia realiter ab actu distinguitur; e. — R. d. maj. essentia in statu metaphysico, c; physico, sd. se habet logice sicut..., c; realiter, n. — c. d. min. quod est realiter potentia, c; quod logice, sd. distinguitur ratione, c; realiter, n.

**Objic. 7°** Quod est indifferens ad alterum, ab illo realiter distinguitur; a. res contingentes sunt indifferentes ad existendum; e. — R. d. maj. quod indifferens logice, n; quod physice, c. — c. d. min.

**Objic. 8°** Id quod convenit naturae independenter a causa efficiente, distinguitur realiter ab eo quod illi convenit dependenter a causa efficiente;

a. praedicata *essentialia* conveniunt rei independenter a causa efficiente, *existentia* autem non nisi ab illa tribuitur; e. — R. tr. maj. — d. min. 1 part. essentialia metaphysica conveniunt rei in statu metaphysico, c; essentialia physica rei in statu physico, n. — c. 2 part. min.

**Objic. 9°** Essentia physica est semper eadem, existentia autem continua successione mutatur; e. — R. d. 1 part. semper eadem in se, tr; quoad praedicata ex relatione ad terminum extrinsecum, n. — d. 2 part. mutatione intrinseca, n; extrinseca denominatione, sd. quae simul pariter afficiat essentiam et existentiam, c; solam existentiam, n.

**Objic. 10°** Nihil potest concipi cum opposito hujus cui identificatur; a. essentia concipi potest ut non existens; e. — R. d. maj. ejus cui essentialiter seu metaphysice identificatur, c; cui realiter seu physice tantum, n.

**Objic. 11°** Nihil potest esse in potentia ad seipsum; a. essentia dicitur in potentia ad existentiam; e. — R. d. maj. in potentia subjectiva, c; objectiva, n. — c. d. min.

**Objic. 12°** Si existentia est realiter idem ac essentia realis, tunc a) essentia erit unica tantum et simplex (nam unum quid simplex est existentia), — b) existentia erit necessaria, infinita, improducta (nam talis est essentia); — a. haec sunt divina tantum; e. — R. d. omnia pariter in maj. quoties agitur de existentia et essentia in statu metaphysico, c; in statu physico, n. — c. d. min.

**Objic. 13°** *Contra argumenta.* Duplici modo potest aliquid dici *actuale*: a) quia *actus* est, b) quia *actuatum* est; — a. in argumento ostenditur de secundo, et concluditur de primo; e. nulla probatio. — R. d. maj. et haec duo sunt ratione distincta, c; realiter distincta, sd. si agitur de actu formali, c; de actu ipso primae existentiae, n.

**Objic. 14°** Duplici modo potest aliquid esse in potentia: a) *objectiva*, i. e. mera possibilitas, non repugnantia; b) *subjectiva*, i. e. apta ut recipiat actum; — a. in argumento ostenditur de secundo, et concluditur de primo; e. — R. d. maj. et haec duo distinguuntur ratione, c; distinguuntur realiter, sd. si agitur de potentia ad formam, c; de ipsa potentia ad primam existentiam; n.

**Objic. 15°** Argumentum probat essentiam actualem et existentiam non posse *separari*; sed non probat eas non ita *distingui*, ut compositum habeatur ex potentia et actu existendi; e. — R. n. *assert.* (ostendit illam potentiam, ut sic, condistinctam ab actu existendi, esse potentiam mere objectivam, esse non ens physicum; e. ex ea non posse constare ens physicum).

## CAPUT II.

## DE ENTIS PROPRIETATIBUS TRANSCENDENTALIBUS.

Sub variis suis aspectibus jam consideravimus ipsam notionem transcendentalem *entis*. At nondum statim finis! Ad plenioram namque et intimiorem hujus notionis perspectionem, aliae nunc notae occurrunt quae de omni ente,



*Ad antec. 1 part.* Nequit intelligi essentia actu producta extra merae possibilitatis statum, et tamen *non ipso facto* existens; — quod fatentur adversarii difficile conceptu esse.

*Ad ant. 2 part.* Fundamenta afferuntur: a) de essentia creaturae esse, ut habeat esse non a se, sed participatum; et hinc creaturam esse necessario potentialem; — b) creaturam non recipere esse absolutum, sed in certo genere circumscriptam existentiam; — a. haec omnia facillime explicantur ex distinctione rationis cum fundamento in re; e.

*Ad ant. 3 part.* Esse inutilem, sequitur ex praecedentibus, et clarius paulatim apparebit in tota nostra philosophia; — dein entia non sunt multiplicanda sine necessitate.

**Objic. 1°** Si non est distinctio realis, esse creaturae est esse irreceptum; a. quod est irreceptum est infinitum (quia non habet unde limitetur); e. — R. d. maj. non receptum in aliquo subjecto praesupposito, c; non ab aliquo dante, n. — c. d. min. non receptum ab aliquo dante, c; non in aliquo subjecto, n. — *Ad rat. addit. n.* (limitatum datur, limitatione *essentia* propriae suae essentiae metaphysice praesuppositae, non physice).

**Objic. 2°** Inter actum et nihil (seu potentiam objectivam), est potentia subjectiva; e. — R. d. ant. quoad alios actus, secundarios, c; quoad actum primum essendi (seu existendi), n.

*Inst.* Essentia producta habet per se entitatem veram, quae non est mera objectivitas rei, sed est entitas physice potentialis, quae vi existentiae ad ultimam actualitatem adducitur in linea entis. — R. n. — Vel d. in ordine metaphysico, c; physico, n.

**Objic. 3°** Essentia est aeterna, etc, existentia est temporalis, etc; e. — R. d. essentia abstracta, metaphysica, c; concreta, producta, physica, n.

**Objic. 4°** Nulli essentiae finitae est essentialis existentia; e. — R. d. in statu metaphysico, c; in statu physico et sensu composito, n.

**Objic. 5°** Ubi nulla distinctio inter essentiam et existentiam, ibi est actus purus; a. actus purus est solus Deus; e. — R. d. maj. ubi nulla distinctio rationis cum fundamento in re, c; ubi nulla realis, n. — c. d. min. — (aliis verbis d. maj. ubi inter essentiam metaphysicam et existentiam, c; inter essentiam physicam..., n.).

**Objic. 6°** Essentia se habet ad existentiam sicut potentia ad actum; a. potentia realiter ab actu distinguitur; e. — R. d. maj. essentia in statu metaphysico, c; physico, sd. se habet logice sicut..., c; realiter, n. — c. d. min. quod est realiter potentia, c; quod logice, sd. distinguitur ratione, c; realiter, n.

**Objic. 7°** Quod est indifferens ad alterum, ab illo realiter distinguitur; a. res contingentes sunt indifferentes ad existendum; e. — R. d. maj. quod indifferens logice, n; quod physice, c. — c. d. min.

**Objic. 8°** Id quod convenit naturae independenter a causa efficiente, distinguitur realiter ab eo quod illi convenit dependenter a causa efficiente;

a. praedicata *essentialia* conveniunt rei independenter a causa efficiente, *existentia* autem non nisi ab illa tribuitur; e. — R. tr. maj. — d. min. 1 part. essentialia metaphysica conveniunt rei in statu metaphysico, c; essentialia physica rei in statu physico, n. — c. 2 part. min.

**Objic. 9°** Essentia physica est semper eadem, existentia autem continua successione mutatur; e. — R. d. 1 part. semper eadem in se, tr; quoad praedicata ex relatione ad terminum extrinsecum, n. — d. 2 part. mutatione intrinseca, n; extrinseca denominatione, sd. quae simul pariter afficiat essentiam et existentiam, c; solam existentiam, n.

**Objic. 10°** Nihil potest concipi cum opposito hujus cui identificatur; a. essentia concipi potest ut non existens; e. — R. d. maj. ejus cui essentialiter seu metaphysice identificatur, c; cui realiter seu physice tantum, n.

**Objic. 11°** Nihil potest esse in potentia ad seipsum; a. essentia dicitur in potentia ad existentiam; e. — R. d. maj. in potentia subjectiva, c; objectiva, n. — c. d. min.

**Objic. 12°** Si existentia est realiter idem ac essentia realis, tunc a) essentia erit unica tantum et simplex (nam unum quid simplex est existentia), — b) existentia erit necessaria, infinita, improducta (nam talis est essentia); — a. haec sunt divina tantum; e. — R. d. omnia pariter in maj. quoties agitur de existentia et essentia in statu metaphysico, c; in statu physico, n. — c. d. min.

**Objic. 13°** *Contra argumenta.* Duplici modo potest aliquid dici *actuale*: a) quia *actus* est, b) quia *actuatum* est; — a. in argumento ostenditur de secundo, et concluditur de primo; e. nulla probatio. — R. d. maj. et haec duo sunt ratione distincta, c; realiter distincta, sd. si agitur de actu formali, c; de actu ipso primae existentiae, n.

**Objic. 14°** Duplici modo potest aliquid esse in potentia: a) *objectiva*, i. e. mera possibilitas, non repugnantia; b) *subjectiva*, i. e. apta ut recipiat actum; — a. in argumento ostenditur de secundo, et concluditur de primo; e. — R. d. maj. et haec duo distinguuntur ratione, c; distinguuntur realiter, sd. si agitur de potentia ad formam, c; de ipsa potentia ad primam existentiam; n.

**Objic. 15°** Argumentum probat essentiam actualem et existentiam non posse *separari*; sed non probat eas non ita *distingui*, ut compositum habeatur ex potentia et actu existendi; e. — R. n. *assert.* (ostendit illam potentiam, ut sic, condistinctam ab actu existendi, esse potentiam mere objectivam, esse non ens physicum; e. ex ea non posse constare ens physicum).

## CAPUT II.

## DE ENTIS PROPRIETATIBUS TRANSCENDENTALIBUS.

Sub variis suis aspectibus jam consideravimus ipsam notionem transcendentalem *entis*. At nondum statim finis! Ad plenioram namque et intimiorem hujus notionis perspectionem, aliae nunc notae occurrunt quae de omni ente,

ut sic, praedicantur, nec proinde minus transcendentales: nec minus simplices in comprehensione, nec minus amplae in extensione, nec minus analogae in applicatione sunt, quam ipsam comperimus notam entis. Quae quum ita se habeant, ut non ipsa nota entis sint, de omni et solo ente tamen praedicandae sunt, ac jure suo *entis proprietates* dictae sunt. Atque hic, sicut in omni alia re, ex clariore notione proprietatum melius etiam essentia rei agnoscetur.

De his igitur duplex erit quaestio:

Quaestio 1. De entis proprietatibus in genere.

Quaestio 2. De entis proprietatibus in specie.

QUAESTIO 1.

De entis proprietatibus in genere.

Propositio 25.

Ens non habet proprietates reales, sed omnia quae enti attribuuntur tanquam proprietates ejus, addunt ipsi solum negationem aliquam, vel respectum rationis.

**Stat. quaest. 1)** *Proprietates entis, ut sic*, dicuntur ea quae cuique enti per se competunt, i. e. quatenus est ens; ideoque competunt omnibus entibus, non quia sunt in aliquo genere vel specie, sed quia sunt entia; quae proprietates erunt transcendentales sicut ipsum ens.

2) Tenet *Scotus*: ens habere reales positivas proprietates distinctas a se ex natura rei, quae tamen essentialiter entia non sint.

Dicunt *Thomistae* aliqui: ens habere reales proprietates, sed non realiter distinctas ab ipso, ita ut formaliter acceptae includant essentialiter ens.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*non reales proprietates*). Ut aliqua sit vera et realis proprietas, requiritur: 1) ut proprietas sit aliqua res (secus est nihil), — 2) ut sit distincta realiter a subjecto (secus erit de ejus essentia), — 3) ut sit convertibilis cum subjecto (secus erit accidens mobile, non proprium), — 4) ut subjectum non sit de ejus intrinseca ratione; — *a.* talem proprietatem nullam habere potest ens, ut sic; *e.*

**Prob. min.** a) Si haec proprietas est aliqua res (secundum 1<sup>m</sup>), est ens (contra 4<sup>m</sup>), nec potest distingui ab ente (contra 2<sup>m</sup>); — b) si est ens, quin sit ens ut sic, non erit convertibilis (contra 3<sup>m</sup>); — c) si est ens, jam aut habet proprietates entis, et abitur in infinitum, aut est proprietas sui ipsius!

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*addunt aliquid, seu: non sunt nihil*). Simpliciter verum est, omne ens esse v. c. unum; *a.* ad hoc non est opus ut mens fingat aliqua entia rationis; *e.*

*Ad min.* Hoc esset verum, etiamsi mens nihil de illo cogitet; *e.*

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*negatio vel respectus*) 1<sup>o</sup> Proprietates, ut attributa, non sunt synonyma entis; debent igitur formaliter significare aliquid praeter ens;

*a.* non possunt formaliter significare aliquam entitatem superadditam enti, ab ipso distinctam e natura rei, neque entia rationis (strictiori sensu); *e.* aut privationem, aut aliquam habitudinem, vel denominationem extrinsecam.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Per illa attributa explicatur positiva seu realis perfectio entis; *a.* simplicia (qualis est nota entis) non cognoscimus perfecte prout sunt in se; et propterea negationibus partim, et partim comparationibus ad alia utimur ut ea explicemus; *e.*

*Ad maj.* Eo tendunt ut perfectius a nobis cognoscatur et explicetur entis natura; secus frustra essent illa attributa.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Aliud est: proprietas vera et realis; aliud: praedicatum quod concipitur ad modum realis proprietatis, quae jam non debet esse ex natura rei distincta a subjecto.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Aliud est: distinctio in ens reale et ens rationis; aliud: distinctio rationis; nam potest esse nota aliqua realis, non tamen distincta realiter a subjecto, sed ratione.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Saepe attributum formaliter significat aliud, v. c. negationem, et aliud intendit explicare, v. c. simplicitatem positivam per negationem compositionis.

Propositio 26.

Omnes proprietates entis reducuntur ad unum, verum, bonum.

**Stat. quaest.** *Proprietates* lato sensu, quales diximus haberi posse. — Cfr. *S. Thom.* de verit. q. 1, a. 1.

**Prob. 1)** De ente non potest praedicari nisi *modus ejus*:

absolutus — competens omni enti in se spectato,	
{ positivus = ipsa essentia — — — — — =	res
{ negativus = non divisum in se — — — — — =	unum
relativus — competens enti spectato in ordine ad aliud ens,	
{ negativus = non idem cum alio, divisum ab omni alio — — — — — =	aliquid
{ positivus = conveniens ad aliud,	
{ conveniens ad cognitionem — — — — — =	verum
{ conveniens ad appetitum — — — — — =	bonum

2) neque alii modi transcendentales excogitari possunt entis, sed omnes aut erunt modi determinantes ad inferiora, aut in enumeratos supra recident;

3) neque ad aliud potest omne ens convenire, nisi ad id quod vicissim ad omne ens potest aliquomodo convenire; scilicet ad solam animam (spiritum) per duas facultates: intellectum et voluntatem;

*Atqui* 1) *res*, utpote ipsam essentiam exprimens absolute, synonymon entis potius est quam qualitas ejus, unde et substantive imponitur nomen;

2) *unum* est indivisum in se, sed subauditur: divisum ab omni alio, i. e. *aliquid*; ergo unum et aliquid sunt idem, vel saltem non magis differunt formaliter quam ut continens et contentum; *e.*

## QUAESTIO 2.

## De entis proprietatibus in specie.

Explicatum ergo est quaenam et quo sensu entis proprietates transcendentales dici possint; atque illae ad tres tantum reducendae esse apparuerunt. De his igitur singulis aliqua specialiter inquirenda manent. Unde :

Articulus 1. De uno.

Articulus 2. De vero.

Articulus 3. De bono.

## ARTICULUS 1.

De uno.

## Propositio 27.

Unitas transcendentalis significat entitatem rei, connotando negationem divisionis in ipso ente.

**Stat. quaest.** Unitas lato sensu, i. e. sive realis, sive fictitia, sive artificialis, sive compositionis, etc.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (entitatem rei).** Unum, teste sensu communi, aliter intelligi nequit nisi ut ens quod est non plura entia; e. unitas intelligenda est entitas rei quae non habeat entitates plures.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (connotat negationem aliquam).** Addit certe aliquid; a. hoc non est merum figmentum mentis, neque est relatio ad aliud, neque aliquid positivum; e.

**Ad min. per partes.** 1) Ens habet unitatem etiam independentem a cognitione mentis. — 2) Unitas est proprietas absoluta entis, quae ei conveniret etiamsi unicum esset ens et nulla relatio possibilis. — 3) Posset saltem per praecisionem mentis considerari tum ens, tum additum; a. etiam sic ens maneret unum; e.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (negationem divisionis).** Per divisionem formaliter concipimus ens unum fieri multa; e. nulla alia ratione melius concipimus ens esse formaliter unum quam per negationem divisionis in ipso.

**Schol. 1<sup>m</sup>** Quaeritur *utrum haec sola negatio addatur, an insuper negatio identitatis cum alio, vel unionis cum alio.* — R. a) *alii* : Requiritur et hanc secundam, quia secus posset simul non esse hoc unum sed aliud. — b) *alii* : Non requiritur, quia sufficere priorem ita ut ens sit unum ex multis (etiamsi non sint alia a quibus distinguatur, adhuc esset unum). — c) *nos* : Haec altera negatio est potius relativa entis proprietati, quae ex unitate consequitur quidem, non autem formaliter exprimitur per *unum*, sed potius per *aliquid*.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Utrum haec negatio sit *mere negatio*, an *potius privatio*. — R. a) Privatio est negatio attributi de subjecto apto ab illud attributum; a. non

omne ens est aptum, capax, divisionis in se, v. c. simplex; e. haec negatio non est simpliciter privatio divisionis. — b) Mera negatio non praesupponit necessario subjectum de quo negetur; a. unum necessario praesupponit ens, imo est idem cum eo; e. haec negatio dicenda est *non mere negatio*, sed ad modum privationis, praesupponendo subjectum, licet abstrahendo ab ejus aptitudine.

**Schol. 3<sup>m</sup>** Uni opponitur *multitudo et numerus*. — a) Multitudo est complexus entium similium, et dicitur : entia separata, — ita distincta re, ut unum non sit aliud, — ita non distincta ratione, ut uno conceptu omnia repraesententur. — b) Numerus a multitudine non differt nisi quod numerus concipitur sub unitate, i. e. quatenus est collectio unitatum; — quod multitudo concipitur ut numerabilis in distinctione unitatum; — quare multitudo est fundamentum numeri.

**Schol. 4<sup>m</sup>** Eadem res potest esse sub uno respectu una, et simul sub alio multa, v. c. res est quoad essentiam una, quoad partes multa.

**Schol. 5<sup>m</sup>** Unitas simplicitatis est, ubi ens nec divisum nec divisibile; unitas compositionis, ubi ens est non divisum licet divisibile; quarum alterutra unitas competit cuicumque enti.

## Propositio 28.

Omne ens quod existit vel existere potest, habet unitatem individuationis ex eadem entitate qua constituitur in specie.

**Notiones.** Omnis unitas est :

realis — — — a parte rei.

mathematica : prout est elementum numeri, pars quantitatis.

transcendentalis : prout omnibus rebus convenit.

individualis = indivisibilitas realitatis singularis in plures tales qualis ipsa est, v. c. Pauli in plures Paulos.

formalis = indivisibilitas essentiae quae una resultat ex pluribus notis constitutivis, v. c. humanitas, ex animalitate et rationalitate, quo sensu singulae essentiae sunt unae indivisibiles. Cfr. prop. 14.

logica — — — a parte rationis, non rei, nisi fundamentaliter : scilicet universalia uno conceptu repraesentabilia.

**Stat. quaest.** 1) Nos quando percipimus individua, percipimus notas individuantes, i. e. quae resultant ex eorum individuatione, eamque nobis manifestant, sed non eam constituunt seu causant intrinsece; — in hac propositione quaeritur ulterius quid objective illam individuationem constituat, seu sit ejus principium intrinsecum.

2) Respondent Aristoteles et S. Thomas, principium individuationis esse materiam signatam, i. e. quantitate affectam; unde res aliqua sit individua non quia hanc formam habet, sed quia illam habet in hac materia, vel in

materia quae hac quantitate, extensione, situ partium afficitur; unde, ubi nulla materia, ibi nulla speciei individuatio, sed quot individua tot species, v. c. angelorum. Cfr. S. Thom. op. 8, q. 108. — op. 25 de princ. indiv. — op. 26, de ente et ess. 2, 3.

3) Respondent Scotus et alii: Non materia sola, etiam signata; sed essentia tota (tum materia tum forma), ipso facto quod constituitur integra, jam est individua; — nec distinguuntur essentia specifica et hoc individuum, nisi ratione. — Cfr. Suar. met. d. 5.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (habet... individuationis) 1<sup>o</sup>** Repugnat existere universalialia a parte rei. Cfr. logic.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Realitas existens divisa in pluribus talibus qualis ipsa est, esset simul una, et non una sed plures; a. hoc est absurdum; e.

*Ad min.* Illa plura aut distinguuntur intrinsece, aut non; a. si primum: non sunt unum; si secundum: non sunt plura; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (ex eadem entitate).** Eadem entitate constituuntur intrinsece, ea quae a parte rei nullo modo sunt distincta; a. natura specifica alicujus individui, ejusque individualitas nullo modo distinguuntur a parte rei; e.

*Prob. min.* 1) Si distinguuntur, ista natura specifica aut est universalis contrahenda per individuacionem, aut non; a. si primum: existit natura universalis a parte rei, quod absurdum; si secundum: jam est individua, neque ulterior requiritur individuatio; e.

2) Item, ista entitas individuacionis, materia signata, aut est aliquid individuum per se, aut individuum per aliquam individuacionem sibi superadditam; — a. si primum, jam non repugnat aliquid esse individuum sine addita individuacione, et poterit a pari ipsa essentia specifica...; — si secundum, recurrit argumentum circa istam superadditam, et abitur in infinitum; e.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Realitas individui, v. c. Petri, addit aliquid naturae communi hominis: Petreitatem. — R. d. naturae communi praecisive et inadaequate conceptae, c; naturae conceptae adaequate prout existit, n.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Homo non est hic homo per suam essentiam humanam. — R. d. per inadaequate conceptam, c; per adaequate conceptam prout existit, n.

**Objic. 3<sup>o</sup>** Ergo Petreitas, Joanneitas... sunt de essentia humanitatis! — R. d. de essentia inadaequate apprehensa, n; de essentia hujus et hujus humanitatis adaequate apprehensae prout existit, c.

**Objic. 4<sup>o</sup>** Ergo Petrus et Joannes differunt essentia?! — R. d. essentia specifica abstracte apprehensa, n; prout existit objective, c.

**Objic. 5<sup>o</sup>** Petrus constituitur homo re communi Paulo, et ab eo differt solum ut individuum. — R. d. re communi realiter, n; communi logice, i. e. essentia uno conceptu praecisivo repraesentabili, c.

**Objic. 6<sup>o</sup>** Intrinseca entitas essentiae non includit notam individuacionis. — R. d. entitas essentiae adaequate concepta prout est, n; praecisive concepta, c.

**Objic. 7<sup>o</sup>** Si principium individuacionis non est quid extra essentiam com-

munem, est nihil. — R. d. est nihil realiter ab ea distinctum, c; est nihil simpliciter, n. (essentia ipso facto quod est, certo aliquo modo est).

**Objic. 8<sup>o</sup>** Per existentiam fit essentia individua; e. hoc erit principium individuacionis. — R. d. ant. existentia necessario praesupponit (metaphysice) individuacionem, c; est principium cur necessario fiat individuatio et sine quo non fieret, n. (optime concipitur aliqua res individua non existens sed possibilis).

**Objic. 9<sup>o</sup>** Ergo nullus datur conceptus univocus, sed semper analogus?! — *prob.* Conceptus v. c. hominis, competit Petro et Paulo; a. si homo Petrus, prout existit, essentialiter differt ab homine Paulo, jam non eadem ratione conceptus hominis illis competit; e. — R. n. assert. — *ad prob. c. maj.* — *d. min.* si essentialiter differt per aliquid intrinsecum notioni praecisivae hominis, c; si... per aliquid extrinsecum huic notioni additum, sd. conceptus praecisivus hominis non eadem ratione competit, n; conceptus adaequatus hominis qui est Petrus, et qui est Paulus, c.

**Objic. 10<sup>o</sup>** Materia est per se non multiplicabilis, et est ratio cur essentia multiplicari in individuis possit (sicut sigillum in cera); e. ipsa est principium individuacionis. — R. tr. ant. et retorq. idem dici potest de forma essentiali: sicut eadem forma potest esse in variis materiis, ita eadem materia subesse potest variis formis; — et sicut ob materiam aliam et aliam est aliud individuum ejusdem speciei, ita ob formam aliam et aliam fit eadem materia aliud et aliud individuum; v. c. transit herba in ovem, ovis in hominem, homo in tigrim, tigris in morticinum putrescens.

**Objic. 11<sup>o</sup>** Quamdiu essentiae concipiuntur ut abstractae a materia, tamdiu concipiuntur ut multiplicabiles (universales). — R. n. Vel d. i. e. imaginari non potest individuum abstractum a materia, c; intelligi non potest, n.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ex dictis sequitur: 1) differentiam individuaalem esse accidentalem essentiae abstracte conceptae;

2) sed esse essentialem essentiae concretae;

3) essentiam concretam, quatenus inest in variis individuis, esse analogam analogiae inaequalitatis.

4) essentiam abstracte conceptam esse univocam, etiam quatenus de individuis praedicatur;

5) in hoc differre essentias a notis transcendentalibus (entis, unius, veri, boni) quod istae non solum in concreto sunt analogae, sed etiam in conceptu praecisivo (confusivo nempe, non abstractivo: cfr. supra), et quidem non solum quatenus de individuis praedicantur, sed etiam quatenus de conceptibus simplicissimis, v. c. de substantia ut sic, de accidente ut sic, de finito ut sic, de infinito ut sic.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo ab eodem res habet quod sit ens, et quod sit una.

## ARTICULUS 2.

De vero.

## Propositio 29.

Veritas transcendentalis significat entitatem rei, connotando conceptum intellectus cui talis entitas conformatur, vel conformari potest.

**Stat. quaest.** 1) *Veritas transcendentalis* : proprietas entis ut sic, quo sensu illam supra admisimus; — dicitur etiam veritas ontologica.

2) Veritatem varii varie explicabant : a) proprietatem realem entis absolutam, ab ente distinctam ratione cum fundamento in re; — b) negationem v. c. fictionis, merae apparentiae; — c) denominationem extrinsecam (ubi agitur de creatis) sumptam ab ente infinito quod imitantur ut analoga. — Sed R. Proprietas convertibilis debet ab intrinseco convenire enti. — Cfr. *Suar.* met. d. 8, s. 7.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (entitatem rei).** Significatio verborum constat e communi usu loquendi; a. e communi usu veritas tribuitur rebus ad significandam realitatem rerum, et integritatem essentialium; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (connotando) 1<sup>o</sup>** Omnia entia sunt aut actu aut aptitudine conformia intellectui; a. illum respectum conformitatis nullus alius conceptus exprimit, nisi veri; e.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Falsitas tribuitur rebus ex earum difformitate cum intellectu; e. ex contrario veritas.

**Prob. 3<sup>o</sup>** Conceptus entis et conceptus veri non sunt synonymi; e. conceptus veri addit aliquid conceptui entis; a. nihil potest addere nisi respectum conformitatis ad intellectum; e.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** *Omne ens est verum*, nam omne ens, eo ipso quod est, habet entitatem actu vel aptitudine conformem intellectui.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Falsitas proprie non est in rebus; secus enim deberent simul esse verae et falsae; sed improprie potest inesse, secundum quod non sunt quod esse iudicantur.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Si intellectus humanus non esset, adhuc res essent verae in ordine ad intellectum divinum; si vero (per impossibile) uterque conciperetur auferri, jam nullo modo ratio veritatis nec falsitatis maneret.

## Propositio 30.

Veritas minus proprie competit rebus quam intellectui.

**Stat. quaest.** Veritas competit intellectui, et quidem proprie in iudicio (cfr. logic.), et competit rebus, ut entis proprietas; — quaeritur utri competit magis proprie, i. e. quum non prorsus eodem modo tribuatur rebus cognitivis et intellectui cognoscenti, sed potius analogice : quodnam sit analogum princeps.

**Notiones.** 1) Veritas rebus competit duobus modis : a) *causaliter* et ex denominatione extrinseca, quatenus causa et mensura sunt cognitionis intellectus; — b) *formaliter* quatenus ipsae alicujus intellectus conceptui sunt conformes, sicut intellectus dicitur formaliter verus si est conformis rei.

2) Conceptus est aut *exemplar* seu *idea*, ad cuius similitudinem res effecta est, aut *norma* seu *criterium* quo iudicamus de rei natura; — cui suo exemplari vel criterio si res fuerit conformis, erit vera; si difformis, falsa.

**Prob.** Proprietas illi principalius et magis proprie convenit, in quo ipsa ad complementum ducitur; a. veritas ad complementum ducitur non in rebus sed in intellectu; e.

*Ad min.* Cognitio vera perficitur non in cognito sed in cognoscente; i. e. in rebus est potius fundamentaliter veritas; ut autem formaliter existat adaequatio, non res mutatur sed intellectus, eique inhaeret nova conformitas.

## Propositio 31.

Res primario dicuntur verae per ordinem ad intellectum divinum; per ordinem autem ad intellectum creatum sunt verae, sed secundario.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (primario ad divinum).** Res primario dicuntur verae per ordinem ad illum intellectum, ad quem necessario, maxime, et essentialiter referuntur; a. huiusmodi intellectus non est nisi divinus; e.

*Ad min.* Soli intellectui divino res necessario, essentialiter, et perfecte adaequantur; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (etiam ad creatum).** Per se res possunt intellectui creato conformari, et veram tribuere cognitionem; a. haec aptitudo sufficit ad rationem veritatis; e.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (sed secundario).** 1) Haec adaequatio saepe potentialis tantum est, non actualis; — 2) etiam quando est actualis, non est essentialis, necessaria, perfecta; — 3) in tantum solum est, in quantum intellectus creatus est participata imitatio intellectus divini; e.

## Propositio 32.

Res creatae ad intellectum divinum comparantur ut mensuratum ad mensuram; et non sunt nisi verae; ad intellectum creatum comparantur ut mensura ad mensuratum; et sunt verae per se, aliquando falsae per accidens.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars minutim.** *Quoad 1<sup>m</sup> (ut mensuratum).* Res comparantur ad intellectum divinum ut effectus ad causam; a. effectus mensuratur a causa, i. e. tantum habet aut est, quantum causatur a causa; e.

*Quoad 2<sup>m</sup> (non nisi verae).* Res creatae, id quod sunt, habent a Deo operante secundum suam ideam, neque aliud aliunde habere possunt; e. in eo quod sunt, non possunt non conformari divino intellectui.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars minutim.** *Quoad 1<sup>m</sup> (ut mensura).* Res comparantur

ad intellectum creatum ut causa ad effectum; *a.* causa est mensura sui effectus; *e.*

*Ad maj.* Res non ideo sunt tales, quia a nobis cognoscuntur; sed ideo nobis veram sui cognitionem ingenerant, quia tales sunt.

*Quoad 2<sup>m</sup> (verae per se).* Res creatae sunt natura sua aptae cognosci a nobis secundum id quod sunt; *e.*

*Quoad 3<sup>m</sup> (falsae per accidens).* Res ob fallacem apparentiam, quam sensibus ingerunt, possunt aliquando iudicari id esse quod non sunt, v. c. verum aurichalcum est falsum aurum.

**Schol.** Quod de rebus naturalibus dicitur relate ad intellectum divinum, dicendum est etiam cum aliqua proportione de rebus artificialibus relate ad intellectum artificis, a quo pendent in sua constitutione; non tamen sine dependentia ab intellectu divino, a quo pendent et elementa quibus utitur artifex, et ipse intellectus artificis, et ejus cogitandi norma ultima.

### ARTICULUS 3.

*De bono.*

#### Propositio 33.

**Bonitas transcendentalis dicit ipsam rei entitatem, connotando aliquam naturam quae habet aliquam inclinationem ad eam.**

**Stat. quaest.** 1) Bonum est quod alicui convenit; unde etiam dicitur id quod omnes appetunt; vel id quod est appetibile.

2) Quaeritur quid bonum addat supra conceptum entis; *a)* respondent *alii*: Bonum est nulla relatio realis, sed solum relatio rationis, convenientiae unius ad alterum; — *Sed R.* Sic res non esset in se bona a parte rei, sed solum ex consideratione mentis. — *b)* *alii*: Est relatio realis superaddita enti. — *c)* *alii* (Scotus): Est proprietas absoluta et realis superaddita enti, et natura rei distincta ab eo. — *d)* *alii*: Non est nisi intrinseca rei perfectio, absoluta in absolutis, relativa in relativis. — *e)* *nos*: Bonum supra ens nihil potest addere nisi notam convenientiae, quae non est proprie relatio, una ex decem categoriis, sed solum connotat in alio talem naturam, quae habeat naturalem inclinationem, tendentiam, capacitatem, conjunctionem ad hanc entitatem. — *Cfr. S. Thom.* 1 p. q. 5. — *Verit. q. 21. aa. 1, 2, 3.*

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (ipsam entitatem) 1<sup>o</sup>** Bonum *a)* non est nihil, *b)* neque potest esse proprietas realis ab ente distincta; — *e.* *a)* dicit aliquam entitatem vel perfectionem, et quidem *b)* ipsam rei entitatem.

*Ad antec. ad a).* Bonum trahit appetitum; *a.* quod trahit appetitum nequit esse nihil; *e.*

*Ad b).* Quod generatim probatum de omni proprietate entis.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Quidquid bonum dicitur, dicitur bonum aut sibi aut alii; *a.* quod

nullam dicit perfectionem seu entitatem, nec sibi nec alii potest esse bonum; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (connotando) 1<sup>o</sup>** Bonum et ens non sunt synonyma, sed bonum dicit aliquid praeter entitatem; *a.* hoc nihil potest esse nisi aliqua convenientia cum aliqua natura alia; *e.*

*Prob. min.* Id omne et id solum pertinet ad formalem conceptum rei, sine quo haec res concipi nequit; *a.* quamdiu ens non considero ut conveniens alicui..., non concipio ut bonum; et quamdiu considero ut..., illud concipio ut bonum; *e.* haec convenientia, eaque sola, additur in conceptu formali boni.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Eo ipso quod entitas cum aliqua natura habet aut non habet convenientiam aut discrepantiam, fit aut bona, aut indifferens, aut mala; *e.*

**Prob. 3<sup>o</sup>** Via ascensus: Omne bonum appetitur:

{ propter se, i. e. propter suam perfectionem propriam,  
 { ut perficiens naturam appetentem — — — — — = *honestum*  
 { ut quietem dans appetenti — — — — — = *delectabile*  
 { propter aliud, ut medium ad finem alium — — — — — = *utile*

*atque* in his omnibus elementum commune boni est: perfectio propria entis, connotando aliquam naturam quae habet inclinationem ad illam; *e.*

*Ad maj. a)* Haec non ita distinguuntur, ut debeat aliquod ens esse bonum honestum sed non delectabile nec utile; et aliud ens bonum delectabile sed non honestum nec utile; sed possunt esse simul in eodem ente variae istae rationes bonitatis.

*b)* Distinguuntur istae rationes bonitatis primario quoad humanam naturam appetentem; et applicantur analogice ad alias naturas.

*c)* Bonum honestum, et delectabile sunt per se finis, i. e. id propter quod appetitur; sunt tamen bona utilia multa quae simul sunt delectabilia et honesta; et sic sunt fines subordinati.

*d)* Adequata est haec bonitatis divisio, nam alia nulla excogitari potest ratio propter quam aliquid appetatur.

**Schol. 1<sup>m</sup>** Dividitur etiam bonum in verum et apparens; — *bonum verum* est quod tale est quale existimatur bonum; — *bonum apparens* est quod bonum existimatur, licet bonum non sit. — Bonum verum habebitur ubi convenit appetitui maxime proprio (specifico) alicujus naturae; — bonum apparens ubi appetitui inferiori et partiali (generico) alicujus naturae convenit, sed inclinationi superiori contrarium est, v. c. peccatum sensualitatis convenit sensibilitati, sed contra rationem est.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Dividitur etiam in *bonum sibi*, v. c. homo sanus, ratione sanitatis; et *bonum alteri*, v. c. Deus homini, divitiae homini.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** *Omne ens est bonum*: *a)* *sibi*, vi propriae essentiae quae est propria aliqua perfectio; — *b)* *alteri*, ut pars toti, ut accidens subjecto, ut causa effectui, etc. omne ens confert ad aliquam alterius utilitatem, delectationem, honestatem, licet modus nobis saepe ignotus sit.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** *Omne bonum est ens*, nam nihil, vel entia rationis, non sunt bona, nisi analogice et improprie loquendo, ob imperfectum concipiendi modum.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** *Bonitas essentialis rei melior esse non potest; accidentalis vero sic.*

**Coroll. 4<sup>m</sup>** *Bonum est diffusivum sui*, i. e. 1) bonum quod ut finis appetibile est, suam bonitatem seu appetibilitatem communicat aliis rebus quae ad illud media utilia esse possunt, quae secus non appeterentur a tali natura, v. e. amo crucem propter Deum, non propter seipsam; — 2) omne bonum, sive activitate efficiente sua, sive alio suo proprio influxu, producit bona sibi similia, vel aliis bonitatem suae similem communicat.

**Coroll. 5<sup>m</sup>** *Deus est omnis boni bonum*, i. e. omne bonum suam bonitatem a Deo habet: a) ut ab exemplari perfecto, quod imitatur in essendo, licet imperfecte, — b) ut a causa efficiente, a qua accipit quidquid habet et est, — c) ut a fine ultimo ad quem omnia tendunt.

**Coroll. 6<sup>m</sup>** *Bonum est ex integra causa, malum ex quovis defectu.* Celebre est hoc axioma in morali. Adhibetur etiam in rebus naturalibus, at tunc bonum vocatur illud quod est perfectum, malum illud quod est minus perfectum vel ineptum ad finem.

**Coroll. 7<sup>m</sup>** *Bonum totius est etiam bonum partium.*

**Coroll. 8<sup>m</sup>** *In bonis actus praefendus est potentiae, non item in malis.*

### Propositio 34.

**Malum non consistit in aliquo positivo praecise ut tali sumpto, sed formaliter consistit in aliqua privatione.**

**Notiones.** Bono opponitur malum; sed distinguenda sunt: a) malum concretum, i. e. subjectum cum malitia qua afficitur; — et malum abstractum, i. e. malitia quae subjectum afficit; — b) malum in se et malum alteri, quae opponuntur respective bono in se et bono alteri.

**Stat quaest.** Plures auctores negant, sed docent communiter scholastici malum consistere in privatione, vel saltem compleri et formaliter constitui privatione, i. e. carentia perfectionis subjecto debitae. Cfr. *S. Thom.* qq. disp. de malo. q. 1, et q. 3; et *Summ.* 1 p. q. 48 et q. 49.

**Prob. 1<sup>o</sup> de malo sibi.** Illud est formalis ratio mali, quo posito ponitur, quo sublato tollitur formaliter malum; a. posita carentia ejus quod debet inesse in aliquo secundum naturam, vel secundum leges morales vel leges artis, ponitur malum; et sublata carentia tali, sublato formaliter est malum; e.

*Ad min.* 1) Si malum nihil positivi sibi habet annexum, v. e. caecitas, omisio actus debiti: res est clara, et a nemine negatur;

2) Si malum est in actu positivo (morali): actus dicitur malus quia difformis alicui regulae, seu normae rationis, vel artis; — a. a) difformitas haec potest esse vel per excessum vel per defectum, i. e. per carentiam debitae confor-

mitatis, — b) ejusmodi actus erit malus sibi, i. e. ipsi subjecto, quia privat illud debito ordine ad finem proprium; e.

3) Si malum est in physica realitate, v. e. gibbus: malum oritur ex difformitate cum ordine vel lege naturae, vel artis; — a. haec erit per excessum vel per defectum, et erit malum sibi (cfr. sup.).

**2<sup>o</sup> de malo alteri.** Quidquid nocet, bono aliquo privat illud cui nocet; et nisi bono privat, jam nocere non dicitur; e.

*Ad antec.* v. e. Deus justus dicitur homini peccatori malus, quia eum privat bono naturali, — item calor intensus malus animali.

**Coroll. 1<sup>o</sup>** Ergo omnis error est malum in se, nam privatur rectitudine rationis; et est malum homini, nam privat eum naturali aptitudine ad verum (quod ignorantia non facit).

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo malitia peccati non consistit in actu physico, sed in aversione a debito ordine.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Potest esse malum majus et minus: a) ratione boni majoris vel minoris quod deest, — b) ratione necessitatis qua illud bonum adesse deberet, — c) ratione firmitatis hujus privationis, quae sit magis vel minus radicata, v. e. dolor ex affectione transitoria, vel ex morbo diuturno.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Malum non potest esse nisi in subjecto bono: nam privatio perfectionis subjecto debitae, supponit subjectum; a. hoc subjectum debet esse ex aliqua parte bonum; e.

*Ad min.* a) Si subjectum malum esset, deberet et ipsum in aliquo subjecto inesse et hoc alterum nisi bonum esset, iterum in alio, et porro in infinitum.

b) Subjectum ex nulla parte bonum, esset ex nulla parte ens; nempe esset nihil.

**Coroll. 5<sup>m</sup>** Causa efficiens mali non potest esse nisi bona: nam ut agens non potest esse nihil, sed debet esse ens in actu; e. bonum.

**Coroll. 6<sup>m</sup>** Bonum, non per se, sed per accidens tantum potest causa efficiens mali esse, nam: a) causa libera est causa per se relate ad id volitum quod ipsa ut finem intendit; — est causa per accidens relate ad id quod praeter intentum finem, ex adhibito medio consequitur; — a. causa libera, sive malum morale sive malum physicum volens, semper tamen vult propter aliquod bonum (saltem apparens), quod per se intenditur ut finis; e.

b) Causa necessaria est causa per se relate ad id quod sequitur ex virtute causae, vel quod a natura primario intenditur; — est causa per accidens relate ad id quod sequitur ex defectu virtutis, vel quod a natura secundo intenditur; — a. causa necessaria malum producit semper ex defectu virtutis, v. e. tibia claudicationem, vel ex intentione secundaria naturae, v. e. ignis mortem hominis; e.

**Coroll. 7<sup>m</sup>** Bonum est naturaliter prius malo, in cognitione, et in intentione; nam cognoscitur prius quod positivum est quam quod privativum; et intenditur a voluntate bonum ut finis, prius quam malum oppositum con-

nexum permittitur; sed est *posterius* in executione, nam natura incipit ab imperfectioribus, deinde devenit ad perfectum.

## CAPUT III.

## DE ENTIS SUMMIS GENERIBUS, SEU DE CATEGORIIS.

Postquam de ente transcendentaliter sumpto, ac de ejus proprietatibus transcendentalibus actum est, ad primas entis realis divisiones est descendendum. Duo autem genera in quae ens primo dividitur sunt *substantia* et *accidens*; accidens autem in novem genera dispescitur. Dicemus itaque prius de substantia, deinde de accidente generatim, ac tandem de accidentium singulis generibus. Sint ergo:

- Quaestio 1. De substantia.
- Quaestio 2. De accidente generatim.
- Quaestio 3. De quantitate et qualitate.
- Quaestio 4. De relatione generatim.
- Quaestio 5. De relationibus speciatim.
- Quaestio 6. De sex ultimis categoriis.

## QUAESTIO 1.

## De substantia.

De ipsa substantiae notione inquirendum venit, quae sit hujus objectivitas, cumque indicatae fuerint ejus divisiones ac proprietates, addenda erit consideratio ultimi substantiae complementi, subsistentiae nimirum atque hypostaseos. Hinc:

- Articulus 1. De objectivitate substantiae.
- Articulus 2. De subsistentia.

## ARTICULUS 1.

## De objectivitate substantiae.

## Propositio 35.

Conceptus substantiae non est figmentum mentis, sed exprimit aliquid reale et physicum.

Stat. quaest. 1) Contra Loeke, et sensistas, et positivistas, dicentes: substantiam esse congeriem idearum simplicium sensu perceptarum, seu: complexum qualitatuum, quas sensu percipimus, quae qua ratione coexistent nescimus; harum autem subjectum esse mentis nostrae figmentum, inde exor-

tum quod illas qualitates tamquam in alio existentes concipere assueti sumus.

2) *Substantiae*, i. e. *alicujus substrati* in rebus, quod idem manet etiam mutatis notis accidentalibus (non essentialibus), et *differentiae* inter hoc substratum et has notas mutantem.

*Reale et physicum*, i. e. id quod repraesentatur ut positivas habens notas et in ordine rerum vere existens, cui inhaereant accidentia, revera tale est quale repraesentatur.

3) Non agitur de hac vel illa substantia determinata, sed de generali notione substantiae, quam dicimus jure distingui a notione accidentis.

**Prob. 1°** Quidquid existit, existit aut in se aut in alio; *a.* si in se, est substantia; si in alio, est accidens; sed etiam hoc aliud iterum, aut in se est, aut in alio; et ita in infinitum (quod est absurdum), nisi aliquando sistatur in substantia differente ab accidente; *e.*

**Prob. 2°** Si substantia non esset nisi complexus qualitatuum sensibilium, ille complexus non posset interire, nec una qualitas tolli, quin aut tota substantia periret, aut in essentialiter aliam mutaretur; — *a.* hoc est falsum; v. c. aqua calida et aqua frigida non essentialiter differunt; *e.*

**Prob. 3°** Notio substantiae et accidentis ab experientia suppeditatur, et perficitur; *e.* exprimit aliquid reale et physicum.

*Prob. ant. 1 part. (suppeditatur).* Experientia motuum et modificationum omnium, tum alienarum tum propriarum, sive corporalium sive spiritualium, suppeditat ex una parte affectiones plures, inter se diversas, successivas; et ex alia parte aliquid quod his afficitur unum, identicum, permanens; — *a.* hic est conceptus distinctus substantiae et accidentium; *e.*

*Prob. ant. 2 part. (perficitur).* Opponendo et comparando subjectum et ejus affectiones, percipitur essentiam subjecti talem esse ut existentiam habeat per se, i. e. nulli alii inhaerendo; essentiam vero affectionum talem esse ut existentiam non habeant per se, sed alio indigeant, cui ut subjecto inhaereant; — *a.* hic jam est perfectior conceptus substantiae et accidentis, eorumque differentiae; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo recte definitur substantia: «ens quod per se est, neque indiget alio tanquam subjecto cui inhaereat;» — *accidens autem*: «ens quod non est per se, sed indiget alio tanquam subjecto cui inhaereat;» — nam hae definitiones directe hauriuntur ex analysi experientiae.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Substantiae sex sunt proprietates (ab Aristotele enumeratae):

- a) non inhaeret subjecto;
- b) non recipit magis et minus, nam essentiae sunt indivisibiles;
- c) non habet contrarium; nam contraria sunt quae se mutuo ex eodem subjecto expellunt; *a.* substantia non inhaeret subjecto unde expellatur, sed est ipsum subjectum;
- d) est subjectum contrariorum (successive);
- e) est hoc aliquid, i. e. individua, nam est realis et existens;
- f) partes ejus, si est composita, sunt substantiae, i. e. incompletae substan-



nexum permittitur; sed est *posterius* in executione, nam natura incipit ab imperfectioribus, deinde devenit ad perfectum.

### CAPUT III.

#### DE ENTIS SUMMIS GENERIBUS, SEU DE CATEGORIIS.

Postquam de ente transcendentaliter sumpto, ac de ejus proprietatibus transcendentalibus actum est, ad primas entis realis divisiones est descendendum. Duo autem genera in quae ens primo dividitur sunt *substantia* et *accidens*; accidens autem in novem genera dispescitur. Dicemus itaque prius de substantia, deinde de accidente generatim, ac tandem de accidentium singulis generibus. Sint ergo:

- Quaestio 1. De substantia.
- Quaestio 2. De accidente generatim.
- Quaestio 3. De quantitate et qualitate.
- Quaestio 4. De relatione generatim.
- Quaestio 5. De relationibus speciatim.
- Quaestio 6. De sex ultimis categoriis.

#### QUAESTIO 1.

##### De substantia.

De ipsa substantiae notione inquirendum venit, quae sit hujus objectivitas, cumque indicatae fuerint ejus divisiones ac proprietates, addenda erit consideratio ultimi substantiae complementi, subsistentiae nimirum atque hypostaseos. Hinc:

- Articulus 1. De objectivitate substantiae.
- Articulus 2. De subsistentia.

#### ARTICULUS 1.

##### De objectivitate substantiae.

#### Propositio 35.

Conceptus substantiae non est figmentum mentis, sed exprimit aliquid reale et physicum.

Stat. quaest. 1) Contra Loeke, et sensistas, et positivistas, dicentes: substantiam esse congeriem idearum simplicium sensu perceptarum, seu: complexum qualitatuum, quas sensu percipimus, quae qua ratione coexistent nescimus; harum autem subjectum esse mentis nostrae figmentum, inde exor-

tum quod illas qualitates tamquam in alio existentes concipere assueti sumus.

2) *Substantiae*, i. e. *alicujus substrati* in rebus, quod idem manet etiam mutatis notis accidentalibus (non essentialibus), et *differentiae* inter hoc substratum et has notas mutantem.

*Reale et physicum*, i. e. id quod repraesentatur ut positivus habens notas et in ordine rerum vere existens, cui inhaereant accidentia, revera tale est quale repraesentatur.

3) Non agitur de hac vel illa substantia determinata, sed de generali notione substantiae, quam dicimus jure distingui a notione accidentis.

**Prob. 1°** Quidquid existit, existit aut in se aut in alio; *a.* si in se, est substantia; si in alio, est accidens; sed etiam hoc aliud iterum, aut in se est, aut in alio; et ita in infinitum (quod est absurdum), nisi aliquando sistatur in substantia differente ab accidente; *e.*

**Prob. 2°** Si substantia non esset nisi complexus qualitatuum sensibilium, ille complexus non posset interire, nec una qualitas tolli, quin aut tota substantia periret, aut in essentialiter aliam mutaretur; — *a.* hoc est falsum; v. c. aqua calida et aqua frigida non essentialiter differunt; *e.*

**Prob. 3°** Notio substantiae et accidentis ab experientia suppeditatur, et perficitur; *e.* exprimit aliquid reale et physicum.

*Prob. ant. 1 part. (suppeditatur).* Experientia motuum et modificationum omnium, tum alienarum tum propriarum, sive corporalium sive spiritualium, suppeditat ex una parte affectiones plures, inter se diversas, successivas; et ex alia parte aliquid quod his afficitur unum, identicum, permanens; — *a.* hic est conceptus distinctus substantiae et accidentium; *e.*

*Prob. ant. 2 part. (perficitur).* Opponendo et comparando subjectum et ejus affectiones, percipitur essentiam subjecti talem esse ut existentiam habeat per se, i. e. nulli alii inhaerendo; essentiam vero affectionum talem esse ut existentiam non habeant per se, sed alio indigeant, cui ut subjecto inhaereant; — *a.* hic jam est perfectior conceptus substantiae et accidentis, eorumque differentiae; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo recte definitur substantia: «ens quod per se est, neque indiget alio tanquam subjecto cui inhaereat;» — *accidens autem*: «ens quod non est per se, sed indiget alio tanquam subjecto cui inhaereat;» — nam hae definitiones directe hauriuntur ex analysi experientiae.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Substantiae sex sunt proprietates (ab Aristotele enumeratae):

- a) non inhaeret subjecto;
- b) non recipit magis et minus, nam essentiae sunt indivisibiles;
- c) non habet contrarium; nam contraria sunt quae se mutuo ex eodem subjecto expellunt; *a.* substantia non inhaeret subjecto unde expellatur, sed est ipsum subjectum;
- d) est subjectum contrariorum (successive);
- e) est hoc aliquid, i. e. individua, nam est realis et existens;
- f) partes ejus, si est composita, sunt substantiae, i. e. incompletae substan-

tiae, seu aliquid substantiale, non vero accidentia, seu aliquid accidentale (cfr. inf.).

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ergo male definiunt substantiam :

a) *Cartesius* : rem ita existentem ut nulla re indigeat ad existendum ; — nam R. d. nulla re ut subjecto inhaesionis, *c*; ut causa sui, *n*.

b) *Cousin* : ens quod nihil ultra se in ordine ad existendum supponit ; — nam R. d. de substantia infinita, *c*; de finita, *sd.* nihil ut subjectum inhaesionis, *c*; ut causam sui, *n*.

c) *Leibnitz* : ens agendi vi praeditum ; — nam R. d. de substantia formaliter ut causa vel ut natura, *c*; formaliter ut substantia, *n*.

d) *Spinoza* : id quod per se est et per se concipitur, — seu : id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei a qua efformari debeat ; — nam R. d. de substantia infinita, *c*; de finita *sd.* de conceptu aliquo inadaequato, *c*; formali et adaequato, *n*. (adaequate non potest excludere dependentiam a Deo ut causa exemplari, efficiente, finali).

e) *Kant* : phaenomenon realitate objectiva destitutum : — cfr. logic.

**Schol. 1<sup>m</sup>** *Quid sit inhaerere.* — R. Vi verbi « substantiae, substrati, subjecti, — accidentis, » esset conceptus pronus : quasi alicujus entis quod subjaceret aliis supra vel circum accedentibus ; sed iste falsus esset, nam substantia aliud non est nisi essentia rei actualis nude sumpta ; — accidentia nihil aliud quam variae notae aliae quae praeter notas essentielles rei insunt ; haec inessentia aliarum notarum in aliqua essentia praesupposita, dicitur inhaerentia. — Distinguenda ab adhaerentia : quasi extrinseca agglutinatione.

**Schol. 2<sup>m</sup>** *Quotuplex substantia.* — R. a) *Substantia prima* est ipsa essentia singularis actualis, quae proin nec de aliquo subjecto praedicatur, nec in aliquo subjecto est ; dicitur *primae intentionis*, i. e. quae intenditur, cognoscitur sicut objective est, sine alia operatione mentis ; — *substantia secunda* est essentia non singularis actualis, sed universale directum, quod proinde non in subjecto est inhaerens sicut accidens, sed de subjecto praedicatur ; dicitur *secundae intentionis*, i. e. quae cognoscitur post abstractionem mentis.

b) *Substantia completa* est quae et per se existit, et non ordinatur naturaliter ad ineundam compositionem cum alio elemento in unam substantiam novam, v. c. planta, homo ; — *substantia incompleta* est quae vel non potest sola existere per se, vel si potest quidem existere per se, tamen naturaliter ordinatur ad componendam cum alio elemento aliam substantiam unam, v. c. anima humana.

### Propositio 36.

Omnis natura est substantia, et omnis substantia est natura.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*natura est substantia*). Natura est principium intrinsecum ultimum actionum et passionum alicujus subjecti ; *a.* tale non est nisi substantia, seu ens per se existens ; *e.*

*Ad maj.* Dicitur : a) *principium*, i. e. cujus influxu oritur actio vel passio, seu id vi cujus producitur ;

b) *intrinsecum*, i. e. in ipso agente vel patiente residens ; opponitur principio extrinseco quod existit extra ipsum agens vel patiens ;

c) *ultimum*, i. e. in quo radicantur omnia ea quae proxime concurrunt ad actionem vel passionem, v. c. potentiae, inclinationes, etc.

*Prob. min.* Principium quo aliquid agit vel patitur, est ejus potentia correspondens activa vel passiva (sive essentialis, sive accidentalis) ; *a.* haec potentia est quidem principium proximum, sed ipsa haberi nequit nisi quia subjectum est ad eam habendam aptum et proportionatum, seu quia substantia est ejus fundamentum et principium, et proinde principium ultimum actionum et passionum ; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*substantia est natura*). Omnis substantia aut actu agit vel patitur, aut est in potentia ad agendum vel patiendum ; *a.* omne tale est natura ; *e.*

*Ad maj.* Substantia actualis quae nec ageret quidquam, nec pateretur quidquam a quovis, nec saltem agere posset vel pati, esset ad nihil bona, ergo non bona, non ens ; *a.* hoc implicat contradictionem ; *e.*

*Ad min.* Actum vel potentiam habere substantia non potest, nisi ipsa ad eam potentiam apta et proportionata ; *a.* sic ipsa est principium ultimum intrinsecum actionum et passionum, i. e. natura ; *e.*

**Objic.** Concipi potest saltem substantia quae nonnisi per potentiam obedientialem ageret vel pateretur ; *a.* huic non correspondet natura proportionata ; *e.* — R. *n. maj.* (hujus substantiae actio vel passio esset supernaturalis, quia obedientialis, simul et naturalis, quia exigitive debita ne substantia omni prorsus sine careat).

### Propositio 37.

Naturae unitas haberi nequit ubi est pluralitas substantiarum actualium completarum.

**Stat. quaest. 1)** Quaeritur utrum ex pluribus substantiis possit fieri una natura, ita ut maneant plures distinctae substantiae actuales, completae in ratione substantiae, imo et naturae, sed simul conjunctae fiant una natura nova, specificè diversa a singulis naturis constituentibus.

2) Affirmant atomistae plurimi, dicentes : omnem substantiam esse aliquam naturam, imo si pro se consideretur esse naturam completam ; sed si plures in agendo concurrant in unum effectum, dari posse naturam novam ; et tunc, in hoc sensu composito, unamquamque substantiam dicendam fore substantiam seu naturam incompletam (sed R. haec erit unicuique mera denominatio extrinseca). Cfr. Palmieri, ontol. thes. 15.

3) Negant peripatetici, dicentes : aut fore plures naturas sicut ante unionem, si maneant plures substantiae ; aut fore unam substantiam specificè novam si fiat una natura specificè nova (Cfr. *S. Thom. Gent.* 2, 57 ; — 4, 35 ;

— q. d. lib. 9. a. 3); quod saepe ita enuntiant : *ex duobus entibus in actu non fit unum per se.*

**Prob.** Singulae illae substantiae, manentes substantiae completae et naturae, coeundo in compositionem aut mutarent suas proprias operationes essentiales, aut non; *a.* neutro modo habebitur intentum adversariorum; *e.*

**Prob. min. 1 part.** Si mutant operationes suas proprias naturales, hoc fiet aut eas tollendo, vel mutando in alias, aut eas invicem impediendo et neutralisando —; *a. si primum* : mutantur naturae singulae, et intentum non habetur; — *si secundum* : compositum non erit novum principium operationum (seu nova natura); sed manent eadem activitates ac antea, licet per accidens non appareant ad extra, ac proinde manet collectio naturarum plurium, licet per accidens impeditarum quominus sese manifestent ad extra.

**Prob. min. 2 part.** Si non mutantur operationes propriae naturales, additae non arguunt novam naturam unam, seu principium unum operationum, sed collectionem principiorum seu naturarum quae in unum effectum majorem concurrant, specificè eundem; *e.*

**Objic. 1°** Conjunctio plurium substantiarum, in proprio suo esse permanentium, est quidem accidentalis unicuique substantiae partiali, non tamen est accidentalis novo enti quod ex unione oritur; *e.* — *R. d.* si velis essentiam sensus compositi confundere cum essentia unius naturae et principii, *tr;* secus, *n.* (sic unio est essentialis acervo lapidum!)

**Objic. 2°** Ex unione plurium substantiarum, in suo esse permanentium, constitui potest principium unum intrinsecum novarum operationum; *a.* tale principium est nova natura; *e.* — *R. d. maj.* constitui potest unum principium ultimum radicale, *n;* secundarium et per accidens, *sd.* novarum operationum, i. e. quae differant a prioribus specificè, *n;* quae differant per accidens, *c.* (v. c. intensitate majore quam singulorum principiorum, vel diversitate effectuum qui in uno subjecto patiente a diversis principiis agentibus ponuntur, neque ab unico principio poni omnes possent, etc).

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo unitas principii seu naturae, essentiae, non dijudicanda est ex operatione effecta sed ex entitate causae efficientis; potest enim congregatio plurium agentium concurrentium in unum opus, producere effectum unum, ad quem principia singula fuissent imparia.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo 1) dicendum est *ens per accidens* vel *unum per accidens* omne compositum ex pluribus substantiis in suo esse permanentibus, vel concretum ex substantia et accidentibus;

2) dicendum est *ens per se* vel *unum per se* omne id quod, abstrahendo ab ejus accidentibus, consideratur ut constitutum in sua essentia (specificà), et integritate (nulla parte sui detruncatum), et complemento (nulla proprietate vel potentia sibi naturaliter debita carens);

3) quod si inveniatur ens integritate vel complemento suo carens, dicendum erit *ens vel unum per se, sed truncum, vel incompletum.* Cfr. *Suar.* met. d. 4. s. 3;

4) unum per se dicitur etiam unum simpliciter; — unum per accidens : unum secundum quid.

## ARTICULUS 2.

### De subsistentia.

#### Propositio 38.

**Subsistentia in creatis distinguitur realiter a natura.**

**Notiones.** 1) Quadrupliciter considerari potest substantia prima completa : a) quatenus existit per se : et habetur conceptus *substantiae*;

b) quatenus constat hac potius quam illa realitate, seu est hujus potius quam illius speciei, unde determinatas habeat vires operandi : et habetur conceptus *naturae*;

c) quatenus in sua entitate non est universale, sed determinatum hoc : et habetur conceptus *singularis*;

d) quatenus est aliquod totum unum pro se in existendo, non communicatum alteri : et habetur conceptus *suppositi* seu *hypostasis*.

2) Modus sic existendi ut sit aliquod totum unum pro se, non communicatum alteri, vocatur *subsistentia*; quare suppositum definitur : substantia prima completa subsistens; — suppositum naturae rationalis dicitur *persona*.

**Stat. quaest.** 1) Notum jam est substantiam, naturam, singulare, si objective spectantur, re non differre sed ratione tantum; manet quaestio utrum etiam re an ratione tantum differat natura singularis a supposito seu persona. Respondemus in rebus creatis dari distinctionem realem (de personis divinis aliter in theologia).

2) De hac tota quaestione nunquam homines cogitavissent, nisi revelata fuissent dogmata SS. Trinitatis, ubi una singularis natura tribus communicatur personis; et Incarnationis, ubi duae naturae singulares in una persona communicantur.

**Prob. 1°** Ex analysi naturae singularis substantiae completae, invenitur talis a) ut non possit alteri ad instar accidentis inesse, — b) ut non possit alteri naturae uniri ad instar partis essentialis; — *a.* ita nondum talis habetur ut non possit alteri naturae uniri ad instar naturae distinctae sed unius individui subjecti; — *e.* ut ipsa per se solam sit unum suum subjectum (suppositum) requiritur aliud insuper a parte rei accedens, i. e. subsistentia.

**Ad antec.** Unicum novimus exemplum, ex revelatione certum; scilicet humanitas Christi, substantia creata completa, natura singularis, non tamen per se solam est subjectum (suppositum), sed assumpta est in unionem cum natura divina in personam unam Verbi.

**Prob. 2°** Ex analysi suppositi formaliter sumpti invenitur exclusio triplicis communicabilitatis : a) universalis ad singularia, — b) partis ad totum, v. c. manus in homine, — c) assumptionis in aliud suppositum; — *a.* natura,

etiam singulariter considerata, duas quidem priores sed non tertiam excludit communicabilitatem; *e*.

**Objic.** Distinctio quam probant argumenta potest tota explicari per distinctionem rationis tantum. — *R. d.* argumenta per se sola, solo lumine naturali, *c*; argumenta prout afferuntur ad explicandum factum ex revelatione notum, *n*.

### Propositio 39.

**Subsistentia est aliquid positivum, non mera negatio.**

**Stat. quaest.** 1) Quaeritur in quo consistat ille modus subsistentiae; respondent Scotus et alii: nihil esse positivi, sed esse solam negationem assumptionis in aliam personam, i. e. solam non unionem cum alia natura in unitatem subjecti.

2) Respondemus eum esse aliquid positivum, nimirum modum existendi, seu determinationem naturae existentis, qua sit unum totum pro se. Modus ille dicendus erit modus *essentialis* personae vel suppositi, non *accidentalis*, nam per illum constituitur suppositum in sua suppositalitate, quae non est accidens.

**Prob. 1°** Si subsistentia in creatis nihil positivi est addendum naturae singulari, 1) natura singularis a parte rei non differt a supposito, quod falsum est; — 2) non explicantur sed intrincantur dogmata revelata, ex quibus nota est subsistentia, et ad quae explicanda admittitur; *e*.

*Ad antec. 1 part. (non differt).* Natura singularis per seipsam solam exhiberet quidquid a parte rei requiritur ad constituendum suppositum, neque ab eo distingueretur nisi connotatione negatae assumptionis, i. e. ratione tantum.

*Ad 2 part. (non explicantur).* a) *Trinitatis* personae per meram negationem intelligi nequeunt, sed solum per aliquid positivum, relativum, realiter idem cum essentia divina, ratione tantum ab ea distinctum (cfr. theolog.); *a*. haec ita esse non possunt si subsistentia in creatis est mera negatio; *e*.

*ad min.* Sicut entis notio ipsa, ita omnis entitas, omnis perfectio, debet analogice convenire Deo et creaturis (non univoce, sed neque aequivoce), i. e. debet perfectio divina et creata aliquid simile, aliquid diversum habere; — *a*. si personalitas seu subsistentia creata est mera negatio, nihil manet commune, totum est diversum a personalitate divina (nam erit negativum, non positivum; absolutum, non relativum; realiter distinctum a substantia, quod ipsi adversarii admittunt); i. e. nulla manet analogia; — *e*. non poterit admitti uterque simul conceptus personalitatis.

b) *In incarnatione* assumpta est sola natura humana, non persona humana; et est unio Verbi et humanitatis intima et substantialis; — *a*. etiam persona assumpta esset, si persona nihil aliud diceret a parte rei praeter solam naturam completam singularem; neque fuisset unio Verbi cum humanitate, intima et substantialis, nisi Verbum aliquid supplevisset humanitati exigitive debitum nunc deficiens; *e*.

**Prob. 2°** Subsistentia dat naturae singulari ultimum complementum in ratione existendi; *a*. hujus effectus realis positivi requiritur causa realis positiva; *e*.

*Ad maj.* Subsistentia actu terminat substantiam, et in se subsistentem facit atque alteri incommunicabilem.

**Objic. 1°** Si subsistentia est aliquid reale et positivum, distinctum a natura, erit aut substantia aut accidens; *a*. neutrum dici potest; *e*.

*Ad maj.* Inter ea nihil datur tertium.

*R. n. maj.* — *ad rat. addit. d.* inter substantiam completam subsistentem et accidens non datur tertium, *c*; inter substantiam completam (nondum subsistentem) et accidens, *n*.

*Inst.* Quidquid concipitur ut adveniens primae existentiae rei, concipitur ut accidens; *a*. subsistentia conciperetur ut adveniens primae existentiae substantiae singularis; *e*. — *R. d. maj.* primae existentiae rei perfectae et determinatae in ratione primae existentiae, *c*; primae existentiae ut positive complens et determinans ipsam primam existentiam, *n*; vel *sd.* concipitur ut accidens proprie dictum, constituens ens compositum unum per accidens, *n*; ut accidens lato aliquo sensu, non pars essentialis essentiae specificae, imo et singularis, sed addendum (essentialiter exigitur), *c*.

**Objic. 2°** Persona humana idem est ac homo individuus; *a*. homo individuus constituitur per propriam naturam singularem, seclusa omni alia positiva realitate; *e*. — *R. c. maj.* — *d. min.* quoad essentiam qua constat, et principium ex quo vires operandi manant, *c*; quoad incommunicabilitatem et divisionem ab omni alio subjecto subsistente, *n*.

**Objic. 3°** Si subsistentia est aliquid positivum, explicari nequit dogma fidei, scilicet ipso facto quod assumeretur natura humana Christi, *non potuisse* assumi personam humanam; *e*.

*Prob. antec.* Quaevis realitas assumi potest; *e*. si subsistentia est modus realis, potuit assumi sicut ipsa natura; *e*.

*R. d. antec.* Si est aliquid positivum conciliabile cum unione (assumptione), *c*; si est aliquid inconciliabile cum suo contrario: unione, *n*. — *d. pariter prob.*

**Objic. 4°** Suppositum est id quod perfectum et completum est in ratione substantiae (i. e. substantia prima completa tota); *a*. substantia est prima (i. e. realis), completa (i. e. non destinata ut sit pars compositae substantiae), tota (i. e. realitatem habens integram, carentem quovis defectu partis), per suam ipsius realitatem, non per aliud superadditum; *e*. — *R. d. maj.* prima, completa, tota, et unum pro se incommunicabile in existendo, *c*; secus *n*; — *e. d. min.*

**Objic. 5°** Sola ratio cur aliquid concipiatur, sine addito aliquo positivo esse incapax existendi, est quia secundum se est aliquid indeterminatum; *a*. substantia integra singularis est aliquid in genere substantiae determinatissimum; *e*.

*Ad min.* Singularis dicitur aliqua substantia, quia per differentias divisivas usque ad ultimum modum determinationis deducta est.

*R. c. maj.* — *d. min.* determinatissimum in genere naturae, *c*; in genere ita existentis ut sit aliquod totum pro se, *n.* — *ad prob. min. d. pariter.*

**Objic. 6°** Implicat contradictionem : a) natura plene singularisata, quae in genere substantiae sit aliquid naturaliter incompletum, indeterminatum; — b) modus substantivus, constitutivus substantiae singularis in ratione hypostaseos, qui per physicam resultantiam ex substantia singulari dimanet. — *R. ad a) : d.* quae in genere substantiae singularis sit incompletum, *c*; quae in genere existentis totius pro se, incommunicabilis, *n.* — *ad b) : d.* qui ex substantia singulari hypostasi dimanet, *c*; ex substantia singulari dimanet exigitive, ut fiat hypostasis, *n.*

**Objic. 7°** Inutilis est iste modus positivus ad explicandum factum revelatum; *e.* temere, sine ratione sufficienti admittitur. — *Prob. ant.* Sola necessitas esset ad explicandam Incarnationem : quod aliter in Christo essent duae hypostases completae, *a.* ita non est; *e.* — *R. n. ant.* — *ad prob. c. maj.* — *n. min.*

*Prob. min.* Admittendae essent duae hypostases in Christo, si impossibile esset ex duobus substantialiter completis constitui aliquod unum per se; *a.* ita non est; *e.* — *R. c. maj.* — *n. min.*

*Prob. min.* Non repugnat ut substantia aliqua finita, v. c. haec humanitas, ultimo completa in suo ordine, ultra suum ordinem substantialiter perficiatur, ac trahatur ad constituendum unum per se cum hypostasi divina; *e.* — *R. n. totum.* Nam : 1) si est de se jam ultimo completa in suo ordine substantiali, est jam de se unum per se, seu hypostasis, et quidquid accedit insuper constituet aliquid per accidens, quod salva ejus totalitate abesse poterat; — 2) quod perficiatur substantialiter et tamen ultra suum ordinem, est contradictio; nam perfici substantialiter dicit perfici ut substantia est, ergo in sua specie, intra suum ordinem, in sua constitutione propria; — 3) quod trahatur ad constituendum unum per se cum hypostasi divina, quamdiu duo ultimo completa in propria essentia et substantia erunt, repugnat; et si recurrunt adversarii ad differentiam ordinum, dant verba et voces quas jam aliter non explicare conantur, nisi supponendo distinctionem realem inter essentiam humanam physicam Christi, et ejus existentiam humanam, quae ultima defuerit, cujus loco fuerit unica existentia Verbi humanitatem quasi informans! Ac revera, aliud jam nihil ipsis superest quod sit substantialiter unitivum duarum essentiarum ultimo completarum.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo nullum accidens potest esse suppositum, sed sola substantia, nam suppositum est existens independenter ab alio ut subjecto, accidens autem est essentialiter dependens et communicabile alicui substantiae.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo neque substantia secunda potest esse suppositum, nam haec est natura universalis, essentialiter communicabilis tota pluribus.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Actiones sunt suppositorum, non elicitive, sed denominative,

i. e. tribuuntur toti subjecto ut principio quod agit, parti non tribuuntur nisi ut principio quo agit totum; suppositum igitur hic est totum quod agit, natura est principium quo elicitive agit suppositum, v. c. Deus Verbum passus et mortuus est humanitate sua; sicut aliquis homo cogitat anima sua, currit pedibus suis.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Ergo partes per separationem possunt fieri totidem supposita, v. c. tabulae marmoreae dissectae partes; quae si post separationem retineant essentialem exigentiam ad invicem, dicentur supposita sensu aliquo latiori, v. c. anima separata a corpore.

**Coroll. 5<sup>m</sup>** Ergo vicissim plura supposita per unionem suam fieri possunt unum suppositum, v. c. binae guttae aquae conjunctae; amittunt enim priorem modum existendi, subsistentiam suam, et acquirunt novum unum modum.

#### Propositio 40.

**Personae identitas reponi nequit in conscientia vel memoria.**

**Stat. quaest.** 1) Contra Locke dicentem : personalitatem, seu identitatem personae consistere in conscientia propriarum actionum, i. e. actu quo quis operationum quas elicit sibi est conscius.

2) *Reponi* : non negamus memoriam et conscientiam esse facultates *testificativas* nostrae identitatis, i. e. per quas nobis cognita fiat identitas nostra personalis; sed negamus eas esse *constitutivas* hujus identitatis.

**Prob. 1°** Personae identitas in eo consistere nequit quod personae identitatem jam praesupponit; *a.* conscientia sui ipsius, vel memoria suorum factorum praeteritorum, personae identitatem praesupponit; *e.*

*Ad min.* Impossibile est ut sui conscientia vel memoria propriarum actionum habeatur, nisi identica sit persona quae actiones elicit et conscientiam habet.

**Prob. 2°** Id secundum quod unusquisque apprehendit se esse personam, et quod intendit significare dicendo : « *ego*, » est unum aliquod, identicum, et permanens subjectum omnis multipliciter interioris; *a.* repugnat tale subjectum formaliter constitui per actualem conscientiam sui, vel memoriam propriarum phaenomenorum; *e.*

*Prob. min.* 1) Hoc subjectum apprehenditur ut permanens; — haec conscientia identidem interrumpitur et cessat, v. c. somno, delirio;

2) hoc subjectum... ut unum et semper idem; — haec conscientia... nectitur ex multiplicibus et usque variantibus intellectionibus;

3) hoc... ut subjacens toti multipliciter interiori, sive essentiali, sive accidentali; — haec... ut accidentalis, exigit inesse alteri ut subjecto;

4) prius natura est, affectiones subjecti esse, quam esse intellectas per conscientiam.

**Prob. 3°** Ex opposita sententia sequuntur absurda, v. c. :

1) deliri et amentes, qui praeteritarum actionum obliviscuntur, ipso facto in aliam personam converterentur; nam conscientiam priorem amittunt;

2) quoties et quamdiu conscientia interruptitur, v. e. somno, deliquo, toties et tamdiu persona cessaret esse eadem;

3) omnis persona jugiter mutaretur, nulla permaneret identica; nam omnis conscientia praeteritorum phaenomenorum jugiter mutatur: oblivione antiquorum, additione recentiorum.

QUAESTIO 2.

De accidente generatim.

1° Substantiae conceptui opponitur conceptus accidentis, quod est ens non in se subsistens, sed quod ad existendum necessario requirit substantiam ut subjectum cui inhaereat. Est ergo accidens determinatio aliqua substantiae superveniens, seu nota quaevis substantiae praeter ipsas essentielles notas indita.

2° Accidentia igitur plurimarum specierum sunt, quod facili intuitu patebit, si vel obiter inspiciamus quam multae ac diversae notae de ente quocumque praedicari possint. Has species colligens in genera suprema Aristoteles, ad novem reduxit pro novem quaestionibus quas de aliquo ente proponere possumus, scilicet quantum sit; quale sit; cujus sit v. e. pater, filius; quid agat; quid patiat; ubi sit; quo situ; quando; quas vestes, ornatum, habeat; — quibus ordine suo respondent praedicatorum genera (praedicamenta dicuntur, seu categoriae): quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, situs, quando, habitus.

3° Hinc fit ut omnia entia realia dividantur in decem categorias, quarum prima ad quaestionem: quid sit; nimirum:

ens per se subsistens	— — — — —	substantia
ens in alio inhaerens = <i>accidens</i> ,		
intrinsecum: intrinsece afficiens substantiam.		
absolutum: afficiens substantiam in se ipsa consideratam:		
{ ratione materiae — — — — —		quantitas
{ ratione formae — — — — —		qualitas
respectivum: afficiens substantiam consideratam per comparisonem ad aliud — — — — —		relatio
extrinsecum: denominans substantiam ab alio quod habet relationem ad illam:		
{ ut a termino ad quem procedat operatio substantiae —		actio
{ ut a termino a quo procedat operatio in substantiam —		passio
{ ut a mensura extensionis in se spectatae — — — — —		ubi
{ ut a mensura extensionis quoad dispositionem partium: —		situs
{ ut a mensura durationis — — — — —		quando
{ ut ab ambiente, ornatu, possesso, etc. — — — — —		habitus

4° De his accidentibus in communi inspectis non alia nunc dicenda occurrunt. Sed de accidentibus intrinsicis absolutis, quatenus ab eorum divisione in quantitatem et qualitatem abstrahimus, generalia quaedam veniunt disputanda.

Propositio 41.

Accidentium absolutorum entitas realiter distincta est ab entitate substantiae.

Stat. quaest. 1) Quaeritur de omni accidente absoluto, utrum dum est actualiter in substantia, aliquam entitatem superaddat entitati substantiae, — an potius nihil realiter addat, sed sit solum relativa habitudo ad alias substantias, vel etiam varia dispositio et habitudo partium ad invicem.

2) Priorem responsionem tuentur scholastici, — posteriorem atomistae et post Cartesium recentiores plurimi; — aliqui distinguunt absoluta, quae sint distincta a substantia, et modalia, quae non sint distincta.

3) Omnes, etiam scholastici, admittunt non eodem gradu distingui a substantia, accidentia absoluta omnia; sed de hac quaestione nihil quoad hanc praesentem thesim: cfr. infra.

4) Cfr. Kleutgen, phil. abh. 6. hptst. 4.

Prob. 1° Id quod est perfectio realis aliqua, et terminus actionis substantiae, habet entitatem realem aliquam distinctam a realitate substantiae; a. accidens absolutum, v. e. actus formalis cognoscendi, est realis perfectio substantiae, et producitur ut terminus actionis substantiae, v. e. se conformantis; e.

Prob. 2° Perfectio quae substantiae jam constitutae supervenit, et aliquid novum et reale addit, quod substantia ex se non habebat, est entitas ab entitate substantiae realiter distincta; a. accidens, v. e. scientia actualis, vel habitualis, virtus, supervenit et addit aliquid novum et reale; e.

Prob. 3° Substantia tum corporalis, tum spiritalis: a) subest mutationibus quae sunt reales, — b) quin ipsa substantialiter mutetur; — a. tales mutationes reales fiunt per acquisitionem realitatis novae, vel per amissionem realitatis habitae, et distinguuntur realiter ab entitate quae illis subest; e.

Ad maj. a) Corpus subest motui, qualitatibus pluribus et variis, ... anima amori, odio, irae, timori, ... gratiae habituali eam omnino transformanti;

b) lapis motus vel non motus est idem lapis.

Objic. 1° Terminus actionis positivae potest esse nova relatio, vel modus essendi, vel ordo...; e. non semper nova entitas positiva. — R. d. ant. 1 part. nova relatio fundata in nova realitate, e; mera nova relatio, sine novo fundamento, sive in ipso subjecto, sive in alio subjecto, n. — d. 2 part. modus vel ordo qui sit nihil, n; qui sit aliquid positivum et objectivum, non merum mentis figmentum, e.

Objic. 2° Accidens est *ens entis*, et essentialiter existit in substantia quam afficit, et per quam definitur; e. ejus realitas eadem est ac realitas substantiae.

— *R. tr. ant.* — *d. cons.* ergo ejus realitas essentialiter dicit nexum ad substantiam, *c*; est ipsa substantia, *n*.

**Objic. 3°** Accidens aut propriam habet essentiam et existentiam, aut non; *a.* si primum: non est accidens sed substantia; — si secundum: non distinguitur a substantia quam afficit. — *R. d. maj.* aut propriam, et independentem a substantia, aut non, *c*; secus, *n*. — *c. d. min. 1 part.*

**Objic. 4°** Si realiter distinguuntur, poterunt a Deo separari; *a.* repugnat concipi v. c. cogitatio vel volitio sine anima. — *R. d. maj.* ex nota sua generica, i. e. si aliunde specifica nota (vel specialis necessitas inhaerendi) non obstat, *c*; secus, *n*. — *c. d. min.* ob specialem necessitatem immanentis actionis quae affertur in exemplum, *c*; ob ipsam notam genericam accidentis, *n*.

**Objic. 5°** Cognitio et volitio non sunt effectus operationis, sed modificationes animi, sicut figura est modificatio corporis. — *R. d. assert.* sunt modificationes animi productae per operationem, et novam importantes realitatem, *c*; secus, *n*. — *ad confirm. d.* sicut... modificatio nova realis, *c*; secus, *n*.

**Objic. 6°** Si accidens est realiter distinctum, ejus productio erit creatio; *a.* repugnat creaturam posse creare; *e.* — *R. n. maj.* (creatio est productio e nihilo sui et subjecti; — hic producitur accidens ex nihilo sui sed non ex nihilo subjecti, i. e. independentem a substantia cui inhaeret).

**Objic. 7°** Saepe substantiae additur aliqua perfectio realis, non tamen ab ipsa substantia distincta, v. c. subsistentia, modus substantiae. — *R. n. tot.* (cfr. supra).

**Objic. 8°** Quidquid realiter existit (substantia) est determinatum, scilicet: et est, et est tale, per suam realitatem quae existit; *e.* nihil ad hoc distinctum superaddendum. — *R. d. ant.* est determinatum adaequate per suam essentiam solam, *n*; per modos qui necessario adsunt, et resultant ex essentia, *sd.* in genere et indeterminate, *c*; in individuo et determinate, *n*.

**Objic. 9°** Realitas (vel forma) distincta, potest quidem per modum formae esse ratio vel causa, cur res (substantia) intrinsece mutetur, novumque essendi modum acquirat; sed iste modus intrinsecus erit effectus formae, non ipsa forma; — *a.* de isto effectui intrinseco quaeritur; eritque ipse iterum distincta realitas a substantia, et redit argumentum in infinitum; aut non distincta, et negatur thesis. — *R. ad maj. 1<sup>m</sup> part.* cur... acquirat, *c*; — *ad 2<sup>m</sup> part.* sed est effectus formae, non ipsa forma, *n*. (videntur adversarii non verum conceptum de forma habere: cfr. infra).

**Objic. 10°** Ipsum accidens, aut est aliquid natura sua et ex se determinatum, aut non; — *a.* si primum: jam aliquid finitum potest natura sua esse determinatum; *e.* a fortiori aliud ens perfectius (substantia); — si secundum: erit determinatum per aliud, de quo redit quaestio in infinitum; *e.* — *R. c. maj.* ex se determinatum. — *d. min. 1 part.* determinatione sua essentiali, *c*; quae jam nullam patiatur (imo requirat) ulteriorem determinationem accidentalem, *n*.

### Propositio 42.

**Non potest ostendi intrinseca impossibilitas existentiae accidentium absolutorum physicorum seorsim a substantia.**

**Notiones.** 1) Absolutum accidens aliud est *physicum*, i. e. quod realiter substantiam afficit intrinsece, et quidem tale ut habeat ex propria natura sua entitatem aliquam, sitque reale principium operationum et effectuum realium, dependenter tamen a substantia, cui naturaliter inhaerere debet, v. c. quantitas, calor, color; — poterit haec entitas dici incompleta, eo sensu quod natura sua destinatur ad inhaerendum alteri, non ad existendum in se; — poterit alio magis improprio sensu dici completa, quod sit aliquid totum, etiamsi non includi concipiatur in substantia (sed hoc nonnisi post suppositam hanc thesim).

2) Aliud vero absolutum accidens est *modale*, de quo cfr. propos. sequent.

**Stat. quaest.** 1) Quaestio est de nota generica accidentis physici, abstrahendo ab aliquorum nota specifica ulteriore, qua sint v. c. actus immanentes.

2) *Non potest ostendi*: non quidem ratio intelligit quomodo possibilis sit talis existentia; nec ostendere potest sola ratio naturalis eam esse possibilem; scimus ex revelatione SS. Eucharistiae eam haberi de facto; nec probare potest ratio naturalis eam esse impossibilem: quod ultimum solum dicimus hic. — Causa hujus nostrae impotentiae de modo quo sit possibilis talis existentia, est imperfectio cognitionis nostrae de intima natura essentialium, substantiae, accidentium. — Cfr. *S. Thom.* qdlib. 7. a. 10.

**Prob.** Contradictio reperti deberet aut ab identitate accidentis et substantiae, aut ab essentiali dependentia accidentis a subjecto, aut a necessitate inhaesionis in subjecto, aut a defectu finalitatis (inutilitate) talis existentiae; — *a.* nihil horum valet; *e.*

*Ad min. 1 part. (ab identitate).* Haec accidentia propriam habent realitatem a realitate substantiae distinctam; *e.*

*Ad 2 part. (a dependentia).* Influxus substantiae creatae (ex cujus potentia educatur accidens) naturaliter debitus ut oriri possit accidens, suppleri potest per influxum omnipotentiae divinae; *e.*

*Ad 3 part. (ab exigentia inhaerendi).* Haec non destruitur etiamsi non actu adimpleatur; eritque essentialis inhaerentia aptitudinalis (seu exigitiva), non autem actualis; *a.* probari non potest essentialem esse inhaerentiam *actua-*lem; *e.*

*Ad 4 part. (ab inutilitate).* Finis immediatus et intrinsecus horum accidentium non solum est, afficere et determinare subjectum, sed etiam esse principia operationum et effectuum propriorum; *a.* etiam deficiente primo, manere potest secundus; *e.*

**Objic. 1°** Accidentia non in substantia, existerent per se; *a.* sic jam non essent accidentia sed substantia. — *R. d. maj.* existerent per se simpliciter, sine ulteriore exigentia naturalis dependentiae, *n*; cum tali exigentia, quae supernaturaliter suppleatur, *c*; — *c. d. min.*

**Objic. 2°** Quodvis accidens est relativum; *a.* relativum concipi nequit sine absoluto; *e.* — *R. d. maj.* includit necessarium ordinem dependentiae a substantia, *c;* est mera relatio, i. e. merus respectus unius rei ad alteram, *n;* — *c. d. min.*

**Objic. 3°** Plurima possunt afferri exempla accidentium quorum separata existentia evidenter repugnat, v. c. actus vitales, figura. — *R. d.* quorum singula ex propria aliqua conditione, nota specifica, repugnant seorsim existere, *c;* ex communi praecise natura accidentis physici absoluti, nota generica, *n.*

**Objic. 4°** Nequit ratio assignare quodnam accidens, vel quomodo existere possit seorsim. — *R. d.* ratio sola, *tr;* nunc post factam revelationem, *n.*

**Objic. 5°** Nulla natura est indifferens ad existendum modo sibi consentaneo; *a.* accidentis natura est existere in alio, non per se; *e.* non est apta ut existat indifferenter in se vel in alio. — *R. d. maj.* i. e. omnis natura repugnat existere non modo sibi essentiali, *c;* non modo sibi naturaliter debito licet non essentiali, *sd.* repugnat naturaliter, i. e. physice, *c;* absolute, i. e. metaphysice, *n.* — *c. d. min.*

**Objic. 6°** Si divina virtute potest accidens existere in seipso, jam ex sua natura est aptum existere per se (nam divina virtus non mutat essentias); — *a.* sic nulla est differentia inter accidens et substantiam; *e.* — *R. d. maj.* ad existendum connaturaliter per se, *n;* ad existendum supernaturaliter per se, licet exigitive in alio, *c.* — *c. d. min.*

**Objic. 7°** Si accidens quod ex sua natura postulat existere in alio, potest divina virtute existere per se; eodem modo circulus qui ex natura sua postulat esse rotundus, poterit divina virtute esse quadratus; *e.* — *R. n. ant. et parit.* (altera postulat naturali necessitate physica, altera necessitate metaphysica).

**Objic. 8°** Haec, v. c.: « quantitas sine re quanta, color sine re colorata, sapor sine re sapida » sunt omnino nihil! — *R. d.* sunt nihil substantiae nudaе, *c;* nihil accidentis, *n;* vel *sd.* i. e. nihil quod possit naturaliter inveniri, *c;* supernaturaliter, *n.*

**Objic. 9°** Tale accidens, habens ex se realem entitatem, conjungitur substantiae ut *ens enti* (per infusionem, mixtionem, compenetrationem), non inhaeret ut *ens entis* (existens solum per entitatem substantiae); — *a.* substantia non habet entitatem quae sit melioris conditionis; *e.* non differt essentialiter. — *R. n. maj.* et *n. supp. maj.* (ens entis esse solum existens per entitatem substantiae).

**Objic. 10°** Accidens existens separatim, sustentari deberet a Deo; *a.* 1) absurdum est Deus fiat subjectum sustentans formam aliquam (habens potentiam subjectivam); — 2) sic jam accidens non esset separatim a subjecto, sed esset in alio subjecto (Deo); *e.* — *R. d. maj.* i. e. inhaerere Deo ut subjecto, *n;* accipere a Deo (in potentia sua obedientiali) modum aliquem supernaturalem existendi per se, *c.* — *c. d. min. 1 part.* — *c. d. min. 2 part.*

## Propositio 43.

Accidentibus modalibus prorsus essentialis est actualis inhaerentia subjecto.

**Notiones.** 1) *Modus, sensu latissimo,* est mensura, limitatio, determinatio rei; — *sensu stricto,* est mera determinatio subjecti, seu accidens quod ex se non aliam essentiam habet quam ut determinet subjectum, ita ut jam non vage et indeterminate se habeat substantia (haec enim ex se est limitata et mutabilis secundum varios status, ac proinde determinanda ulterius ad aliquem certum statum); est ergo modus: « determinatio actualis rei indifferentis ».

2) Tale accidens est reale, non merum figmentum mentis, ac proinde a parte rei distinctum a suo subjecto, cfr. sup.

**Prob.** Accidens modale (modus) est mera determinatio accidentalitatis subjecti; *a.* mera determinatio intrinsece repugnat existere nisi in subjecto determinando; *e.*

*Ad maj.* Haec est differentia inter accidentia: modale et physicum, quod modi tota essentia non est nisi mera determinatio intrinseca subjecti, quoad entitatem; accidens vero physicum est et determinatio subjecti intrinseca, et principium operationum vel effectuum.

*Ad min.* Repugnat mere determinare ubi nihil determinatur, seu: esse aliquam sic-se-habentiam alicujus non-se-habentis!

**Schol. 1<sup>m</sup>** Distinguendus est *modus accidentalitatis* de quo in hac propositione, qui supponit substantiam jam completam, quam afficit, v. c. ubicatio, figura, quandocatio; — et *modus essentialitatis*, qui substantiam non praesupponit completam, sed eam in ratione substantiae completam, v. c. unio animae et corporis.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Distinguendus etiam *modus metaphysicus*, qui ratione cum fundamento in re, non realiter, distinguitur a subjecto, v. c. individuatio Petri, perseitas substantiae; — et *modus realis* qui distinguitur a parte rei a subjecto, v. c. figura.

**Schol. 3<sup>m</sup>** Distingui etiam potest *modus* ab accidente *physico* quod ob aliquam rationem *specificam* existere repugnet sine subjecto, v. c. actus immanens, qui connotat terminum actionis in *subjecto agente* remanentem; — sunt nempe multi qui confundentes definiant: accidentia physica quae non absolute repugnat, — modalia quae repugnat existere sine subjecto; — *sed R.* Haec repugnantia non est ipsa definitio essentialis, sed *sequitur* essentiam, et quidem sive genericam (modi), sive specificam (aliquorum physicorum).

**Schol. 4<sup>m</sup>** De *modis accidentium*, v. c. directione et velocitate motus, acuitate soni, etc. — *R.* Sunt hi modi *metaphysici* potius quam *reales*; scilicet non videtur in eodem motu, sono... alius et alius succedere modum velocitatis...; sed potius huic motui succedere motum numero alium, qui non nisi



ratione cum fundamento in re solvatur in notas duas : motus et velocitatis suae; unde effatum : *accidens non est accidentis accidens*.

**Schol. 5<sup>m</sup>** Minus feliciter modos explicat Suarez (sed erit lis de verbo) : modum esse aliquid reale, non tamen entitatem aliquam; distingui nihilominus aliquomodo a parte rei a subjecto; esse *ens*, sed non rigore *ens*;... *ens* realiter distinctum,... sed non reale *ens*. — Quae omnia plurimi philosophi exscribunt, at quomodo non verbis saltem sint contradictoria, quomodo conceptum rei juvent, viderint ipsi.

**Schol. 6<sup>m</sup>** *Quaenam accidentia possint separari*. — R. a) Ratio sola vix quidquam valet decernere; — b) ex mysterio SS. Eucharistiae docemur quantitatem et plures qualitates a *substantia* separari; — c) attamen si quis explicare contenderet, solam quantitatem *non subjectari*, qualitates autem in *quantitate* subjectari (quia *quantitas* similior, propinquior *substantiae*), is non erraret in fide; — d) sed probabilius videtur, *posse* etiam qualitates *physicas non subjectari*, quia eadem valent rationes vindicantes non repugnantiam de singulis.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo *accidens est entis ens*, seu : *accidentis esse est inesse*; i. e. inhaerentia actualis, vel saltem exigita, est de ratione accidentis.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** *Accidens est extra substantiam*, seu : *accidens non est de essentia substantiae*.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** *Accidens non se extendit ultra subjectum* : i. e. non existit alibi vel amplius quam in subjecto suo.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** *Accidens non migrat de subjecto in subjectum*.

### QUAESTIO 3.

#### De quantitate et qualitate.

Data in superioribus divisione et notione generali accidentium, nunc ad singulas accidentium categorias accedimus. Ac de duabus primis quidem, quantitate et qualitate, fere dictum est; istae enim sunt quae accidentium absolutorum nomine veniunt. Quamobrem pauca in ontologia de iis addenda manent, remissis nempe particularibus tractatibus ad cosmologiam et psychologiam. Hinc erunt

Articulus 1. De quantitate.

Articulus 2. De qualitate.

#### ARTICULUS 1.

##### De quantitate.

I. *Definitur quantum* id quod divisibile est in partes quae participant entitatem divisi, ita ut separatae singulae permanere possint in se. Non igitur

cogitandum est hic de divisione in partes essentielles, v. c. hominis in corpus et animam, vel aquae in oxygenium et hydrogenium; sed de divisione in partes quae sub eodem respectu maneant singulae, sub quo dividitur totum, v. c. si dividitur longum in duas partes longas, vel solidum in duas partes solidas. Patet hic esse abstrahendum ab *essentia* rei longae vel solidae, et considerationem esse tantum de re *ut longa, ut solida*.

II. *Quantitas* est accidens extensivum *substantiae*, seu illud quo *substantia* efficitur quanta. Dividitur autem haec, et est :

continua	— — =	non interrupta, i. e. cujus partes ita se invicem consequuntur ut finis unius jam sit initium alterius, — seu ut limes interior inter partes non inveniatur.
}	linea	— — — in unam dimensionem.
	superficies	— — — in duas dimensiones.
	solidum	— — — in tres dimensiones.
discreta	— — =	interrupta, i. e. cujus partes ita se mutuo consequuntur ut finis unius non sit initium alterius, — seu : ut limes interior inter partes inveniatur.
}	contigua	— — — ita ut limites partium se mutuo contingant.
	separata	— — (discreta, sensu strictiori), ita ut limites non se mutuo tangant.

III. Dicitur etiam, sed improprie et per analogiam, quantum : 1) *de successivis* : duratione, motu, tempore; — 2) *de intensitate* perfectionis : qualitatis, potentiae, etc.; — 3) *de multitudine*, numero...

#### ARTICULUS 2.

##### De qualitate.

I. *Definitur qualitas* accidens complens et perficiens *substantiam* sive in essendo sive in operando. Est ergo *qualitas* modificatio quaelibet *substantiae*, non essentialis, sive haec sit talis modificatio qua *substantia* mere aliter se habeat (et erit *modus*), sive talis qua *substantia* etiam ad alios effectus et operationes sit capax (et erit *accidens physicum*).

II. *Varia qualitatum genera* apud Aristotelem et Scholasticos enumerantur :

A. *Habitus et dispositio*. a) *Habitus*, a verbo *se habendi*, est *generatim* id quo *ens* bene vel male se habet in essendo, v. c. *sanitas*, *aegritudo*, *sapientia*, *insania*; — *strictiori sensu* : est id quo *ens* permanenter inclinatur ad aliquid bene vel male faciendum et facile repetendum, v. c. *scientia*, *virtus*, *loquacitas*. — Hic *habitus* immediate afficit *potentiam*, i. e. *facultatem*, — et acquiritur per actus priores, vel infunditur a creatore.

b) *Dispositio* idem est atque *habitus* : differt solum eo quod non est *qualitas* permanens, sed facile mobilis.

**B. Potentia et impotentia.** a) *Potentia* est principium proximum operationis ad quam per se institutum et ordinatum est; seu est principium quo ens operationem suam efficit. — Distinguitur autem:

*Potentia naturalis*: proprium hujus naturae, quod huic naturae necessario adest, quo potest, sine quo non posset natura hanc suam operationem efficere, v. c. intellectus, voluntas, locutivitas.

*Potentia mobilis*: non proprium naturae, sed mere accidentale, quod huic naturae adesse vel abesse potest; — haec subdividitur, et est alia: qua possit, sine qua non possit natura hanc aliquam actionem facere, — et alia: qua facilius possit, sine qua tamen possit, sed difficilius, minus expedite, v. c. aptitudo major, dexteritas major.

b) *Impotentia* (videtur potius ens rationis, negatio, sed concipitur ut): vel id quo ens fit incapax aliquid faciendi; — vel quo impeditur quominus facile aliquid faciat, v. c. blaesities, balbutia.

**C. Sensibilis qualitas et passio.** a) *Sensibilis qualitas* ea est quae permanens ab alio sensibus percipitur, seu quae in alienos sensus agit (unde dicitur *passibilis qualitas*), v. c. dulcedo, albedo, calor.

b) *Passio* solum differt a sensibili qualitate eo quod est facile mobilis, v. c. rubor ex verecundia, pallor ex ira.

c) *Sensibilis qualitas* et *passio* proprie de accidente corporeo dicuntur; — saepe etiam extenduntur ad accidens animae, et tum vix differunt ab habitu et dispositione, v. c. insania, furor, — ira, dolor.

**D. Figura corporum** est qualitas respiciens terminationem quantitatis, ortam ex forma talis corporis, v. c. crystallorum, plantarum, animalium; — vel sensu aliquo latiore, ortam ex actione alterius, v. c. statuae, lapidis vel ligni fragminis.

**III. Proprietates qualitatum** sunt a) *Contrarietas*. Contraria sunt quae sub eodem genere maxime differunt, et ab eodem subjecto se mutuo expellunt. — Non omnes qualitates sibi contrarias habent; — invenitur contrarietas maxime inter habitus, dispositiones, qualitates sensibiles.

b) *Intensio et remissio*: seu augmentum et diminutio, i. e. potestas recipiendi gradus intra limites ejusdem speciei.

c) *Similitudo et dissimilitudo*. Similia sunt quae in notis aliquibus suis conveniunt.

#### QUAESTIO 4.

##### De relatione generatim.

Tertia accidentium categoria est relationum. De hac quum multa veniant nobis dicenda, tractationem dividere visum est in duas quaestiones, quarum prior de generalioribus circa omnes relationes communiter disputet, altera singulas relationum species consideret.

#### Propositio 44.

**Existunt in rerum natura relationes reales.**

**Stat. quaest.** Hanc propositionem negant plerique Nominales, et antiquius jam Ammonius, Averrhoes, Avicenna, Stoici.

**Notiones.** 1) *Relatio* est habitudo unius ad alterum; — ad hanc requiruntur: a) *subjectum*: ens quod ad aliud respectum seu habitudinem habet, — b) *terminus*: ens aliud ad quod subjectum habet respectum, — c) *fundamentum*: id secundum quod habetur respectus, v. c. linea A subjectum; est aequalis lineae B termino; secundum longitudinem fundamentum.

2) *Relatio* est *realis* vel *rationis*: — *relatio realis* illa est quae viget inter res independenter a mentis consideratione et comparatione, v. c. inter causam et effectum; — *relatio rationis* seu logica, ea est quam rebus tribuit cogitando mens, vel etiam volendo, v. c. identitas rei secum, — signum arbitrarium, vexillum.

3) Ut *relatio* sit *realis* requiritur: a) *subjectum* sit reale, — b) *terminus* sit *realis*, — c) *fundamentum* in *subjecto* sit reale, — d) sit *realis* distinctio inter *fundamentum* et *terminum*; — quorum si unum deest, est *relatio rationis*. — Cfr. *Suar.* met. d. 47.

**Prob.** *Relatio realis* est habitudo unius ad aliud independens a consideratione mentis; a. tales habentur in rerum natura; e.

**Ad min.** Etiam nemine cogitante, effectus pendet a causa, homo est homini similis.

**Objic.** Ut habeatur *relatio*, requiritur comparatio extremorum; a. comparatio fit per intellectum; e. — R. d. maj. ut percipiatur *relatio* formaliter ut talis, c; ut sit a parte rei, n. (in suo esse physico saltem, licet non plene completa in sua formalitate perceptibili).

**Schol. 1<sup>m</sup>** Divitur *relatio*:

mutua — si utrumque extremum refertur ad alterum eodem modo, i. e. realiter utrumque, vel ratione utrumque.

ejusdem nominis: si utriusque termino inest fundamentum quo eodem nomine uterque designetur, v. c. aequales.

diversi nominis: si alio nomine designetur, v. c. pater et filius, causa et effectus.

non mutua = mixta: si non eodem modo uterque terminus ad alterum refertur, scilicet hinc realiter, illinc ratione, v. c. creator et creatura, cognoscens et cognitum.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Distinguitur etiam *relatio transcendentalis*, i. e. quae necessario sequitur ipsam essentiam rei, v. c. creaturae ad creatorem; — et *relatio praedicamentalis*, i. e. quae potest *subjecto* inesse vel abesse, v. c. aequalitas; haec est una ex categoriis, prior non. *Relatio transcendentalis* haberi potest *realis*, etiamsi terminus non adsit *realis*, v. c. intellectus, ut facultas, habet *relationem* ex natura sua ad cognoscendum verum; etiamsi res cognoscenda sit *possibilis* tantum, non *realis* existens, vel in ordine ideali tantum.

**Schol. 3<sup>m</sup>** Neque habenda pro transcendentali est relatio illa praedicamentalis, quae sequitur quidem essentiam subjecti, sed non necessario; nempe tunc solum accidit relatio quum terminus adest realis, v. e. Joannes vi essentiae suae est similis Petro, quamdiu Petrus existit.

### Propositio 45.

**Relatio, quantum ad id quod ponit in subjecto relationis, a fundamento non distinguitur realiter, sed ratione cum fundamento in re.**

**Stat. quaest. 1)** Quaeritur utrum relatio sit realitas aliqua distincta a suo fundamento, et a subjecto relato. — Si agitur de relatione essentiali, v. e. animae ad corpus, omnes conveniunt non dari distinctionem, quia relatio est inclusa in essentia rei; sed de relatione accidentali disputant:

a) dicunt Thomistae aliqui, realem esse distinctionem inter subjectum cum fundamento, et relationem; — b) dicunt Scotistae, esse distinctionem formalem a parte rei (intermediam aliquam: cfr. infra); — c) dicimus non realem esse distinctionem, sed rationis; — neque expresse probamus de distinctione inter subjectum et relationem, sed inter fundamentum et relationem: hoc enim fundamentum est accidens subjecti, ergo distinctum ab eo; neque relatio sequitur subjectum sed fundamentum, ergo tam distincta est a subjecto quam fundamentum ipsum.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (non realiter).** 1° Posito subjecto habente fundamentum, et termino, hoc ipso formaliter habetur relatio; imo repugnat eam non haberi aut tolli, illis manentibus; a. quoad ita, posito altero, formaliter adest, ab illo non distinguitur realiter; e.

**Prob. 2°** Si distinctio est realis, necesse est ut infinitae producantur entitates, quarum excogitabilis nulla est causa proportionata; e.

**Ad antec.** Quoties ego digitum curvo, producit relatio similitudinis mutua inter eum et omnes res curvas in universo mundo; — e. producerem innumeras entitates reales in meo digito, et simul innumeras entitates correspondentes reales in innumeris aliis rebus?!

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (sed ratione).** Haec realitas quae est fundamentum relationis, *ex se* habet ut sit et spectari possit tum in se, tum relate ad alterum; a. sic habentur unius ejusdemque rei duo conceptus distincti, scilicet rei absolutae, et rei relativae; e.

**Ad maj.** Non dicimus solum: A est albus, et B est albus; — sed A est albus *sicut* B; — e. similitudo non est formaliter albedo absoluta extremi utriusque, sed spectata relate ad alterum.

**Objic. 1°** Realiter distinguuntur quae separari possunt: a. sublato B albo, A manens cum sua albedine, jam non est *sicut* B, seu relatus ad B; e. — R. d. maj. de absolutis, c; de relativis, sd. quae possunt separari, manente subjecto, fundamento, et termino, c; sublato termino essentialiter connotato, n. (cfr. infra).

**Objic. 2°** Ubi est aliqua denominatio intrinseca separabilis, ibi est forma intrinseca separabilis; a. denominatio similitudinis adveniens albedini absolutae, est intrinseca et separabilis; e. — R. d. maj. ubi... separabilis secundum id quod dicit in recto et in obliquo, ... c; ubi... secundum id tantum quod dicit in obliquo, n; — e. d. min. (relatio duo dicit, unum in recto: subjectum cum fundamento, — alterum in obliquo: terminum).

**Objic. 3°** Forma posita in subjecto communicat ei necessario suum effectum formalem; a. si relatio idem est ac fundamentum, poterit haec forma esse in subjecto sine suo effectu formali; e. — R. d. maj. forma absoluta, quae dicit tantum seipsam, c; forma relativa, quae dicit in recto seipsam et simul in obliquo aliud necessario connotat, n. — e. d. min. ob defectum rei connotatae, c; ex defectu rei in recto notatae, n.

**Objic. 4°** Illud quod est accidens, necessario realiter distinguitur a substantia; a. relatio est vere ac proprie accidens, fundamentum autem saepe est substantia, v. e. Socrates ut homo est similis Platoni; e. — R. c. maj. — ad min. 1<sup>m</sup> part. relatio praedicamentalis..., c; — d. 2<sup>m</sup> part. fundamentum relationis transcendentalis, c; praedicamentalis, sd. quae ideo peribit quoties deficit terminus, i. e. extrinsece, c; quae peribit intrinsece quamdiu stabit substantia, n.

**Objic. 5°** Si relatio nihil ponit in subjecto nisi fundamentum, nihil ponit nisi aliquid absolutum; e. relatio ut sic nihil erit a parte rei, sed solum a parte rationis. — R. d. ant. nihil nisi aliquid quod idem est simul absolutum et relativum, c; quod est solum absolutum, n.

**Objic. 6°** Ergo relatio est nihil praeter absolutum! — R. d. non est nova realitas ab absoluto realiter distincta, c; non est realitas quae fundamentum praebet ut sit et consideretur simul absolute et relative, n.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ad relationem non datur motus, i. e. relatio non est terminus alicujus actionis eam immediate producentis, sed actione producit ens quod relationem habet, vel in ente producit accidens absolutum quod fundamentum erit novae relationis.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Relatio habet esse debilissimum (in ordine metaphysico, non physico) quia destrui potest, non solum destructis fundamento et principiis internis, sed etiam sublata *re extranea*, scilicet termino.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Relationes non habent contrarium, i. e. relativa inter se quidem opponuntur, attamen in uno eodem subjecto possunt simul esse, licet sub diverso respectu, v. e. A est similis cum B, sed dissimilis cum C.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Relationes non suscipiunt magis et minus, i. e. per se, formaliter et eadem individua relatio non admittit intensionem et remissionem.

**Coroll. 5<sup>m</sup>** Relativa, reduplicative sumpta, sunt simul: natura, cognitione et definitione.

**Coroll. 6<sup>m</sup>** Relata per se mutuo definiuntur; secus atque absoluta.

**Coroll. 7<sup>m</sup>** Absolutum est prius respectivo quod in ipso fundatur: prioritate naturae, dignitatis, cognitionis.

**Coroll. 8<sup>m</sup>** Non relatio, sed relativum, refertur ad aliud.

**Coroll. 9<sup>m</sup>** Ergo quadruplex distinguitur esse : 1) *esse a se* : quod a nullo alio recipitur ut a causa vel ratione sufficiente; tale est solum esse divinum; — 2) *esse per se*, sed non a se, quod non in alio ut in subjecto inhaeret; tale est esse substantiae creatae; — 3) *esse in alio* ut in subjecto; tale est esse accidentium; — 4) *esse ad aliud* ut ad terminum connotatum, correlatum.

### Propositio 46.

**Terminus licet ad relationem necessario et essentialiter requiratur, tamen relationem non ingreditur ut pars intrinsecus constituens sed solum ut connotatum.**

**Stat. quaest. 1)** Dicimus relationem, secundum totam suam entitatem quam dicit in recto, consistere in solo fundamento quo subjectum refertur ad aliud; — terminum autem in obliquo solum includi, seu connotari extrinsece.

2) Alii aliqui dicebant nullo modo terminum pertinere ad essentiam relationis, sed potius opponi et condistingui, ac proinde non esse partem intrinsecam. — Alii dicebant : terminum esse elementum essenziale intrinsecum relationis, quia totum esse relationis est esse ad aliud.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (requiritur essentialiter).** Hoc est discrimen inter absolutum et relativum, quod absolutum absolvitur in subjecto, respectivum non, sed refertur ad aliud; *e*.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (non constituens, sed connotatum).** 1<sup>o</sup> Si in A et in B est color albus, vere dicetur : « A est simile cum B, A habet similitudinem cum B, est in A similitudo cum B. » — *a*. sic tota relatio similitudinis tribuitur seu praedicatur de A, connotando B solum in obliquo; non vero tribuitur complexui ex utroque; *e*.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Essentia relationis est in illo in quo est esse relativum; *a*. v. c. « Petrus est pater Pauli, » totum esse relativum patris est in Petro; *e*.

**Prob. 3<sup>o</sup>** Relatio non respicit seipsam sed terminum, sicut actus visionis non seipsum sed objectum a se diversum; *a*. si terminus esset pars intrinseca relationis, haec seipsam respiceret; *e*.

**Objic.** Id quo solo deficiente, manentibus omnibus aliis ab eo distinctis, deficit relatio, id est vel essentia, vel saltem pars essentiae relationis; *a*. deficiente sola existentia Pauli, deficit relatio coexistentiae Petri cum Paulo; *e*. — *R. d. maj.* si relatio deficit immediate, ex ratione interna, *c*; si deficit consecutive, deleto connotato necessario, *n*; — *c. d. min.* deficit relatio quoad entitatem essentialem, *n*; quoad denominationem formalem, *sd.* consecutive, deleto connotato necessario, *c*; immediate, deleto aliquo entitatis relationis, *n*.

**Schol.** *Utrum intrinsece repugnet conservari relationem realem sine suo termino, quum sit ab eo distincta.* — *R.* Repugnat tamen, quia *a*) effectus formalis relationis est referre ad terminum; *a*. repugnat relationem (vel generatim ens quodcumque) conservari sine suo effectu formali; — *b*) relatio

non differt a fundamento suo, quod dicit in recto; *e*. nisi connotet terminum, relatio nihil erit nisi fundamentum absolute sumptum, et non erit relatio.

### Propositio 47.

**In termino relationis, formalis ratio terminandi non est aliqua relatio opposita, sed est aliqua nota absoluta in termino.**

**Stat. quaest. 1)** Non omne ens potest terminare relationem quaecumque, sed requiritur propria aliqua nota, ob quam aptum sit terminare hanc vel illam relationem; — hanc formalem rationem terminandi inquirimus, quid sit. — Scimus jam terminum relationis reales debere esse aliquid reale; manet quaestio utrum hoc aliquid reale sit absolutum an relativum, quod nempe per se formaliter respiciat subjectum relationis.

2) Alii respondent : in omni relatione terminum debere esse relativum ad subjectum, — alii : in relatione mutua debere..., in non mutua non debere..., — alii : in nulla relatione debere..., sed subjectum terminari ad terminum ut absolutum.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (de relatione non mutua).** Talis relatio habet fundamentum reale in subjecto, et terminum realem; *a*. iste terminus non habet relationem realem ad subjectum, seu se habet ut absolutus; *e*.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (de relatione mutua).** 1<sup>o</sup> In relatione non mutua ratio terminandi est aliquid absolutum; *a*. relatio non mutua est relatio realis, et habet omne quod formaliter requiritur ad relationem; *e*. etiam in relatione mutua ratio formalis terminandi est absoluta, licet insuper eadem haec ratio praebat fundamentum relationis oppositae.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Posito fundamento in subjecto, et posito quocumque modo (absolute vel relative) termino, jam habetur relatio, et repugnat eam non haberi; *a*. si ita est, ratio formalis terminandi jam est independens a relatione termini ad subjectum; *e*.

*Ad maj. (quocumque modo).* Etiam si, per impossibile, conciperetur in relatione mutua, auferri a termino relationem ad subjectum, et manere terminum absolute tantum, tamen vera esset relatio subjecti ad terminum; *e*.

### QUAESTIO 5.

#### De relationibus speciatim.

Omnis relatio realis mutua reducitur ad identitatem et distinctionem, vel ad causalitatem et dependentiam. De his nunc tractandum est; de relationibus non mutuis vero, alia quae dici possent, eadem sunt quae de relatione mutua, pro ea nempe parte qua reales sunt istae relationes, nam pro qua parte non mutua ac proinde non realis est relatio, nihil jam addi debet; ac si qua dici possunt, haec aptiorem suum locum obtinebunt in psychologia,

ubi de cognitione et appetitu, et in theologia naturali, ubi de creatione et providentia. Nunc venient

Articulus 1. De identitate et distinctione.

Articulus 2. De principio et causa.

### ARTICULUS 1.

*De identitate et distinctione.*

#### Propositio 48.

Principium convenientiae diverso modo applicatur ad identitatem realem et ad logicam.

**Notiones.** 1) *Identitas* est convenientia plurium in entitate una; et est :  
 realis — — si est unitas a parte rei, inter ea quae pluribus conceptibus repraesentantur, licet non in se sint distincta, v. c. homo iste, et Carolus de quo loquor, sunt idem.  
 logica — — si est unitas in mente tantum, inter plura quae a parte rei non sunt unum idem.

secundum essentiam : si in specie, vel in genere conveniant, v. c. Petrus et Paulus; Petrus et equus — : *similitudo essentialis*.  
 secundum qualitatem, v. c. A justus, et B justus : *similitudo accidentalis*.  
 secundum quantitatem, v. c.  $2 + 3 = 5$  — — : *aequalitas*.

2) Principium convenientiae : « quae duo sunt identica cum uno tertio, sunt identica inter se, » dicitur saepe principium identitatis; — sed cavenda confusio.

**Prob.** Fieri potest : a) ut comparentur tres conceptus diversi, et inveniantur exprimere unam eandem rem; — vel b) ut comparentur tres res diversae, et inveniantur repraesentari per unum eundem conceptum; — a. in his, diversus est sensus, seu diversa applicatio principii convenientiae; e.

**Ad min.** In priori casu sensus principii est : conceptus duo qui sunt identici cum uno tertio secundum objectum, sunt identici inter se secundum hoc ipsum objectum, i. e. exprimunt objectum unum a parte rei; — in altero casu sensus est : res duae quae sunt identicae cum una tertia secundum conceptum, sunt identicae inter se secundum hunc ipsum conceptum, i. e. sunt duae res, sed repraesentabiles per unum conceptum communem.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ut recte applicetur hoc principium, notandum : a) ut tres omnino termini assumantur, — b) ut unus et alter seorsim cum tertio comparentur, sed sub eodem respectu, — c) ut duorum, quae cum tertio conveniunt, identitas sub eodem respectu, sub quo cum tertio conveniunt, inferatur.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Definivimus identitatem realem et logicam, secundum quod unitas in quam conveniunt plura est realis vel logica; — aliqui pauciores

malunt (sed lis erit de verbo), definire secundum quod plura quae in unitatem conveniunt, sunt plura a parte rei, vel a parte mentis tantum; unde illi logicam vocant quam nos realem, et vicissim.

#### Propositio 49.

**Non repugnat intrinsece dari duo entia perfecte similia.**

**Stat. quaest.** *Non repugnat* : agitur de mera possibilitate, non de facto.

*Intrinsece* : non quaeritur utrum aliqua causa creata possit talia entia producere, sed utrum repugnet haec productio in propriis notis, vel cum notis Dei producentis.

*Perfekte similia* : quae solo numero differant, ita ut nulla sit perfectio in uno quae non sit in altero, excepta sola individuatione.

Negabat possibilitatem Leibnitz, affirmabat Clarke.

**Prob.** Repugnantia esset aut inter notas intrinsecas secundi entis, — aut inter duas existentias istorum entium, — aut inter notas Dei sapientis, et Dei producentis tale secundum ens; — a. nihil horum valet; e.

**Ad min. 1 part.** Si primum ens potest existere, ideo potest quia non repugnant ejus notae; e. nec in altero repugnabunt eadem notae inter se.

**Ad 2 part.** Repugnantia est positio et negatio ejusdem; a. duae existentiae istae positivae, non negant et ponunt idem, sed utraque ponit; e.

**Ad 3 part.** Etiam in Deo, nulla potest afferri positio et negatio ejusdem.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Experientia nunquam ostendit duo... — R. tr.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Si essent duo talia, nulla daretur ratio sufficiens cur Deus poneret alterum praec altero in certo loco. — R. d. nulla..., ex parte istorum entium, e; ex parte Dei libere agentis, n.

**Objic. 3<sup>o</sup>** Si essent duo talia, essent etiam in eodem loco; a. sic nullo modo possent discerni; e. jam non duo sed unum essent. — R. tr. maj. (vel d. necessario, n; fieri posset, e.) — d. min. extrinsece, pro nostra cognitione, tr; intrinsece, quoad suam entitatem individuum, n.

**Objic. 4<sup>o</sup>** Saltem pro nostra cognitione essent indiscernibilia; a. sic perit omnis ordo moralis in societate, fidelitas in contractibus, (relationes inter homines mutuae, vel inter homines et res mundanas), quod est contra sapientiam Creatoris; e. — R. d. maj. quamdiu starent leges physicae praesentes, et eadem media cognoscendi, e; stantibus aliis legibus... et mediis..., quae jam connaturaliter requirerentur, n. — e. d. min.

#### Propositio 50.

**Duplex admittenda est distinctio realis : major, et minor seu modalis : quarum indicia communia sunt : realis origo unius ab altero, separabilitas unius ab altero. repugnantia notarum constituentium duas essentias.**

**Notiones.** Identitati opponitur *distinctio*, i. e. carentia unitatis inter plura :

- realis — — si est a parte rei non unitas.
- major — si inter rem et rem, i. e. entitatem realem et entitatem realem.
    - adaequata : si differunt secundum totum esse, v. c. totum a toto.
    - inadaequata : si differunt secundum aliquid, et idem sunt secundum aliud, v. c. totum a parte, homo a corpore.
  - minor (= modalis) : si inter rem et modum suum.
  - logica (= rationis) : si est a parte rei unitas, sed a parte mentis distinctio, per varios conceptus rem unam exhibentes.
  - rationis ratiocinatae (= virtualis) : cum fundamento in re, v. c. si una res pluribus aequivaleat, possitque per plures inadaequatos conceptus exhiberi.
  - rationis ratiocinantis (= mere mentalis) : sine fundamento in re, i. e. si una res exhibetur per plures conceptus non diversos, v. c. homo et animal rationale.

**Stat. quaest. Indicia** : quia non semper facile est videre quae sit distinctio inter duo, quaeritur quibusnam indiciis discerni possit distinctio realis a logica.

*Indicia communia*, i. e. quibus discernatur realis a logica, non tamen discernatur realis major a minore. — Tria afferuntur, quorum si unum adsit, distinctio est realis; sed non statim concludere licebit praesentiam aliorum indiciorum.

*Notarum constituentium* : valet solum de notis essentialibus constituentibus, non vero de proprietatibus ex essentia consequentibus, v. c. Dei misericordia non punit, justitia punit.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (duplex admittenda)**. Definiuntur : 1) *realis major* illa distinctio quae est inter duas res, quarum utraque propriam habet entitatem realem ex propria natura sua; — 2) *realis minor* illa quae inter duas res, quarum altera ex propria natura sua realem habet suam entitatem, altera non ex propria natura sua, sed tantum ex inhaesione sua in subjecto aliquo; — a. 1) prior datur ubicumque duae res, vel duo accidentia physica, vel substantia et accidens suum physicum comparantur; — 2) posterior, ubicumque substantia et modus suus; — 3) jure merito duplex dicitur haec distinctio; e.

*Ad min.* 1) et 2) clara sunt; — 3) major et minor, seu alia et alia est distinctio, ubi alterum ab altero est a parte rei simpliciter distinctum, et ubi alterum ab altero non simpliciter sed secundum quid distinctum; — a. in priore sunt distincta simpliciter (quod est clarum; cfr. supra); in posteriore, secundum quid (nam nec modus habet realitatem nisi in substantia inhaerendo; — nec substantia habet realitatem nisi aliquo modo, licet non individue hoc potius quam alio modo requirat esse); e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (indicia)**. 1) *Realis origo*. Nihil potest a seipso originem ducere; e. ubi realiter oritur aliquid reale, oritur a realiter distincto.

2) *Separabilitas*. Ens non potest a seipso dividi, et sejunctum existere; e. ubi potest unum ab alio dividi et separatum existere, est ab illo distinctum realiter.

3) *Repugnantia notarum*. Una eadem essentia nequit constitui ex notis essentialibus se mutuo destruentibus; e. si tales notae realiter adsunt, non sunt in eadem una essentia, sed in pluribus distinctis, v. c. animal rationale, non-rationale.

**Objic.** Realis origo est indicium inutile; nam non facilius agnoscitur quam ipsa separabilitas. — R. *n*; — vel *d*. non semper, *tr*; nunquam, *n*.

### Propositio 51.

**Ratio qua fit ut una eademque res pluribus ac diversis conceptibus cum veritate percipiatur, tum intellectus nostri imperfectio, tum objecti perfectio est.**

**Stat. quaest.** 1) Quaeritur de distinctione rationis ratiocinatae, quomodo fiant circa unam eandem rem plures conceptus *diversi*, i. e. diversas notas exhibentes, et tamen veri; seu : quodnam fundamentum praebetur in re pro talibus conceptibus.

2) Respondemus duo ista proposita concurrere simul, et sufficere ad explanationem quaesitam; scilicet illos conceptus diversos esse praecisivos, qui unam eandem essentiam expriment, sed non totaliter repraesentant totum quod ei inest, adeoque sunt incompleti; unde distinctio rationis ratiocinatae erit distinctio quae fit ab intellectu rem cognoscente per plures conceptus praecisivos et incompletos.

3) Negant Scotistae et Thomistae, quorum sententiae et argumenta cfr. infra.

**Prob.** 1) *Una eadem res potest* : a) plures habere effectus diversos et inadaequatos, v. c. Deus creat, punit, beat; anima vult, intelligit, vivificat corpus; — b) propter plures illos effectus habere plures varias relationes ad res realiter distinctas, v. c. Deus est dominus omnium, terribilis malis, amabilis bonis; anima est simplex sicut angelus, sensitiva sicut anima bruti; — c) habere perfectionem unam aequivalentem variis perfectionibus quae in aliis separatis rebus inveniuntur, v. c. Deus habet perfectionem quae aequivalet perfectioni plantae, et animalis, et spiritus, et amplius etiam; animae perfectio aequivalet perfectioni plantae, et animalis, et amplius;

2) *Intellectus vero* : a) res non intrinsece in seipsis, sed extrinsece ex effectibus cognoscit; — b) non omnes effectus unico conceptu, sed pluribus conceptibus percipit; — c) saepe conceptus varios componit in unum factitium;

*Atqui* : ex his omnibus comparatis apparet fundamentum sufficiens distinctorum conceptuum esse ipsam rei perfectionem et intellectus imperfectioem; e.

**Schol.** Aequivalentia perfectionis in una re cum perfectione in aliis distinctis rebus est vel *formalis*, si perfectiones plures continentur in una re eodem modo quo in distinctis, — vel *virtualis*, si non eodem modo, sed alio

aeque bono, quo iidem producantur effectus, — vel *eminens*, si non eodem modo, sed superiore, nobiliore, excellentiore.

### Propositio 52.

**Distinctio formalis a parte rei non est admittenda.**

**Stat. quaest.** 1) *Scotistae* dividunt distinctionem, ita ut sit :

realis — — a parte rei,

absoluta — proprie dicta realis,

{ major : inter rem et rem.

{ minor : inter rem et modum suum.

formalis — non inter rem et rem, nec inter rem et modum suum, sed inter rei unius formalitates, i. e. praedicata essentialia diversimode definita, v. c. hominis animalitatem et rationalitatem, quae formalitates sint identicae, ita ut rem constituent plane unam, et tamen distinctae objective ex natura rei, aut intellectus operationem.

logica — — rationis ratiocinantis (et negant distinctionem rationis ratiocinatae).

2) Nos admittimus illas formalitates esse a parte rei, sed negamus eas esse a parte rei distinctas actualiter; dicimus eas praebere tantum fundamentum in re.

**Prob. 1°** Si illae formalitates actu, ante mentis operationem, e natura rei distinguuntur, distinguuntur realiter absolute; *a.* hoc est absurdum, fatentibus *Scotistis*; *e.*

**Prob. maj.** Si in ipsa essentia, v. c. hominis, principium sentiendi et principium intelligendi actualiter distinguuntur, unum non est alterum ac proin principii intelligendi entitas non est entitas principii sentiendi, ita ut una de altera possit negari; — *a.* si hoc, jam distinctio est realis absoluta; *e.*

**Prob. 2°** Rationes quibus moventur *Scotistae* ad distinctionem suam a parte rei admittendam, ostendunt solum distinctionem rationis cum fundamento in re; *e.*

**Ad antec. Dicunt** 1) Definitiones illarum formalitatum sunt reales; *a.* nec identicae sunt nec synonymae; *e.* — **Sed R. d. maj.** sunt reales, i. e. repraesentant rem inadaequate conceptam, et sunt verae quoad id quod concipitur, licet non quoad modum quo concipitur, *c;* secus, *n.*

**Dicunt** 2) Ens, quatenus constituitur diversis formalitatibus, accipit attributa contradictoria, v. c. homo ut rationalis cogitat, ut animalis non cogitat sed sentit; — imo una formalitas de altera negatur, v. c. rationalitas non est animalitas; *e.* — **Sed R. ad a) :** *d.* ens quatenus a parte rei constituitur..., accipit contradictoria, *n;* quatenus praecisive concipitur sub diversis formalitatibus, accipit..., *c.* — **ad b) :** *d.* una de altera negatur in concreto a parte rei, *n;* praecisive in conceptu, *c.*

**Dicunt** 3) Si nulla distinctio est ante intellectus operationem, ens eadem sua entitate esset alteri similis et dissimilis; *a.* hoc est absurdum; *e.* (v. c. homo similis bruto et dissimilis). — **Sed R. d. maj.** i. e. ejusdem entitatis conceptus inadaequati sed veri et diversi, exhibent fundamenta diversarum relationum, *c;* secus, *n.*

### Propositio 53.

**Distinctio virtualis intrinseca non est admittenda.**

**Stat. quaest.** 1) *Thomistae* ita dividunt distinctionem :

realis — — a parte rei,

{ major — — inter rem et rem.

{ minor — — inter rem et modum.

virtualis — — non a parte rei,

intrinseca — qua una res sine contradictione praedicata intrinseca essentialia contradictoria suscipiat; quasi sit distinctio a parte rei, cum tamen nulla sit; idque independentem a mentis operatione, et ante abstractionem.

extrinseca — ex mentis consideratione : rationis ratiocinatae.

logica — — rationis ratiocinantis.

2. Inter praedicata essentialia nos admittimus meram distinctionem rationis ratiocinatae. — **Versatur** autem tota haec quaestio circa attributa essentialia quae individuum realiter unum constituunt, quae etiam vocantur interdum : *gradus metaphysici.*

3) In hoc differt distinctio haec *Thomistica* a distinctione formali *Scotistica*, quod formali distinctione sit a parte rei actualis multiplicitas aliqua; virtuali intrinseca autem nulla.

**Prob. 1°** Repugnat aliquid simul esse et non esse idem; *a.* hoc sequitur ex illa distinctione; *e.*

**Prob. 2°** Illa distinctio : *a)* ratiocinium destruit; — *b)* absurditates parit; — *c)* absurda est ex propria sua definitione; *e.*

**Ad antec. a)** Concessa majore, et minore, negat consequens, v. c. si dicas : « animal hominis est a parte rei principium sentiendi; *a.* animal hominis est a parte rei unum idemque ac rationale hominis; *e.* rationale hominis est a parte rei principium sentiendi. »

**Ad b)** Per eam possent contradictoria ex aequo defendi.

**Ad c)** Praebet subjectum contradictoria essentialia in seipso conjungens sine actuali et vera in seipso distinctione.

### ARTICULUS 2.

#### De principio et causa.

Alterum genus relationum est causarum et effectuum; atque ut universalius de iis dicamus, aliqua de principii notione praemittere placet. Quum vero

multiplices sint causae, de singulis disputaturi, articulum in paragraphos distribuemus, eritque :

- § 1. De principio et causa generatim.
- § 2. De causa efficiente.
- § 3. De causa finali.
- § 4. De causa exemplari.
- § 5. De causa materiali et formali.
- § 6. De principiis rationis sufficientis et causalitatis.

§ 1. DE PRINCIPIO ET CAUSA GENERATIM.

**Propositio 54.**

**Principium recte definitur :** id a quo aliquid procedit quocumque modo : — vel etiam : id unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.

**Notiones.** Explicantur verba argumenti mox dandi : — 1) *Prioritas* est :  
 tempore — — si unum existit, nondum existente altero.  
 loco — — si unum magis quam alterum accedit ad determinatum spatii punctum, vel minus ab eo distat.  
 dignitate — — si unum altero praestat in aliquo ordine, v. c. honore.  
 ordine — — si ex natura vel conditione rerum, una alteri praepositur, v. c. elementa scientiarum.  
 cognitione — si unius cognitio deducit in cognitionem alterius, v. c. effectus in causam, praemissae ratioe in conclusionem.  
 suppositione — si ab unius existentia pendet existentia alterius, v. c. claritas a lumine.  
 natura — — si unum potest esse et concipi sine altero, sed non e converso, v. c. pars sine toto, phaenomenon sine sensatione.  
 origine — — si ab uno procedit alterum, quin tamen sit vera dependentia alterius nec quoad essentiam nec quoad existentiam ; — ista prioritas sui generis habetur solum inter personas SS. Trinitatis.  
 ratione — — si plura mente tantum distincta concipiuntur ut prius et posterius, v. c. essentiae nota generica et specifica.

2) *Nexus consecutionis* inter prius et posterius est :

extrinsecus — si post unum sequitur aliud, sine positivo influxu prioris in posterius ; i. e. si prius non est ratio cur existat posterius, v. c. prima pars viae, diei, orationis.  
 intrinsecus — si sequitur... cum positivo influxu ; i. e. si prius est ratio cur...  
 in ordine logico : si prius communicat cognoscibilitatem alteri, i. e. si est ratio cur alterum a nobis cognosci possit, v. c. primae veritates scientiarum.  
 in ordine physico : si prius communicat esse alteri, i. e. si est ratio cur alterum existat, v. c. variae causae.

3) Inter varias prioritates enumeratas saepe vix discernere valemus practice, v. c. num suppositione, an natura, an ordine, an ratione aliquid sit prius vel posterius.

**Prob.** Reducitur haec definitio ad duo elementa includenda generatim : 1) prioritatem aliquam principii ante principiatum, — 2) nexum aliquem consecutionis a principio ad principiatum ; — a. inductione facta, ex sensu communi et usu hominum, haec duo sufficiunt et requiruntur ad notionem generalem principii ; e.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ex tanta varietate prioritatum et nexuum, patet principii nomen et conceptum non esse univocum sed analogum.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Prior formula definitionis proposita a S. Thoma, solum exprimit conceptum communem principii ; — altera, Aristotelis, simul indicat partitionem principiorum.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ubi plura sunt tempore simul, sed natura aliud alio prius, dicuntur esse in signo naturae priore, et in signo naturae posteriore, i. e. in cognitione nostra ea esse prius, et posterius.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** *Semper id, quod est per se, prius est eo quod est per aliud, vel per accidens ; seu : semper id, quod spectat ad naturam, est principium in quolibet.*

**Propositio 55.**

**Conceptum habemus verae causalitatis, eumque objective realem.**

**Notiones.** 1) *Causalitas* est relatio causae ad effectum. — *Causa* est principium essendi alteri, i. e. id quod influxu suo positivo dat esse alteri a se distincto ; ejus elementa sunt : a) ut sit principium nexu intrinseco, — b) ab effectu suo distinctum realiter, — c) producens in esse, i. e. in existentiam vel in essentiam constituens.

2) A causa distinguendae sunt *ocasio* et *conditio* :

a) *Conditio* est id quod requiritur ut causa producere possit effectum, ita tamen ut per se non influat in esse effectus, v. c. lux ad scribendum, solutio pedum ad currendum. — *Conditio* alia est sine qua potest tamen produci effectus, quia suppleri potest una conditio per aliam, v. c. lux solis vel lux lampadis ad scribendum ; — alia est sine qua non potest..., quia suppleri nequit per aliam.

b) *Ocasio* est id quod non requiritur, nec per se influat, sed opportunum est ut causa producat effectum, v. c. tenebrae ad furandum, festivitas ad pietatis actum.

**Stat. quaest.** Contendit *Hume* : a) nos non habere conceptum causalitatis, sed successionis tantum plurium rerum, — b) conceptum causalitatis non esse objective realem, quia nescimus modum quo causa novum ens producat.

**Prop. 1<sup>a</sup> pars (habemus).** 1<sup>o</sup> Teste experientia sensus intimi : a) habemus ideam rei, qua interveniente, nova alia res existere incipit, — b) hanc ideam



distinguiamus a mera successione rerum sine nexu intrinseco, et a mera conditione, etiam sine qua non, et ab occasione; *e.*

2<sup>o</sup> Notionem causae in omnium gentium linguis plurimae voces exprimunt, v. c. *facio, traho, movéo, quia, cur, ergo, propter.*

**Prop. 2<sup>a</sup> pars (objective realem).** Teste experientia sensus intimi, aliquando agimur, et aliquando agimus, i. e. aliquando sunt in nobis mutationes non a nobis pendentes, v. c. si vulneramur ab alio; aliquando sunt in nobis a nobis pendentes, ita ut non nisi nostro interventu esse incipiant et desinant, v. c. si libere currimus; — *a.* talis experientia implicat conscientiam alicujus activitatis sive causalitatis; et ex ea potest intellectus abstrahere conceptum objective realem causalitatis in genere, i. e. rei qua interveniente aliquid incipit existere; *e.*

**Objic. 1<sup>o</sup>** Non cognoscimus modum quo causa agat. — *R. d.* non distincte et specificè, *c;* non genericè et saltem confuse, *n.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Experientia non attingit causalitatem. — *R. d.* externa, *c;* interna, *sd.* non attingit in specie quatenam sit causalitas singularum causarum, *c;* non in genere necessitatem et sufficientiam unius rei ut altera producat, *n.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Conscientia attingit facta, non causas. — *R. d.* non causas externas facti, *c;* internas, *sd.* conscientia sola, *tr;* simul cum intellectu, *n.*

## § 2. DE CAUSA EFFICIENTE.

Variae erunt de hac causalitate considerationes; praemissa enim causae efficientis notione, relatio causae ad effectum suum stabilienda est, deinde actionum varietas et specificatio. Post haec quaerenda erit causa physica actionis efficientis, ejusque relatio ad substantiam seu ipsum agens, atque ita notiones venient generales de potentiis earumque divisione, natura, ortu. Tandem conditio necessaria omnis actionis veniet examinanda, praesentia nempe agentis ad passum.

### Propositio 5<sup>a</sup>.

**Causa efficiens recte definitur : principium actione sua determinans existentiam alicujus rei novae.**

**Notiones.** 1) Causa generatim est principium essendi alterius; sed quum influxus causae possit esse varius, dividitur causa :

- |            |            |   |   |
|------------|------------|---|---|
| extrinseca | —          | — | adaequate distincta ab effectu.                         |
| }          | efficiens  | — | si influit actione sua physica in existentiam alterius. |
|            | finalis    | — | si influit bonitate sua agentem alliciendo.             |
|            | exemplaris | — | si influit cognitione sui agentem dirigendo.            |
| intrinseca | —          | — | inadaequate distincta ab effectu.                       |
| }          | materialis | — | si influit ut pars determinabilis.                      |
|            | formalis   | — | si influit ut pars determinativa.                       |

2) *Causam efficientem* sensu communi cognoscimus ut id a quo aliquid fit; — eam definit Aristoteles « principium transmutationis in alio prout aliud est; » — sed sic non includit ideam causae creantis, i. e. producentis ipsum primum esse rei sine praevio subjecto.

**Prob.** Proposita definitio tria enuntiat elementa : 1) principium seu vim, — 2) rem novam existentem, — 3) determinationem ab activitate principii; — *a.* ex inductione, sensu communi et usu hominum, haec tria requiruntur et sufficiunt ad notionem causae efficientis; *e.*

*Ad maj.* 1) *Vis* non eo ipso quod est, agit; sed potest *a)* esse in actu primo remoto, i. e. in potentia ad agendum, — vel *b)* in actu primo proximo, i. e. expedita ad agendum, si omnia requisita adsunt, — vel *c)* in actu secundo, i. e. hic et nunc exercens suam activitatem.

2) *Nova res* i. e. *effectus*, seu *terminus intrinsecus* actionis, est illud quod fit, quodcumque sit, sive substantia, sive accidens, in ipso agente manens, vel in alio productum.

3) *Determinatio* ab activitate principii, i. e. *actio*; — hujus ideam habemus haud obscuram, sed confusam (non distinctam); — est *a)* id quo interveniente aliquid fit, seu procedit a causa; — *b)* id quo agens est hic et nunc causans; unde actio et causalitas efficiens idem dicunt.

**Schol. 1<sup>m</sup>** *Ulterius naturam activitatis* seu influxus causae in effectum perspicere non valemus; — facile omnes concedunt : *a)* actionem non esse aliquid medium realiter distinctum inter agens et effectum; — *b)* actionem unius esse passionem alterius, i. e. effectum productum a causa esse realiter ipsam passionem seu modificationem alterius rei, nec distingui nisi ratione; — sed *c)* disputant utrum actio sit aliquid etiam realiter in agente, i. e. utrum causa agendo in aliud etiam ipsa immutetur : affirmat Scotus, negat S<sup>us</sup> Thomas.

**Schol. 2<sup>m</sup>** *Terminus intrinsecus* actionis : *a)* si est nova substantia totaliter sumpta, non recipitur in aliquo subjecto, sed est ipsum subjectum novum; talis actio vocatur *creatio*;

*b)* si est nova forma substantialis, haec recipitur in subjecto, scilicet in materia prima, et vocatur talis actio *mutatio substantialis*;

*c)* si est novum accidens (forma accidentalis), recipitur vel in subjecto ipso agente, et vocatur *actio : immanens*;

*d)* vel recipitur in alio subjecto ab agente distincto, et vocatur *actio : transiens*.

*N. B.* Etiam creatio et mutatio substantialis vocantur actiones *transeuntes*, quia non immanentes; — ita latiori analogico sensu etiam in Deo intellectio et volitio dicuntur actiones *immanentes*, quia non transeuntes; quamquam nullus in Deo recipitur terminus novus.

**Schol. 3<sup>m</sup>** A termino *intrinseco* actionis distinguendus est ejus terminus *extrinsecus*, seu *patiens*, i. e. subjectum quod terminum intrinsecum in se recipit. — Hic terminus receptus, quatenus est in subjecto aliquid physice

existens, vocatur ejus *forma* (substantialis vel accidentalis); quatenus est ex activitate seu sub influxu agentis, vocatur *passio*; quatenus est immediate productum ab agente, vocatur ejus *actio*. Distinctione rationis ergo differunt *forma*, *passio* unius, *actio* alterius.

**Schol. 4<sup>m</sup>** Respectu dependentiae suae actio est :

- violenta — — quae contra inclinationem subjecti in eo producitur.
- innaturalis — — contra inclinationem naturalem, etiamsi nullus sit actualiter actus elicited inclinationis.
- coacta — — contra inclinationem actu elicited subjecti.
- spontanea — — quae sine violentia ab extra, sed cum necessitate ab intra producitur.
- (stricto sensu : sub ductu cognitionis elicited.
- (latiore sensu : sine cognitione, immanenter tamen producta.
- analogice — : sine cognitione, nec immanens, sed transiens, a principio tamen intrinseco procedens.
- libera — — — quae sine ulla necessitate antecedente, a potentia producitur quae habeat *indifferentiam* :
  - (contradictionis (exercitii) : ad agendum vel non agendum.
  - (specificationis : ad agendum circa objecta formalia diversa.
  - (contrarietatis : ad exercendos actus contrarios circa idem objectum.

#### Propositio 57.

**Causa omnis adaequata continet virtualiter quidquid est perfectionis in effectu.**

**Notiones.** *Causa adaequata* : quae per se solam potest producere effectum; — *inadaequata* : quae non per se solam sufficit, sed aliarum indiget auxilio causarum partialium, quae vocantur *concausae*.

*Virtualiter*, i. e. habet aequivalentem perfectionem, et quidem sive *formaliter*, i. e. perfectionem ejusdem speciei cum effectu suo, v. e. res calida calorem producens, et haec est *causa univoca*; — sive *eminenter*, i. e. perfectionem excellentioris ordinis, quae idem sed melius praestet ac suus effectus, et haec est *causa aequivoca*.

**Prob.** De notione causae est producere novum effectum, i. e. communicare novam perfectionem; *a.* nemo dat quod non habet; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** De causa *inadaequata* idem cum proportione dicendum; scilicet continet perfectionem quae et quatenus ab ipsa procedit in effectum.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** *Effectus non superat causam*, i. e. nullus effectus potest esse perfectior adaequata causa sua; secus contineret aliquam perfectionem quam non contineret causa; — dicitur etiam : *natura non potest ferri supra seipsam*.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** *Omne agens agit sibi simile*, i. e. in effectu ponit perfectionem suae similem aliquomodo.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Similitudo effectus est potius cum causa principali (i. e. a qua

primario producitur et pendet) quam cum causa instrumentali (i. e. quae ab alia principali movetur et regitur, v. e. calamus scriptoris).

**Coroll. 5<sup>m</sup>** *Causa necessaria*, positis omnibus requisitis, *tantum semper agit, quantum potest*; nam haec est differentia inter causam liberam et necessariam, quod positis omnibus ad agendum requisitis, libera possit se determinare ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum; necessaria autem sit natura sua determinata ad agendum; ergo si positis omnibus requisitis causa in toto vel in parte non ageret, esset in toto vel in parte non necessaria sed libera.

**Coroll. 6<sup>m</sup>** *Quale esse tale operari*, i. e. ex perfectione effectus aestimare licet perfectionem causae necessariae, seu : modus operandi sequitur modum essendi (sed hoc intelligendum de modo essendi causae, nam modus accidentalis saepe nihil mutat quoad effectum).

**Coroll. 7<sup>m</sup>** *Effectus causae necessariae proportionatus est tempori*.

**Coroll. 8<sup>m</sup>** De causae libertate judicare licet ex inconstantia actionis et modi agendi, in iisdem circumstantiis, positis omnibus requisitis.

**Coroll. 9<sup>m</sup>** Effectuum diversitas non semper causarum multipliciter arguit, nam potest una causa plures diversos habere effectus.

**Coroll. 10<sup>m</sup>** *Causa causae est causa causati*, i. e. causa quae causam immediatam effectus producit et determinat ad agendum, debet dici causa, mediata quidam sed vera, hujus effectus; — non tamen causa quae causam immediatam producit sed non determinat ad agendum, v. e. Deus peccatorem; — non agitur de causa quae aliam non producit, sed ad agendum regit et movet : haec enim non est causa causae sed causa principalis, altera est causa instrumentalis.

**Coroll. 11<sup>m</sup>** *Causa in actu simul est cum effectu in actu*, i. e. causa, prout est actu causa efficiens, necessario includit effectum aliquem suo conatui accommodatum, et ad quem immediate ordinatur.

**Coroll. 12<sup>m</sup>** *In serie causarum efficientium non datur processus in infinitum*, nam hae causae, *inter se subordinatae*, nullam haberent primam, nec proin mediam nec ultimam, neque ullum effectum ultimum. Non tamen eadem ratio probaret si causae dicerentur *coordinatae* seu inter se independentes, ubi non prior et posterior; tunc enim repugnaret tantum ex notione multitudinis infinitae (cfr. infra).

#### Propositio 58.

**Actio specificatur per suum objectum formale.**

**Stat. quaest. 1)** Quaeritur quomodo actiones inter se distinguantur, et quidem non de distinctione numerica sed specifica, essentiali, agitur. Et dicimus specie diversas esse actiones quae objecta formalia essentialiter diversa habent.

2) Actiones inter se differre possunt : 1) secundum intensitatem, v. e.

opinari, credere; — 2) secundum velocitatem, v. c. ambulare, currere; — 3) secundum habitum et privationem, v. c. quiescere et moveri; — 4) secundum objecta contraria ejusdem generis, v. c. videre album et nigrum; — 5) secundum objecta diversorum generum, v. c. apprehendere et moveri. — Ex his non quatuor priora sed solum quintum specificat actum. Quod de primo et secundo videtur satis clarum; — de tertio autem sufficit notare, habitum et privationem opponi ut ens et non ens, non vero ut entia opposita; — de quarto denique animadvertendum, objecta specie diversa sub eodem genere attingi actione proportionata notae genericae potius, quam notae specificaе objecti : haec enim modaliter tantum modificat actionem.

**Notiones.** 1) *Actio* hic intelligitur actus ultimus agentis, seu activitas ipsa qua subjectum constituitur formaliter agens; — est ergo actus ipse, non prout hic spectetur *objective*, i. e. prout consistit in hac vel illa entitate; — nec *terminative*, i. e. prout habet realitatem actualiter productam, seu in facto esse; — sed *principiative*, i. e. prout est in fieri sub influxu agentis.

2) Distinguendi sunt a) *terminus intrinsecus* actionis, i. e. id quod novum producitur actione; — b) *terminus extrinsecus passivus*, i. e. id quod perficitur actione, seu subjectum in quo recipitur novum illud productum; — c) *terminus extrinsecus activus*, i. e. id circa quod efficitur, seu ad quod essentia sua refertur novum illud.

3) Quoad actum cognitivum et appetitivum, iterum distinguendus est terminus extrinsecus *objectivus materialis*, seu objectum materiale, i. e. id quod cognoscitur, vel appetitur; — et terminus *objectivus formalis*, seu objectum formale, i. e. res sub quo respectu cognoscitur vel appetitur.

4) Uno conspectu comparari possunt :

id quod producitur est :	ergo actionis terminus		
	intrinsecus	extrinsecus	
		passivus	activus
<i>immanens</i> in ipso agente.			
<i>latiori sensu</i> : in supposito agente			
aliquod accidens : locomotio — — —	motus localis	supp. agens	id ad quod movetur
novae partes, organa, partium augmenta, } vegetatio	haec partes	supp. agens	— — — —
<i>strictiori sensu</i> : in ipsa facultate elicente			
{ cognitio — — —	cognitio	{ facultas eliciens	res cognita
{ appetitio — — —	appetitio		res appetita
<i>transiens</i> ex agente in aliud patiens — — — —	haec mutatio	res mutata	— — — —

5) *Objectum formale* per quod specificatur actio est terminus extrinsecus *objectivus formalis*, quoties ille habetur (in locomotione, cognitione, appetitione); et est terminus intrinsecus quoties *objectivus nullus* est (in vegetatione, et actione transeunte); nunquam autem terminus extrinsecus passivus.

**Prob.** Actio est activitas qua agens producit aliquid novum; ac proinde est essentialiter alia, i. e. aliter coaptata, ut producat aliquid novum essentialiter aliud; a. illud novum est essentialiter aliud quoties *objectum formale* actionis est essentialiter aliud; e.

*Ad maj.* Activitas agentis est medium quod physice determinare debet novum ens ut existat, et ut tale existat.

*Ad min. 1 part.* Si nullus est terminus *objectivus* extrinsecus actionis (scilicet in actione vegetativa et actione transeunte), ipsa res nova producta seu terminus intrinsecus actionis est ejusdem *objectum formale*; e.

*Ad 2 part.* Si datur terminus *objectivus* extrinsecus actionis, ipse est *objectum formale* actionis, et ad illum habet res nova producta relationem vi essentiae suae (scilicet cognitio, appetitio, motus localis); a. quod vi essentiae suae habet relationem, est essentialiter aliud si terminus hujus relationis generice, i. e. tota essentia, est alius; e.

**Schol. 1<sup>m</sup>** In actu viventis aliud impellentis, v. c. hominis manu globum moventis, distinguendus est actus immanens locomotionis propriae, saltem partialis (manum moventis), et actus transiens impulsione alterius; prioris actionis principium est potentia locomotiva immanens; posterioris principium est potentia resistiva, elastica, etc.

**Schol. 2<sup>m</sup>** In propositione dicimus ab objecto desumi specificationem actus, sed non dicimus a solo objecto desumi posse. Desumitur enim saepe etiam a principio specificè diverso, v. c. intellectio angelica et humana, fides naturalis et supernaturalis, etiam ubi *objectum formale* esset idem. Nam modus operandi sequitur modum essendi, i. e. tam perfecta et excellens, et eo modo perfecta est circa suum *objectum operatio*, quam perfecta et qualis est essentia operantis. Si ergo poterit aliunde constare de essentia, poterit etiam inde concludi essentialis perfectio actus, v. c. an sit materialis, finitus, dependens, vitalis.

**Schol. 3<sup>m</sup>** In his omnibus satis clarum est nullum esse sermonem de divinis, sed de creatis tantum; nam in Deo summa est simplicitas, nulla multiplicabilitas, nec numerica nec specifica.

Propositio 59.

Omni actioni correspondet duplex potentia : activa in agente, ex qua effectus dimanat; et passiva in patiente, quae per effectum actuatur et perficitur.

**Stat. quaest. 1)** De solis creatis agitur, nam de Deo cfr. theol. nat.

2) In actione transeunte patet potentiam activam et potentiam passivam realiter distingui, nam sunt in duobus subjectis distinctis; sed utrum in

*actione immanente*, quum sint in eodem subjecto, etiam sint realiter an ratione tantum distinctae, non est hic inquirendum. Affirmamus solam existentiam illarum.

3) Quaestio igitur haec est, *quibus ex principiis oriatur actio*. Et evidenter principium actionis est substantia agens, quae utpote natura, est principium primum radicale omnium actionum et passionum; neque de isto primo principio jam quaeritur amplius. Verum quaeritur nunc de principiis proximis, de illis nimirum quae non radix prima et indifferens sint ad hanc vel illam specificam actionem producendam, hoc vel illo modo; sed quae proxime et determinate hanc actionem potius quam aliam, hoc potius quam illo modo, faciat a substantia produci.

4) Tale principium dicimus esse *potentiam correspondentem*. Potentia hic non intelligenda est potentia *objectiva*, mera possibilitas actionis; nam quaeritur de physico aliquo principio agendi. Potentia ergo erit *subjectiva*, i. e. aliquid positivi existens in agente, vi cuius possit agere; et aliquid positivi in patiente existens, vi cuius possit pati talem effectum. Haec potentia utrum a subjecto suo, a substantia, sit realiter an ratione tantum distincta, nondum hic, sed mox infra inquiremus.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (potentia activa).** Ut aliquis effectus ab agente substantia vere producat, debet haec substantia habere in se aptitudinem aliquam seu capacitatem proportionatam ad hanc specificam actionem producendam; — a. haec aptitudo proportionata: 1) est aliquid positivum in substantia existens, non merum figmentum mentis nostrae; — 2) correspondet specificae actioni ad quam producendam destinatur; — 3) actione non perficitur ac recipit effectum in se, sed causa est cur effectus extra potentiam in passo existat, ac proinde ex ipsa dimanet; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (potentia passiva).** Ut aliquis novus effectus in subjecto patiente vere producat, debet hoc subjectum habere in se aptitudinem aliquam proportionatam ad hanc specificam sumptam mutationem subeundam; — a. haec aptitudo proportionata: 1) non est figmentum mentis, sed aliquid positivi in subjecto existens; — 2) correspondet specificae actioni ad quam patiendam destinatur; — 3) recipiens effectum, non illum mecanice, sicut in vase, per merum contactum extrinsecum accipit, sed physice et intrinsece, tamquam subjecto inhaerentem; ac proinde subjectum fit actu id quod antea erat in potentia, seu quod poterat esse; e.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo potentia subjectiva, tum activa tum passiva, ab actu suo realiter distinguitur; nam: 1) potentia activa est realiter principium effectivum actionis; a. vera efficientia non est nisi inter ea quae realiter differunt (secus eadem res seipsam efficeret); — 2) potentia passiva est realiter praesupposita, ut praexistens in subjecto patiente, ante receptionem actionis; a. nequit eadem res sibi ipsi realiter praexistere.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo potentia subjectiva, tum activa tum passiva, ab actu suo essentialiter differt; nam sibi mutuo opponuntur ut causa et effectus, se mutuo excludunt ut privatio et habitus.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ergo *potentia est ejus cuius est actus*, i. e. cui subjecto convenit habere hunc aliquem actum, huic convenit habere correspondentem potentiam.

### Propositio 60.

**Potentia subjectiva specificatur per actionem correspondentem.**

**Stat. quaest.** 1) Quaeritur de distinctione essentiali inter varias potentias activas, et inter varias potentias passivas. Nondum explicite quaerimus utrum istae distinctiones sint reales et physicae, an vero rationis rationatae tantum, de quo mox infra. Quaeritur ergo proprie quomodo debeant inter se potentiae specificari.

2) Explicant a) alii: potentias per actus distinguere a posteriori, tanquam per effectus suos; — b) alii per actus distinguere a priori, tanquam per causam, sed extrinsecam, non intrinsecam; — c) alii, cum S<sup>o</sup> Thoma: per actus distinguere intrinsece et essentialiter, non quod ipsi actus sint differentiae intrinsece constituentes potentias, sed quod in coaptatione intrinseca ad actus consistit intrinseca differentia specifica potentialium. — Hanc ultimam tenemus explicationem.

3) Dicimus igitur: a) talem esse speciem potentiae, qualis sit species actionis ad quam producendam vel patiendam ordinatur; — b) essentialiter aliam esse potentiam, ubi ad essentialiter aliam actionem ordinatur.

4) Non tamen dicimus aliam esse potentiam activam, ubi ad actiones diversas circa objectum formale generice idem ordinatur, v. c. idem appetitus bonum suum possidens fruitur, anhelans bonum absens cupit, bonum futurum exspectans sperat.

**Prob.** Ea quae *suapte natura* ad aliud referuntur, necessario suam distinctionem ab illo alio sumunt; a. potentiae subjectivae suapte natura referuntur ad actiones correspondentes, producendas vel recipiendas; e.

**Ad maj.** Si sua natura ad aliud referuntur, eorum essentia est referri ad aliud istud; a. sic suam distinctionem aliter nequeunt habere nisi per istud aliud; e.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Actiones sunt posteriores potentiis; a. specificans praesupponitur specificato; e. — R. d. maj. in ratione finis, n; in ratione executionis, c; — c. d. min. praesupponitur saltem aliquomodo, v. c. in ratione finis, c; semper in ratione executionis, n.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Nota specifica est intrinseca specificato; a. actio est extrinseca potentiae; e. — R. d. maj. nota ipsa specifica, c; res unde nobis agnoscitur specificatio, et ex qua ut ex fine determinatur specificatio, n. — d. min. actio est extrinseca potentiae (i. e. potentia non est actio vel aliquid actionis), c; ipse ordo ad actiones est extrinsecus potentiae, n.

**Objic. 3<sup>o</sup>** Distinctivum et constitutivum rei debet esse aliquid determinatum et indivisibile; a. actiones (et objecta) quae ad unam potentiam per-

minent, sunt multiplices; *e.* — *R. c. maj. et min.*; — *d. cons.* non specificatur potentia per ultimas determinationes et modificationes actuum, *e.*; non per notam communem harum actionum essentialem, *n.*

### Propositio 61.

**Potentiae naturales realiter distinguuntur inter se et a substantia.**

**Stat. quaest.** 1) Ex dictis passim in praecedentibus colligi potest divisio potentialium, ita ut sit

- |  |  |
|--|--|
| <p>potentia — — principium proximum operandi vel patendi.<br/>         naturalis — — proprietates inseparabiles substantiae, principium quo operari potest, sine quo non potest.<br/>         accidentalis — — non inseparabilis proprietates, sed accidentalis separabilis qualitas, principium proximum quo substantia operatur (accidens absolutum physicum),<br/>         sine qua non potest substantia has operationes efficere (v. c. qualitas sensibilis).<br/>         sine qua tamen potest, sed minus facile (habitus, dispositio, aptitudo mobilis).</p> | <p>2) De potentiis accidentalibus, accidentibus absolutis physicis, notum jam satis est, eas esse tum inter se, tum a substantia realiter distinctas.<br/>         3) Sed manet quaestio de ipsis potentiis naturalibus: utrum et ipsae, licet a substantia inseparabiles proprietates, quoad essentiam tamen propriam sint accidentales qualitates, accidentia absoluta physica; an vero aliud nihil sint nisi ipsa substantia, natura, per varios mentis nostrae conceptus, sub distinctione rationis ratiocinatae repraesentata. Prius affirmamus cum scholasticis longe plurimis; alterum tenent nominales, et inter recentiores ii omnes qui praeter substantiam nihil dignoscunt; tertiam aliquam intermediam sententiam defendunt Scotistae, distinctionem suam formalem afferentes.<br/>         4) Supponimus ut evidens: a) actionem terminative spectatam esse vere aliquid reale, aliquam entitatem accidentalem, non merum figmentum mentis nostrae; — b) actionem esse realiter distinctam a substantia, tum agente tum patiente; — c) actiones inter se esse realiter distinctas.</p> |
|--|--|

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (inter se).** Potentiae naturales, 1) sunt in substantia aliquid reale physicum, non merum mentis figmentum, sed influens in effectus; — 2) essentia sua proportionatae ac destinatae singulae ad singulas operationum vel passionum species, et quidem proportionem ultimo specificata; — 3) independentes aliae ab aliis possunt intendi, remitti, minui, tabescere; — *a.* quae talia sunt, inter se etiam realiter distinguuntur; *e.*

*Ad maj.* Haec omnia ex ipsa notione potentialium activarum et passivarum, et ex antea probatis, nunc supponi debent.

*Ad min.* Intelligi non possunt realitates physicae, quae vi suae essentiae

sint determinatae ad alias, imo ad oppositas specificationes, quae in suo esse et operari possunt simul aliae intendi et crescere, aliae minui et tabescere, ita tamen ut sint a parte rei unum idemque reale physicum, et distinctio rationis tantum interveniat; at vero si distinctio realis interveniat, et quidem tunc solum, optime et plane omnia intelliguntur; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (a substantia).** 1<sup>o</sup> In una eademque individua substantia possunt plures numero et specie realiter distinctae potentiae naturales esse; *e.*

**Prob. 2<sup>o</sup>** Potentia subjectiva naturalis est dispositio substantiae qua possit determinate hanc specificam actionem potius quam aliam producere vel pati; — substantia vero, seu natura, est principium agendi vel patendi, non hanc specificam actionem potius quam aliam, sed proportionatum radicaliter ad plures varias indifferentes; — *a.* nequit unum idemque esse realiter indifferens ad varias actiones, ad quas habeat proportionem et destinationem radicalem, generalem tantum, et tamen esse simul ultimo specificè determinatum ac proportionatum ad unam specificam actionem potius quam ad alias; *e.*

**Idem aliis verbis.** Ab uno ente finito, ut uno, non possunt plura genere diversa procedere effective (vel recipi passive) immediate; *a.* a substantia finita una multae procedunt operationes effective (vel recipiuntur passive) genere diversae; *e.* ab ea non ut una procedunt, sed ab ea ut aliquomodo multiplici, nempe in potentiis.

*Ad maj.* Si est unum, manet, ut unum, indifferens ad varias operationes, ac proinde manet determinandum, diversificandum ad eas per additam determinationem, quae erit potentia.

*Ad min.* v. c. operationes resistivae, attractivae, electricae, vegetativae, sensitivae, intellectuales.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; *a.* substantia per seipsam suas operationes efficere potest; *e.* — *R. c. maj.* — *n. min.* (potentia quae per accidens actuatur immediate, nequit esse substantia, sed qualitas substantiae; nam natura actuaretur per se, i. e. necessario et semper eodem modo; non per accidens, i. e. differenter pro adjunctis, et actionibus specificè diversis).

**Objic. 2<sup>o</sup>** Substantia potentias suas activas a se distinctas exigeret aut ob perfectionem suam, aut ob imperfectionem suam; *a.* neutrum; *e.* — *Prob. min. 1 part.* Jam in Deo infinite perfecto potentia activa ab essentia distingueretur. — *2 part.* Qualitas addita imperfectior est quam ipsa substantia; *a.* haec ejus imperfectio non obstat quominus immediate operetur; *e.* neque imperfectio substantiae obstare potest.

*R. d. maj.* aut ob meram perfectionem, aut ob meram imperfectionem suam, *n.*; ob suam perfectionem, non tamen omnimodam, sed imperfectioni mistam, *e.* (*perfectio* haec est, quod substantia seu natura de se est principium remotum actionum, ac proinde habet exigentiam ad potentias habendas, i. e. principia proxima; *imperfectio* admixta est quod substantia de se non omnes perfectionis accidentales modos subjecto tribuere potest).

**Objic. 3°** Natura tendit ad fines suos via qua potest brevissima; *a.* brevior via identitatis est quam distinctionis; *e.* — *R. d. maj.* via absolute brevissima, *n;* ad finem intentum brevissima, *c.* — *c. d. min.* brevior absolute, *c;* relate ad finem intentum, scilicet varietatem, perfectionem, opulentiam, *n.*

**Objic. 4°** Substantia est per seipsam saltem principium radicale operationum; *e.* per seipsam in potentia ad eas; *e.* non addenda alia potentia. — *R. c. ant;* — *d. 1<sup>m</sup> cons.* in potentia remota, indifferente, *c;* in potentia propinqua, specifica, *n.* — *n. 2<sup>m</sup> cons.*

**Objic. 5°** Si substantia est distincta a potentiis suis, ipsa de se est in potentia ad illas ut subjectum inhaesionis receptivum illarum; *a.* ita aut substantia est idem cum potentia hac, aut iterum de se in potentia ad hanc..., et abimus in infinitum. — *R. d. maj.* si... a potentiis suis, ipsa est in potentia propinqua, determinata *privativa passiva* ad illas, *c;* secus, *n;* — *c. d. min.*

**Objic. 6°** Ens in tantum agit, in quantum est in actu, seu per eam formam est agens per quam est in actu; *a.* substantia est in actu per formam substantialem; *e.* non per potentiam quae sit aliqua forma accidentalis, est agens. — *R. d. maj.* per eandem formam agit tanquam per virtutem radicalem et remotam, ac principalem, *c;* tanquam per virtutem immediatam et proximam, *n;* — *c. min.* — *d. par. cons.*

**Schol.** Duo alia saepe afferuntur argumenta pro distinctione reali potentialium a substantia :

*Dicunt 1°* Actus, et potentia realiter ad actum ordinata, sunt in eodem ordine seu genere supremo (i. e. si actus alicujus potentiae est accidens, potentia quae ad hunc actum ordinatur est et ipsa accidentalis qualitas); *a.* actio et passio sunt accidentia; *e.* potentiae ad illas sunt accidentia. *Et explicant majorem :* potentia est potentialiter id quod actus est actu.

*Sed R. 1)* Nimis probat, ergo nihil probat; nam eodem argumento diceretur substantia esse accidens, *v. c. :* Actus et potentia sunt in eodem genere; *a.* potentia subjectiva dicitur esse qualitas aliqua accidentalis realis, i. e. aliquis actus accidentalis; *e.* ipsa substantia seu natura (quae potentia receptiva ordinata ad hanc qualitatem recipiendam), dicenda est esse in ordine accidentium, seu accidens aliquod. — *Et R. 2)* Negari posset explicatio allata ad majorem; nam correlata quidem sunt potentia et actus, sed si potentia aliud non est nisi ipse actus potentialiter, non erit nisi negatio actus cum connotatione subjecti; *e.* erit ens rationis; — vel erit realiter ipsum subjectum cum connotatione negationis actus; *e.* non realiter distincta erit a substantia.

*Dicunt 2°* Natura interna rerum judicanda est ex modo quo in externis habere se solet; *a.* in externis solet ad munia singula adhibere principia proxima, organa, qualitates, activitates, etc; *e.*

*Sed R. 1)* Transit argumentum ab uno ordine ad alium (ab externis organis, etc, ad internam naturam agentis); *e.* ab analogia probabili tantum. — *Et R. 2)* Organa non sunt distincta a corpore, nisi tanquam partes a toto; et de qualitatibus, activitatibus, ipsa quaestio movetur.

### Propositio 62.

**Potentiae naturales entis ab ejus natura physice emanant.**

**Stat. quaest. 1)** In responsionibus ad praecedentes difficultates, aliqua innuimus ex quibus nova oritur quaestio resolvenda : quomodo se habeant inter se substantia et potentia naturalis, seu quomodo ex substantia oriatur potentia, quaeve sit potentiae in substantia existentis causa efficiens. Difficultas siquidem est, quod si potentia est reale quid a substantia distinctum, substantia nude sumpta aut eam sibi efficit aut ab alio patiens accipit; *a.* ad utrumque praesupponitur jam alia potentia, sive activa, sive passiva, de qua redibit quaestio; et ita porro in infinitum. Vel si quando dicatur substantia esse per seipsam potentia prima, jam a pari non repugnabit ut ipsa per seipsam sit omnes potentiae.

2) Ad solutionem tres variae afferuntur sententiae :

a) potentias comproduci substantiae ab eadem causa extrinseca efficiente; sive dicatur causa una actione utrumque effectum simul producere, sive duplici actione duplicem effectum distincte;

b) a causa extrinseca produci substantiam, quae deinde propria activitate sibi producat potentias;

c) a causa extrinseca produci substantiam, ex qua dein naturali necessitate physice emanent potentiae, sive haec necessitas naturalis dicatur esse absoluta, sive hypothetica physica.

3) Nos hic defendimus tertiam sententiam, ita eam explicantes : Causa extrinseca efficiens producit uno actu ipsam substantiam, ad quam primo et per se terminatur actus efficiens, ut ad naturam, i. e. ut ad inclinationem radicalem entis in finem suum; sed ex hac natura necessario sponte dimanant variae inclinationes secundariae, sive in eundem finem sub variis respectibus, sive in media varia ad eundem finem; et hae sunt potentiae variae et proprietates substantiae ex ea emanantes, ad quas secundo et per consequens terminatur actus efficiens causae extrinsecae.

4) Ad facilitatem probationis sint tres partes :

a) potentias non comproduci ab agente exteriori, actione quae primo et per se aequae ad potentias et ad substantiam terminetur (contra 1<sup>m</sup> sententiam).

b) eas non produci a substantia, actione aliqua propria (contra 2<sup>m</sup> sent.)

c) sed eas manare e substantia, ac proinde comproduci ab agente externo, actione quae ad eas secundo et per consequens terminetur.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*non ab agente externo*). Natura est principium intrinsecum primum radicale ceterorum omnium quae in re aliqua sunt; potentiae autem sunt principia secundaria proxima operationum vel passionum, fundata in natura et ordinata ad illam perficiendam; *a.* si natura et potentiae aequae primo a causa efficiente producerentur, jam non haec distinctio et subordinatio maneret; *e.*

*Ad min.* Si aequae primo producuntur, jam : 1) sunt formae coordinatae,

non subordinatae ut finis et media *vi suae essentiae*, sed ad summum ex intentione producentis; — 2) esse quidem poterit in natura aliqua exigentia ad habendas potentias, sed potentiae non erant *essentialiter* fundatae in natura illique proportionatae.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*non a substantia, actione propria*). 1<sup>o</sup> Ratio cur admitti debeant potentiae realiter distinctae a natura, est quod natura, seu substantia, nequit esse principium immediatum quo operationum variarum; *a.* si substantia propria actione produceret suas potentias, jam substantia esset principium immediatum quo operandi, et quidem varie operandi (nam variae producendae sunt potentiae); *e.*

**Prob. 2<sup>o</sup>** Si substantia esset principium proximum quo producantur suae potentiae, ipsa eminenter contineret eas potentias, et proinde ipsa sufficiens esset ut per se et immediate earum operationes produceret; *a.* tunc redundant eae potentiae et sine ratione admittuntur; *e.*

**Prob. 3<sup>o</sup>** Nihil in seipsum stricte primo et per se operatur; *a.* substantia sibi efficiens potentias, in seipsam primo et per se operaretur; *e.*

*Ad maj.* Quod movetur, ab alio movetur, i. e. agens debet esse in actu, patiens in potentia; *e.* non sunt idem; sed semper unum principium proximum in aliud operatur, etiam si sint in eodem subjecto supposito.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*sed a substantia, per emanationem*). Potentiae seu proprietatis conceptus necessario importat: 1) ut proprietatum causa sit substantia, non solum subjectiva, sed quadantenus effectiva; — 2) non tamen per veram et propriam actionem a substantia producantur; — 3) ut sint vere et essentialiter subordinatae ad substantiam ut media ad finem; — 4) ut sint inseparabiles a substantia; — *a.* has notas proprietatum servat nostra explicatio, et quidem ea sola; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo *dans formam dat omnia consequentia formam*, scilicet ea quae formam necessario consequuntur, seu ad ejus essentialem perfectionem pertinent.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo *proprietatum deletio est naturae negatio*, nam si natura adest, proprietates ex ea necessario emanant.

### Propositio 63.

**Actio in distans admitti nequit.**

**Stat. quaest.** 1) Sensus est: Causa efficiens nequit in aliud agere, nisi per se vel per aliud sit illi praesens, i. e. immediate vel mediate.

2) Res potest esse *praesens alteri*:

immediate — — — per suam entitatem.

per identitatem — si agens et patiens sunt idem, v. c. anima cogitans.

per unionem physicam, v. c. anima agens in corpus suum.

per contiguitatem, contactum, v. c. manus globulum pellens.

mediate — — — per aliam entitatem interpositam.

per instrumentum, v. c. miles lancea vulnerans.

per emanationem, seu emissionem, v. c. balsamum nares afficiens, miles sagitta vulnerans.

per actionem in causam aliam immediate applicatam patienti, v. c. sol illuminans aerem illuminat terram.

3) *Dynamistae* plerique defendunt corpora non nisi in distans agere, i. e. in passum ab agente separatum distantia vacua, quam nulla substantia occupet; *atomistae* plurimi: corpora in distans saltem agere posse, imo saepe agere de facto.

4) Cfr. *S. Thom.* 1 p. q. 8. a. 1; — verit. q. 9. a. 6.

**Prob. 1<sup>o</sup>** Ut sit effectus operatus in passo distante, dici deberet: 1) aut agens ibi agere principiative, ubi nullo modo est, — 2) aut agentis ibi applicari terminative virtutem operativam, — 3) aut ab agente ad passum trans vacuum perferri actionem ejus; — *a.* nihil horum dici potest; *e.*

*Prob. maj.* Non quaecumque mutatio cogitabilis in aliquo subjecto dicitur formaliter *passio* seu *effectus*, sed ea *quae et quatenus* est sub influxu virtutis operativae alterius, scilicet agentis; — *a.* haec virtus operativa spectari potest vel 1) principiative: prout est aliquid in subjecto agente, — vel 2) terminative: prout est aliquid in subjecto passo applicatum, — vel 3) in via influendi ab agente ad passum; — nec alius invenitur modus eam spectandi, qui sit ad rem nostram.

*Prob. min. 1 part. (principiative).* Ubi res nullo modo est, ibi res est nihil; *a.* nihil nec agere, nec influere, nec virtutem habere potest; *e.*

*Prob. min. 2 part. (terminative).* Nequit esse operatus effectus, nisi ubi est operatio terminative quae illum producit (nam est idem); *a.* nequit esse operatio terminativa nisi ubi est virtus operativa principiative; *e.*

*ad min.* Operatio terminativa non est actio agentis (*passio* alterius) nisi *quae et quatenus* est sub influxu agentis; *a.* sub influxu agentis esse nequit nisi ubi est agens virtute sua principiative influens, seu applicans virtutem suam (nam debet pro hoc instante actio esse accidens duorum simul subjectorum: agentis, ut ab eo dimanans, et patientis, ut in eo recepta).

*Prob. min 3 part. (in via).* Nequit actio, utpote accidens, existere sine sustentante se substantia; *a.* intervallo vacuo deberet ita concipi existens actio viatrix; *e.*

**Prob. 2<sup>o</sup>** (quoad sola corpora). Actio in distans attingeret passum: 1) aut ad certam aliquam necessariam distantiam (nec majorem nec minorem), — 2) aut ad minorem quamcumque usque ad certam aliquam (sed non majorem), — 3) aut tum intra tum ultra omnem distantiam assignabilem; — *a.* teste universali experientiae inductione, nihil horum dici potest; *e.*

*Prob. min. 1 part. (in certa distantia).* Experientia, tum vulgari tum scientifica, constat a sole et aliis corporibus diffundi ad alia corpora actionem continuam luminis, caloris, gravitatis, magneticam, etc; *a.* distantiae inter ea corpora jugiter immutantur; *e.*

*Prob. min. 2 et 3 part. (infra...; vel tum infra tum ultra).* Teste experientia, actio intensitate crescit vel decrescit pro distantia passi decresciente vel crescente; *a.* si actio esset sine intermedio ullo, deberet esse eadem pro omni distantia; *e.*

*ad min.* Manentibus iisdem conditionibus intrinsicis requisitis, 1) agens eadem intensitate agit, — 2) patiens eadem intensitate recipere potest, — 3) nulla immutatio vel imminutio intensitatis oriri potest nisi ex extrinsecis, scilicet ex medio, vel ex diffusionis modo actionis; — *a.* hic supponitur 1) manere eadem intrinseca, — 2) non dari medium quod immutet vel absorbeat, — 3) rationabiliter supponi nequit diffusio per vacuum sphaerice, actionis (existentis accidentis sine sustentante), cujus pauciores radii ad magis distans pertingant; *e.*

*Resumitur idem argumentum brevius.* Inductio omnium factorum quae attingere possumus, ostendit actionem non fieri in distans; quae autem afferuntur exempla inter atomos corporum, falsae et gratuito imaginatae nituntur theoriae, non experientiae factis; *e.*

**Objic. 1°** Substantiarum praesentiam cognoscimus solum ex earum operationibus; *e.* qui negat actionem in distans, negat rei praesentiam ibi esse, ubi res non est praesens; quod tautologicum. — *R. d. ant.* i. e. ex operationibus, ut effectibus, arguimus praesentiam substantiae ut causae, *e;* i. e. confundimus essentiam substantiae cum operationibus et viribus, sicut dynamistae, *n.* — *d. cons.* qui confundendo conceptum substantiae et conceptum operationum et virium..., *e;* qui arguendo a praesentia effectus ad praesentiam causae..., *n.*

**Objic. 2°** Agens nisi partim saltem compenetret passum, nunquam est *ibi*, *ubi* est passum, nec proin *ubi* actio sua, scilicet passio alterius; *a.* teste experientia agens non compenetrat passum; *e.* — *R. n. maj.* (si compenetrat, adest sua quantitate et entitate sua : sed etsi non compenetrat, dummodo tangat, adest suae quantitatis et entitatis limite *ibi*, *ubi* alterum limite suo entitatis et quantitatis; et poterit effectus non esse subito in toto, sed propagari successive per punctum communis praesentiae terminalis.

**Objic. 3°** Teste experientia, attractiones, repulsionem etc. moleculares et atomicae sunt in distans, licet minimis distantibus. — *R. n. totum* (cfr. cosmolog.).

**Objic. 4°** Agens in passum distans, etsi non applicatur per contactum dimensionum (limite entitatis), potest applicari per contactum virtutis. — *R. d.* virtutis intrinsecae, *n;* extrinsecae seu diffusae, *sd.* per medium, *e;* per vacuum, *n.*

**Objic. 5°** Proximitas est conditio, non causa; *e.* potest supernaturaliter auferri. — *R. d. ant.* conditio absolute necessaria, *e;* secus, *n.*

## § 3. DE CAUSA FINALI.

## Propositio 64.

**Finis vera et proprie dicta causa est.**

**Notiones.** 1) Finis est id propter quod aliquid fit; unde est idem ac bonum, et potest considerari a) in actu primo remoto : prout in se bonitatem appetendam includit, — b) in actu primo proximo : quum ejus bonitas per intellectum cognoscitur, — c) in actu secundo : quum post cognitionem voluntas actum appetendi elicit. — Ratio quae ad finem volendum movet est *motivum*, — actio vel opus ad finem consecutionem conducens est *medium*. — Finis amatur propter se, — medium propter aliud.

2) Distinguitur saepe : a) *finis qui*, i. e. illud bonum cujus adipiscendi gratia fit actio, v. c. sanitas in curatione; — *finis cui*, i. e. subjectum cui procuratur finis qui, v. c. aegrotus in curatione; — et *finis quo*, i. e. ipsa possessio finis qui, qua fruatur subjectum.

b) *finis operis* : in quem actio vel opus natura sua ordinatur, v. c. effigies in sculptione; — et *finis operantis* : in quem actio vel opus ex intentione agentis dirigitur, v. c. gloria artificis.

c) *finis intrinsecus* : bonum quod sit perfectio ipsius agentis vel operis, — et *finis extrinsecus* : bonum alterius, ad quod procurandum actio vel opus tendit.

d) *finis efficiendus* : qui intenditur ut sit, v. c. opus artis; — et *finis consequendus* : qui existens intenditur ut possideatur, v. c. Deus finis noster.

e) *finis ultimus* : qui non ipse ad alium ulteriorem ordinatur; isque sive simpliciter ultimus est : qui in omni serie actionum est ultimus; sive *ultimus secundum quid* : qui in certa serie actionum; — et *finis proximus* : ad quem nullus alius *intermedius* finis ordinatur, sed ipse ad alium ulteriorem ordinatur.

f) *finis primarius* : quem agens ita respicit ut, omni alio fine deficiente, etiam operaretur; — et *finis secundarius* : propter quem, si solus esset, opus non efficeretur.

**Prob.** Finis 1) realiter influit in operationem agentis, — 2) et sic mediate influit in ipsam existentiam effectus, — 3) ita ut in fine sit ratio cur haec operatio agentis, et hic effectus sint, ac proinde dependeant a fine; — *a.* ita habetur vera causalitas finis in effectum; *e.*

*Ad maj. 1 part. (in operationem)* Finis, teste experientia, per bonitatem suam agentem movet ad sui amorem, inde ad sui appetitum, inde ad electionem mediorum, inde ad imperium voluntatis quo facultates ceterae determinantur ad talem actionem; *a.* quod ita movet agentem non est mera conditio, vel occasio, sed vera causa; *e.*

*Ad maj. 2 part. (in existentiam effectus).* Sic finis est causa causae; *e.* causa



causati; nam causat vere in agente eas determinationes quae in causatum effectum influere debent immediate.

*Ad maj. 3 part. (est ratio).* Sic voluntas ea tantum agit ad quae allicitur a fine; *e.* ratio cur agens agat, seu cur effectus fiat, est vere in fine.

**Objic. 1°** Etiam cognita bonitate finis, voluntas libera est ut se determinet ad agendum, vel non; *e.* finis non influit, nec est causa. — *R. c. ant.* — *d. cons.* non influit solus, nec est causa adaequata, *c;* nullo modo influit, nec est causa inadaequata, *n.*

**Objic. 2°** Finis obtinendus non existit ante actionem; *e.* influere nequit. — *R. c. ant.* — *d. cons.* influere actione physica..., *c;* realiter, intentionaliter, *n.*

**Objic. 3°** Effectus ipse saepe est finis actionis; *e.* penderet a seipso. — *R. tr. ant.* — *d. cons.* in ordine physico existens penderet a seipso in ordine ideali, *c;* in eodem ordine quo existit, *n.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Causalitas finis est amor quem objectum inspirat agenti, propter suam bonitatem; *i. e.* finis influit ut bonum alliciens voluntatem agentis.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** In serie finium subordinatorum non datur processus in infinitum; nam a) si esset in subordinatione et electione mediorum, nunquam posset incipere executio; — b) si esset in intentione finium, nunquam posset incipere intentio.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Qui vult finem, debet velle et media, saltem virtualiter.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Ignoti nulla cupido, seu: finis non movet nisi apprehensus; attamen apprehensio bonitatis non est causa sed conditio.

**Coroll. 5<sup>m</sup>** Finis in ordine causarum est prima, nam fine sublato nullum agens ageret; sed notandum: « in ordine causarum » *i. e.* in ordine intentionis, in ordine moventis; — nam finis est in ordine executionis ultimus; — hinc etiam: sicut se habet principium in speculativis, ita se habet finis in operativis, *i. e.* sicut ex primis veritatibus dependent conclusiones theoreticae...

**Coroll. 6<sup>m</sup>** Ex fine intrinseco optime desumitur ratio ad rerum naturam dignoscendam et collustrandam; nam finis est mensura rei et omnium proprietatum ei ab auctore naturae inditarum.

**Coroll. 7<sup>m</sup>** Omne agens agit propter finem; nam si agens liberum est, agit apprehensive, seu a proposito, *i. e.* secundum voluntatis imperium finem eligentis et proponentis, vel jam ipso fine fruente; sin autem agens necessario agit, non casu sed executive agit, *i. e.* secundum inditam sibi determinationem ab auctore naturae ad certum finem dirigitur.

**Coroll. 8<sup>m</sup>** Entia non sunt multiplicanda sine necessitate; *i. e.* 1) ad efficiendum opus, agens sapiens non alia nec plura media adhibenda eligit quam quae ad finem ducunt; — 2) ad explicandum opus sapiens, non aliae nec plures causae praesupponendae excogitari debent, quam quae ad quaesitam explicationem sufficiant.

**Coroll. 9<sup>m</sup>** Ergo Deus et natura nihil faciunt frustra.

**Coroll. 10<sup>m</sup>** Finis est mediorum mensura.

**Coroll. 11<sup>m</sup>** Frustra est potentia quae non traducitur in actum: scilicet a) potentia subjectiva activa; non libera; b) in actum suum specificum, qui non aliunde, per accidens, impediatur, c) proinde etiam potentia passiva correspondens; — quia potentiae finis est actus.

#### § 4. DE CAUSA EXEMPLARI.

##### Propositio 65.

Causa exemplaris est forma mente concepta, quam effectus imitatur ex intentione agentis qui determinat sibi finem.

**Notiones.** 1) Exemplar est extrinsecum vel intrinsecum. — *Extrinsecum* est res quaecumque extra agentem, ad cuius imitationem operatur; — *intrinsicum* est illud quod agens mente gerit, et ad cuius imitationem operatur.

2) Agendum hic solum est de exemplari intrinseco, nam extrinsecum per se non influit, neque in agentem neque in effectum, nisi in quantum cognoscitur ab agente; *a.* sic jam non res externa proprie influit, sed potius conceptus ejus, quod est exemplar intrinsicum.

3) Iste conceptus ipse potest considerari a) prout est repraesentatio, mera cognitio rei extrinsecae, et sic nihil influit in agentem nec in effectum, — b) prout dirigit operationem agentis cognoscentis, et sic influit in eum et in effectum. — Priore modo consideratus est mera simplex apprehensio, et dicitur idea speculativa; — secundo modo dicitur idea practica seu causa exemplaris. — Haec tamen distinctio est rationis tantum.

4) Conceptus iste, scilicet idea practica, est forma accidentalis mentis, *i. e.* accidens mentem afficiens.

5) Causalitas exemplaris, *i. e.* ejus nexus et influxus, est a) in agentem dirigendo ejus operationem, ita ut conscius determinans ipse suum finem attingendum, intendat similitudinem effectus cum exemplari, — b) in effectum, talem futurum qualis fuerit illa agentis intentio, ejusque operationis directio.

6) Cfr. *S. Thom. verit. q. 3. aa. 1, 2, 3.* — *Suar. met. d. 25. s. 2.*

**Prob.** In causa exemplari duo attendenda sunt: 1) natura exemplaris, — 2) natura causae; — *a.* haec optime exprimit proposita definitio; *e.*

*Ad min.* 1) Natura exemplaris, prout ex praecedente analysi, exhibetur his: « forma mente concepta, quam effectus imitatur. »

2) Natura ejus causalitatis his: « ex intentione agentis qui sibi determinat finem. »

**Coroll. 1<sup>m</sup>** In omni artifice, *i. e.* qui operatur non vi naturae, sed libere ex arte, admittendae sunt ideae exemplaes practicae.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Solum agens intellectu praeditum potest ideis exemplaribus uti.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Causa exemplaris inadaequate tantum distinguitur a causa efficiente; nam eam informat facitque completam intrinsece ad operationem.

## § 5. DE CAUSIS MATERIALI ET FORMALI.

## Propositio 66.

**Materia et forma vera gaudent causalitate. quae consistit non in aliqua actione unius in alteram. sed in mutua communicatione propriae entitatis per immediatam unionem unius cum altera.**

**Stat. quaest.** Non quaerimus num existat materia et forma, nec ubi (cfr. cosmol.); — sed quaerimus quid sint causa materialis et causa formalis, ubicumque et quomodocumque inveniuntur; — multi, recentiores illi praesertim qui scholasticam materiam et formam irrident, ostendunt se conceptum eum non intellexisse, reputantes formam esse aliquod agens in materiam quam sibi adaptet, sibi quasi praeparet inhabitandam.

**Notiones.** 1) *Materia* est subjectum ex quo aliquid fit; — *forma* est realitas qua id quod fit actuatur et perficitur; — seu: *materia* est subjectum quod habet potentiam subjectivam; — *forma* est actus ipse qui recipitur in potentia subjectiva.

2) *Materia prima* est illud subjectum ex quo fit realitas substantialis corporum, i. e. ea pars substantiae quae in mutatione substantiali permanet; — *forma substantialis* est illa realitas seu actus, quo materia fit haec substantia; i. e. ea pars substantiae quae in mutatione substantiali mutatur.

3) *Materia secunda* est ipsa substantia (composita ex materia prima et forma substantiali), quatenus novas accipit mutationes accidentales, i. e. *formas accidentales*.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (vera causalitas).** Causa est principium essendi alteri; a. compositus effectus esse non potest sine suis partibus constitutivis, seu pendet ab eis (quae sunt materia ut subjectum, et forma ut actus determinans eam); — et differt realiter, licet inadaequate, ab eis; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (non in actione).** 1<sup>o</sup> Actio non convenit causae intrinsecae; a. materia et forma sunt causae intrinsecae; e.

*Ad maj.* Actio non facit ut causa constituat effectum entitate sua ut parte intrinseca, sed ipsam relinquit ab effectu suo plane distinctam; e.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Actio unius (formae) in alterum (materiam) produceret aut ipsum effectum compositum ex utroque, i. e. ex materia et forma, aut aliquam mutationem alterius; — a. *si primum*: jam est causa efficiens effectum, et plane ab eo distincta atque ei extrinseca manens; non autem causa materialis vel formalis i. e. pars intrinseca effectus compositi; — *si secundum*: jam haec mutatio erit effectus, et datur duplex effectus: materia sic mutata, et compositum ex ea et forma; ac proinde duplex causalitas, et redit tota quaestio in infinitum; e.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (in communicatione immediata).** Influxus causae dignoscitur ex effectu ejus; a. effectus causae materialis et formalis est ut compositum constet ex materia et forma, unum ens constituentibus; e. earum causalitas

in eo consistere debet, quod altera sit aliquid alterius, et vicissim; i. e. quod forma sit determinatio, modus essendi, suae materiae; et quod materia sit fulcrum formae, seu subjectum quod hac forma, hoc determinato modo, existat.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** *Solus Deus* efficere potest materiam primam, nam solus potest creare, i. e. producere substantiam ex nihilo sui et subjecti; — *causae secundae* possunt solum ex potentia materiae praeeistentis novas educere formas, sive substantiales sive accidentales, i. e. producere ex nihilo sui sed non subjecti, seu *facere*, non *creare*.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Dicitur *forma*:

/	physica	— — —	constituens intrinsece rem, ut compositum physicum; et natura sua postulans uniri cum materia.
}	accidentalis	— —	afficiens accidentaliter materiam secundam.
	substantialis	— —	constituens materiam primam in certa specie; — seu: pars essentialis determinativa substantiae.
}	materialis	—	non aliam entitatem in se habens quam ut determinet materiam, — seu non potens in se sine materia esse vel operari.
	immaterialis	=	subsistens, i. e. potens esse et operari sine materia.
	metaphysica	— —	ipsa essentia composita, in suo conceptu essentiali sumpta, determinans individuum ut sit tale individuum, v. c. humanitas, de homine.
	logica	— — —	differentia specifica, determinans genus ad certam speciem, v. c. rationalitas, de animalitate.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Quoties aliquid dicitur concipi vel sumi *formaliter*, sensus est, illud concipi *quoad formam* suam, abstrahendo a materia et aliis accidentalibus notis; — *forma* autem in talibus dictionibus ordinario potius intelligitur forma metaphysica vel forma logica, v. c. homo formaliter sumptus est homo ut ens humanum (forma metaph.), vel est homo ut rationale (forma logic.).

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Forma physica dicitur *informans* quia natura sua requirit materiam, quam informet, seu actuet; — huic opponitur forma improprie dicta, quae dicitur etiam *forma pura*, i. e. substantia simplex, natura sua completa, non requirens materiam quam informet, v. c. angelus.

**Coroll. 5<sup>m</sup>** Ergo *forma est dignitate*, non tempore nec natura, *prior materia*.

**Coroll. 6<sup>m</sup>** *Forma et materia sunt sibi invicem causae.*

**Coroll. 7<sup>m</sup>** Quoties datur compositum ex quod et quo, sistendum est in quo; i. e. in composito ex materia (subjecto quod habet aliquam determinationem), et ex forma (ipsa determinatione qua determinatum est subjectum), jam non amplius de ipsa forma quaeri potest, num ea sit determinata in eodem genere, et quonam ipsa sit determinata, sed sistendum est in illa; v. c. in ferro calido, calor jam non est calidus alio calore, sed est id quo ferrum est calidum, neque aliud calidum est.

## § 6. DE PRINCIPIIS RATIONIS SUFFICIENTIS ET CAUSALITATIS.

## Propositio 67.

**Principium rationis sufficientis, et principium causalitatis sunt immediate evidētia, et analytica.**

**Notiones.** 1) Ea sunt: « nihil est sine ratione sufficiente » — « nihil fit sine causa, seu: quidquid existere incipit, efficientem sui causam habet ».

2) Ratio hic est: id omne quo aliquid est vel intelligitur, aut esse vel intelligi potest; — ratio est essentiae, vel existentiae, vel cognoscibilitatis; et potest esse vel intrinseca vel extrinseca rei rationatae; sunt ergo synonyma ratio ac principium.

Ratio sufficiens seu adaequata, ea est qua sola posita nihil aliud requiritur ut res sit, vel cognoscatur; — non sufficiens seu inadaequata, si aliud requiritur insuper.

3) In hoc differunt principia rationis sufficientis et causalitatis, quod a) prius extenditur ad cognitionem, essentiam, existentiam; alterum ad solam existentiam; — b) prius agit de omni ente, etiam de Deo, alterum de ente novo solum; — c) prius non necessario supponit nec excludit distinctionem realem inter rationem et rationatum; alterum supponit realem inter causam et effectum.

**Stat. quaest.** Utrumque principium pro certo et evidenti ab omnibus habetur, nec posset negari quin in scepticismum abeatur; attamen principii causalitatis objectivum valorem alii varii negant, utpote obscurum et indemonstrabilem; confunduntque duo haec principia; — Kant putat esse iudicium syntheticum a priori; — positivistae moderni dicunt esse imaginationis nostrae figmentum, ortum ex historica consecutione factorum constante.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (rationis sufficientis).** 1<sup>o</sup> Praesupponitur hoc principium omni ratiocinio, et omni certitudini, ita ut si negari posset, nulla jam esset possibilis certitudo; e.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Differt ens a non ente, ens tale ab ente non tali, ens existens ab ente possibili; a. differt non propter nihil, sed propter aliquid sive intrinsecum, sive extrinsecum, quae vocatur ratio sufficiens; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (causalitatis).** Ens quod incipit esse, non potuit seipsum determinare ad existendum; a. debuit tamen determinari, i. e. exire ex indifferentia sua; e. per aliud a se distinctum, quae est ejus causa efficiens.

*Ad maj.* Antequam existeret erat mere possibile, et in ordine existentiae nihil; a. mere possibile non determinat existentiam (secus omnia possibilia necessario existerent); e.

*Ad min.* Si eadem essentia quae fuit possibilis fit existens, jam non ipsa includit notam existentiae nec determinationis ad existendum.

**Coroll.** Ergo non datur casus absolutus, i. e. eventus sine ulla causa; — quamquam dari potest casus relativus, i. e. eventus sine ulla nobis cognita causa.

**Objic. 1<sup>o</sup>** In principio causalitatis fit transitus ad existentiam realem; a. notio haec est valde obscura; e. — *ad maj.* Aliter in principio contradictionis fit transitus ad existentiam idealem tantum. — R. d. maj. i. e. concluditur ex existentia aliqua reali ad existentiam realem, sicut in iudiciis syntheticis, n; concludit in abstracto ab existentia effectus ad existentiam causae sicut in aliis omnibus iudiciis analyticis, c. — n. min. — *ad explic. maj. d.* fit transitus ad existentiam, sed aliter atque in principio causalitatis, n; secus, e.

**Objic. 2<sup>o</sup>** In demonstratione principii rationis sufficientis habetur petitio principii; — nam demonstrare aliquid est ejus rationem sufficientem afferre. — R. a) n. supp. ant. (esse demonstrandum vel demonstrabile); — R. b) n. ant; et d. rat. add. est afferre praemissam quae sit ratio sufficiens consequentis, tr; quae sit principium rationis sufficientis vel principium causalitatis, n.

**Objic. 3<sup>o</sup>** Si principium causalitatis esset absolute necessario verum, duceret in fatalismum. — prob. a) Omnes veritates quae ex illo derivarentur essent absolute necessario verae; — b) Vi hujus principii, sicut ex effectu concluditur necessario causa, ita ex causa concluditur necessario effectus; e. nulla causa libere operaretur. — R. n. ant. — *ad prob. a) d.* si ex ipso, et alia praemissa aequae absolute necessaria, c; secus, n. (sequetur conclusio partem pejorem). — *ad b) n. ant.* — vel d. ita ex causa necessaria, c; ita ex causa libera, n.

*Inst.* Si causa libera non agit, ideo non agit quia non ultimo determinata, i. e. quia incompleta et insufficientis. — R. d. 1<sup>m</sup> part. quia se non determinat, c; secus, n. — *ad 2<sup>m</sup> part. i. e.* quia insufficientis et incompleta, n.

## QUAESTIO 6.

## De sex ultimis categoriis.

## Propositio 68.

Sex reliquae categoriae, ut categoriae speciales, sunt denominationes extrinsecae.

**Stat. quaest.** 1) Dictum est hucusque de categoriis quatuor: substantiae, quantitatis, qualitatis, relationis; — quaeritur jam de reliquis sex: actionis, passionis, ubi, situs, quando, habitus.

2) Confundi non debent sex illa prout sunt physica quaedam existentia, et prout sunt categoriae speciales. Nam priore modo dictum jam est supra, actionem et passionem esse actus potentiis subjectivis correspondentes, ac proinde jam novimus eas esse accidentia physica vel modalia sub categoria qualitatis; — item de ubicatione, de quandocatione, et de situ prout figuram dicit, ostendetur in cosmologia ea esse accidentia modalia sub categoria qua-

litalis; — item de *habitu* prout dicit habere, tenere, possidere, etc, scimus illam esse *relationem*.

3) Sed altero modo considerata, prout sunt categoriae speciales, sunt praedicata de subjecto in propositione, seu respondent ad quaestiones : quid facit, quid patitur, ubi est, quando est, quo situ est, quid habet? De his ergo praedicatis quaeritur quid sint et quo differant ab aliis accidentibus.

**Notiones.** *Denominatio extrinseca*, i. e. quae non desumitur formaliter ex aliquo intrinseco, quod ipsi subjecto insit, sed quae mutuatur ab aliqua re quae sit extra hoc subjectum, quae ad illud quocumque modo habeat relationem.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (actio).** Ens non praedicatur agens, praecise quatenus exercet suam vim operativam, sed quatenus hoc exercitium terminatur ad aliquem effectum, qui sit ejus terminus intrinsecus, receptus in aliquo termino extrinseco; — *a.* sic mutuatur suum praedicatum, denominationem agentis, ab alio sibi extrinseco; *e.*

*Ad maj.* Actio unius est passio alterius; *e.* quamdiu passio alterius non habetur, actio unius non habetur (nisi forsitan in actu primo).

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (passio).** Ens non praedicatur patiens, praecise quatenus incipit habere novam aliquam formam, sed quatenus eam sub influxu alterius operantis habet; — *a.* sic mutuatur suum praedicatum, denominationem patientis, ab alio sibi extrinseco; *e.*

*Ad maj.* In hoc differt forma a passione, quod passio dicit formam quatenus aliud agens circa illam exercet influxum suum.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (ubi).** Ens non praedicatur hic vel ibi, praecise quatenus habet intrinsecum modum ubicationis, absolute spectatum (accidens modale); sed quatenus spectatur ut huic vel illi alteri rei praesens, vel distans; — *a.* sic mutuatur...; *e.*

*Ad maj.* Si supponas ens unicum, nulli alteri praesens, nulla dabitur denominatio qua respondeas « ubi sit ».

**Prob. 4<sup>a</sup> pars (situs).** Ens non praedicatur situm (situatum), praecise quatenus hoc vel illo modo disponuntur ejus partes, atque hanc vel illam figuram exhibent, sed quatenus ad aliud ens praesens hae vel illa sui parte est propinquius, vel aptatum, vel adhaerens, vel nitens, etc. — *a.* sic mutuatur...; *e.*

*Ad maj.* Homo dicitur stans, jacens, sedens, inversus... non quia membra porrigit linea recta, vel quia in lineam anfractam retrahit (nam ita non exprimitur nisi modale accidens aliquod, figura); sed ideo quia terrae nititur pedibus, vel corpore toto, vel podice, vel capite.

**Prob. 5<sup>a</sup> pars (quando).** Ens non dicitur esse nunc vel tunc, praecise quatenus habet quandocationis modum intrinsecum absolute spectatum, sed quatenus spectatur ut huic vel illi rei simultaneum vel prius vel posterius; — *a.* sic mutuatur...; *e.*

*Ad maj.* Si supponas ens unicum, nulli alteri simultaneum vel prius vel posterius, nulla dabitur denominatio qua respondeas « quando sit ».

**Prob. 6<sup>a</sup> pars (habitus).** Ens non dicitur habens ob modum aliquem intrinsecum, sed ob hanc vel illam rem habitam; *a.* sic mutuatur...; *e.*

*Ad maj.* v. c. habens hastam, barbæm, vestem, uxorem, agrum, vel : hastatus, barbatus, vestitus, togatus, uxoratus, locuples.

## CAPUT IV.

## DE ENTIS PERFECTIONE.

Postquam igitur tribus capitibus superioribus actum est de ente transcendentaliter inspecto, de ejus proprietatibus transcendentalibus, ac de ejus summis divisionibus seu decem categoriis, reliquum est ut de ceteris summis perfectionibus quae enti convenire possunt, pauca addantur. Quae quum perfectiones vel ex ipso ente absolute ut essentia est spectato, vel ex eo prout consideratur ut existens, vel tandem ex eodem secundum relationes suas inspecto, oriri possint, hinc fiet ut sint :

Quaestio 1. De perfectione quoad essentiam.

Quaestio 2. De perfectione quoad existentiam.

Quaestio 3. De perfectione ex relationibus orta.

## QUAESTIO 1.

## De perfectione quoad essentiam.

Haec perfectio ad duas praecipuas revocabitur :

Articulus 1. De simplici et composito.

Articulus 2. De infinito et finito.

## ARTICULUS 1.

## De simplici et composito.

## Propositio 69.

**Simplicitas est perfectior compositione, estque perfectio positiva.**

**Notiones.** 1) *Perfectum* est id cui nihil deest eorum quae ipsi debent inesse ad ejus complementum. — *Perfectio* igitur est quaevis realitas, sive essentialis sive accidentalis, quae requiritur ut res sit perfecta. — Earum perfectionum *partialium* cumulus est perfectio *totalis*.

2) Ergo a) ens finitum dicendum erit perfectum in quantum vel finem suum obtinet, vel ad eum obtinendum mediis instruitur; — b) perfectionis aestimandae regula est ipsius entis finis; — c) haec regula erit simplex, si finis entis est unicus, vel composita si finis ens habet plures subordinatos vel coordinatos; — d) perfectio rei a bonitate realiter non distinguitur.

litalis; — item de habitu prout dicit habere, tenere, possidere, etc, scimus illam esse relationem.

3) Sed altero modo considerata, prout sunt categoriae speciales, sunt praedicata de subjecto in propositione, seu respondent ad quaestiones : quid facit, quid patitur, ubi est, quando est, quo situ est, quid habet? De his ergo praedicatis quaeritur quid sint et quo differant ab aliis accidentibus.

**Notiones.** *Denominatio extrinseca*, i. e. quae non desumitur formaliter ex aliquo intrinseco, quod ipsi subjecto insit, sed quae mutuatur ab aliqua re quae sit extra hoc subjectum, quae ad illud quocumque modo habeat relationem.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (actio).** Ens non praedicatur agens, praecise quatenus exercet suam vim operativam, sed quatenus hoc exercitium terminatur ad aliquem effectum, qui sit ejus terminus intrinsecus, receptus in aliquo termino extrinseco; — *a.* sic mutuatur suum praedicatum, denominationem agentis, ab alio sibi extrinseco; *e.*

*Ad maj.* Actio unius est passio alterius; *e.* quamdiu passio alterius non habetur, actio unius non habetur (nisi forsitan in actu primo).

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (passio).** Ens non praedicatur patiens, praecise quatenus incipit habere novam aliquam formam, sed quatenus eam sub influxu alterius operantis habet; — *a.* sic mutuatur suum praedicatum, denominationem patientis, ab alio sibi extrinseco; *e.*

*Ad maj.* In hoc differt forma a passione, quod passio dicit formam quatenus aliud agens circa illam exercet influxum suum.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (ubi).** Ens non praedicatur hic vel ibi, praecise quatenus habet intrinsecum modum ubicationis, absolute spectatum (accidens modale); sed quatenus spectatur ut huic vel illi alteri rei praesens, vel distans; — *a.* sic mutuatur...; *e.*

*Ad maj.* Si supponas ens unicum, nulli alteri praesens, nulla dabitur denominatio qua respondeas « ubi sit ».

**Prob. 4<sup>a</sup> pars (situs).** Ens non praedicatur situm (situatum), praecise quatenus hoc vel illo modo disponuntur ejus partes, atque hanc vel illam figuram exhibent, sed quatenus ad aliud ens praesens hae vel illa sui parte est propinquius, vel aptatum, vel adhaerens, vel nitens, etc. — *a.* sic mutuatur...; *e.*

*Ad maj.* Homo dicitur stans, jacens, sedens, inversus... non quia membra porrigit linea recta, vel quia in lineam anfractam retrahit (nam ita non exprimitur nisi modale accidens aliquod, figura); sed ideo quia terrae nititur pedibus, vel corpore toto, vel podice, vel capite.

**Prob. 5<sup>a</sup> pars (quando).** Ens non dicitur esse nunc vel tunc, praecise quatenus habet quandocationis modum intrinsecum absolute spectatum, sed quatenus spectatur ut huic vel illi rei simultaneum vel prius vel posterius; — *a.* sic mutuatur...; *e.*

*Ad maj.* Si supponas ens unicum, nulli alteri simultaneum vel prius vel posterius, nulla dabitur denominatio qua respondeas « quando sit ».

**Prob. 6<sup>a</sup> pars (habitus).** Ens non dicitur habens ob modum aliquem intrinsecum, sed ob hanc vel illam rem habitam; *a.* sic mutuatur...; *e.*

*Ad maj.* v. c. habens hastam, barbæm, vestem, uxorem, agrum, vel : hastatus, barbatus, vestitus, togatus, uxoratus, locuples.

## CAPUT IV.

## DE ENTIS PERFECTIONE.

Postquam igitur tribus capitibus superioribus actum est de ente transcendentaliter inspecto, de ejus proprietatibus transcendentalibus, ac de ejus summis divisionibus seu decem categoriis, reliquum est ut de ceteris summis perfectionibus quae enti convenire possunt, pauca addantur. Quae quum perfectiones vel ex ipso ente absolute ut essentia est spectato, vel ex eo prout consideratur ut existens, vel tandem ex eodem secundum relationes suas inspecto, oriri possint, hinc fiet ut sint :

Quaestio 1. De perfectione quoad essentiam.

Quaestio 2. De perfectione quoad existentiam.

Quaestio 3. De perfectione ex relationibus orta.

## QUAESTIO 1.

## De perfectione quoad essentiam.

Haec perfectio ad duas praecipuas revocabitur :

Articulus 1. De simplici et composito.

Articulus 2. De infinito et finito.

## ARTICULUS 1.

## De simplici et composito.

## Propositio 69.

**Simplicitas est perfectior compositione, estque perfectio positiva.**

**Notiones.** 1) *Perfectum* est id cui nihil deest eorum quae ipsi debent inesse ad ejus complementum. — *Perfectio* igitur est quaevis realitas, sive essentialis sive accidentalis, quae requiritur ut res sit perfecta. — Earum perfectionum *partialium* cumulus est perfectio *totalis*.

2) Ergo a) ens finitum dicendum erit perfectum in quantum vel finem suum obtinet, vel ad eum obtinendum mediis instruitur; — b) perfectionis aestimandae regula est ipsius entis finis; — c) haec regula erit simplex, si finis entis est unicus, vel composita si finis ens habet plures subordinatos vel coordinatos; — d) perfectio rei a bonitate realiter non distinguitur.

3) Perfectio partialis est vel *simplex*, si nullam in suo conceptu exhibet imperfectionem, seu si aequalem sibi aut majorem non excludit, v. c. vita, intelligentia, justitia; — vel est *mixta*, si aliquam imperfectionem exhibet, seu si aequalem vel majorem perfectionem excludit, v. c. corpus, ratiocinium.

4) Perfectio *totalis* gradus admittit :

extensive, i. e. comparate ad perfectionem alterius speciei, generis.

(si pluribus et praestantioribus realitatibus constituitur.

si nobilior est entis finis.

si pluribus finibus assequendis est idoneum.

intensive, i. e. comparate ad perfectionem ejusdem speciei, generis.

(si ens cumulatus possidet ea quae speciei, generi, propria sunt.

si ad proprium finem assequendum est magis idoneum.

si finem obtinet proprium plenius, promptius, facilius.

5) *Simplex* est quod nec pluribus constat nec in plura resolvi potest; — *compositum* quod pluribus constat, vel in plura resolvi potest.

6) Simplicitas et compositio non sunt duae perfectiones absolutae, formae distinctae, in subjecto; sed sunt duo modi varii quibus aliqua perfectio absoluta, v. c. essentia, actio, habetur. Isti modi in propositione comparantur ubi agitur de eadem perfectione absoluta, v. c. essentia simplex et composita, actio simplex et composita, facultas simplex et composita; neque enim dici potest quodvis simplex esse perfectius quovis composito.

7) Compositi notionem nobis experientia externa suppeditat, res enim sensibiles compositae sunt; simplicis notionem suppeditat sola experientia interna cum reflexione intellectuali, v. c. actus cogitandi, negandi.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*perfectior*). Tam est perfectum ens, quam est unum; *a.* simplex ens est magis unum quam compositum ens; *e.*

*Ad min.* Simplicitas *a)* dicit et indivisionem et indivisibilitatem, *b)* nullam in se includit imperfectionem, nullam excludit perfectionem; — compositum autem *a)* dicit indivisionem quidem sed non indivisibilitatem, *b)* includit per se limites partium ad invicem, et dependentiam totius a suis partibus.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*positiva*). Experientia rerum simplicium quas refert sensus intimus, non est experientia negationum vel privationum, sed positivorum realitatum; *e.*

## ARTICULUS 2.

*De finito et infinito.*

### Propositio 70.

Notio finiti non est mere negativa, sed partim negans partim affirmans: qua vero parte negat, non fundatur in praevia notione infiniti.

**Notiones.** 1) *Finitum* ens est quod limites habet; — *infinitum* quod limites non habet. — *Limes* est id ultra quod nihil est quod ad ens pertineat. — Plato

et Cartesius docent finitum cognosci per solam infiniti negationem, unde praeviam esse infiniti notionem; — item Mallebranche, Ontologistae.

2) Distingui debet notio finiti quoad modum quo concipitur, qui evidenter totus est positivus, nam concipitur ut *habens limites*; — et notio finiti quoad id quod concipitur, de quo solo quaeritur in propositione.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*non mere negativa*). Notio mere negativa est quae meram negationem exhibet; *a.* ens finitum non est mera negatio, sed positivum aliquid et reale; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*sed partim*). Notio finiti affirmat, qua parte exhibet realitatem; et negat qua parte limitem figit; *e.*

*Ad min.* Limes est carentia ulterioris perfectionis.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*non fundatur*). Fundanda esset..., in quantum illa negatio concipi non posset nisi per oppositum conceptum infiniti; *a.* ita non est; *e.*

*Prob. min.* Ad finitum concipiendum, satis est sic apprehendere aliquid, ut ab eo indeterminate excludatur ulterior perfectionis gradus; *a.* haec exclusio concipitur vel ope graduum perfectionis qui in aliis entibus videntur, vel ope quidditatis abstractae vel universalis, quae non quoad totam extensionem in hoc ente coarctatur; *e.*

**Objic. 1<sup>o</sup>** Idea universalis alicujus realitatis, per abstractionem a rebus finitis concepta, exhibet illam realitatem sine limite, seu infinitam; *e.* quando haec realitas concipitur ut capax limitationis variae, per oppositionem ad infinitum concipitur limitata, finita. — *R. d. ant.* praescindit, *c;* excludit, *n.* — *n. cons.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Finitum et infinitum sibi contradictorie opponuntur; *e.* finitum sine praevia cognitione infiniti non potest cognosci. — *R. a) retorq :* *e.* infinitum non sine finiti praevia notione. — *R. b) tr. ant.* — *n. cons.* (v. c. rotundum cognoscitur sine non rotundi notione praevia).

**Objic. 3<sup>o</sup>** Finitum ex parte sua negativa dicit negationem omnis ulterioris perfectionis; *e.* infinitae. — *R. d. ant.* finitum objective sumptum, *c;* formaliter sumptum, i. e. notio finiti, *n.* (sufficit negatio cujuscumque...); vel *sd.* negationem ulterioris indeterminate et indefinite, *c;* infinitae, *n.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** Conceptus positivus praecedit negativum; *a.* conceptus infiniti est positivus, finiti est partim negativus; *e.* — *R. d. maj.* simpliciter negativum, *c;* partim... et partim positivum, *n.* — *c. d. min. 2<sup>m</sup> part.* ex parte objecti, *c;* modi concipiendi, *n.*

**Objic. 5<sup>o</sup>** Finitum, ut finitum, habetur per id quo differt ab infinito; *a.* differt ab infinito per negationem perfectionis infinitae; *e.* — *R. d. maj.* habetur in ordine objectivo (ontologico), *c;* subjectivo (cognitionis), *sd.* adaequate cognitum, *c;* secus, *n.*

## Propositio 71.

Notio infiniti non habetur per continuam additionem finiti, sed solum per totalem et positivam limitum remotionem.

**Notiones.** 1) *Infinium* est quod limites non habet; — *actu infinitum* quod actu habet omnem perfectionem (dicitur categorematicum); — *potentia infinitum* seu *indefinitum* est quod actu semper finitum est, sed semper augeri potest (dicitur syncategorematicum).

2) Quaestio est de infinito actuali, quod Locke cum indefinito fere confundens, dicit concipi si finitae perfectiones interminabili incrementorum serie auctae concipiuntur.

3) *Positiva remotio*, i. e. expressa negatio; non solum negativa remotio, i. e. neglectio.

4) Distingui debet notio infiniti quoad modum quo concipitur, qui evidenter totus est negativus, nam concipitur ut *non habens limites*; — et notio infiniti quoad id quod concipitur, de quo solo quaeritur in propositione.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (non additione).** 1<sup>o</sup> Si ita esset, infinitum oriretur ex numero finitorum; *a.* hoc est absurdum; *e.*

*Ad min.* Hic numerus deberet esse finitus, nam semper deberet posse addi novum; — et simul deberet esse infinitus, nam secus non constitueret infinitum actu.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Notio infiniti simplex est, et objectum praebet terminis liberum; *a.* quod per additionem fit, est compositum et limites habet; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (sed remotione).** Notio infiniti non habetur nisi per id quod ipsum plane discernit a finito; *a.* hoc non est nisi totalis et positiva remotio limitum; *e.*

*Ad min.* Secus, aut limes ex aliqua parte relinquatur, et constituitur ens finitum; aut negative tantum removetur, et habetur aliquod ens non absolute infinitum, sed abstractum a finitate et infinitate; *e.*

**Coroll.** Ergo longe aliud est conceptus entis infiniti, et conceptus entis ut sic, abstractissimi ab omni limite vel non limite.

## Propositio 72.

**Ens, si habet aliquam infinitatem essentialem habet omnimodam.**

**Notiones.** *Infinitem* actualem: non agitur de infinitate in potentia; — sensus est: 1) si ens habet essentialem infinitatem, quodvis ejus attributum est infinitum, — 2) vicissim, ens cujus unum attributum est infinitum, est infinitum in essentia.

*Infinitas omnimoda*, i. e. absoluta, in omni genere perfectionis, in ipsa ratione entis. — *Attributum* est id quod ex ipsa essentia sequitur, vel ut tale a nobis concipitur.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (si essentialem)** 1<sup>o</sup> Attributum est illa entis proprietas, quae

aut necessario ex ejus essentia fluit, aut in ea necessario continetur; *a.* quidquid necessario in essentia infinita continetur aut ex ea fluit, est infinitum; *e.*

*Ad min.* a) Posita ratione sufficiente (si agitur de agente necessario), ponitur rationatum, et b) quantum ponitur ratio sufficiens tantum ponitur rationatum; — *a.* entis infiniti essentia a) est ratio sufficiens attributi, et quidem necessario agens, et b) est infinita; *e.*

**Prob. 2<sup>o</sup>** Si vel unicum attributum entis infiniti esset finitum, ens ipsum saltem aliquo respectu limites haberet, et jam esset finitum.

**Prob. 2<sup>a</sup> Pars (si attributum).** Attributum est aut rationatum in essentia, aut ipsa essentia, aut aliquid essentiae; — *a.* si primum: rationatum nequit esse majus sua ratione sufficiente, ac proinde essentia est infinita; si secundum vel tertium, jam essentia habetur infinita.

## Propositio 73.

**Nulla creatura potest esse infinita quoad essentiam, nec quoad vim vel operationem naturalem.**

**Notiones.** *Operationem naturalem*: quae ab essentia entis creati fluit, et quam habet ut agens principale; — non de operatione ad quam Deus creatura ut instrumento uti potest.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (essentialem).** 1<sup>o</sup> Omnis essentia dependens et contingens est imperfectior quam essentia independens et necessaria; *a.* omnis creatura est essentia dependens et contingens; *e.* imperfecta, ac proin finita.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Ens creatum non est ipsa absoluta realitas, sed ejus participatio secundum analogiam; *a.* participatio secundum analogiam non potest perfectionem adaequare ipsius analogi principis; *e.*

**Prop. 2<sup>a</sup> pars (vim et operationem).** 1<sup>o</sup> Nihil potest superare perfectionem principii sui; *a.* vis et operatio entis creati profluit ex essentia creata, finita, ut e principio; *e.*

**Prob. 2<sup>o</sup>** Finis est mensura medii; *a.* finis activitatis est explicatio et perfectio naturae, quae non potest esse nisi limitata; *e.*

## Propositio 74.

**Multitudo actu infinita repugnat.**

**Notiones.** *Actu infinita*: quae actu habeat omnia individua quae haberi possunt, ita ut ulterius jam nova individua repugnent intrinsece; — *indefinita*, seu *potentia infinita*, foret finita semper sed cui jugiter addi novum posset.

**Stat. quaest.** 1) Facile concedunt omnes, repugnare *numero* actu infinitum, i. e. collectionem, numerando unitates, nunquam posse percurrere infinitam, seu addendo unitates finitas nunquam posse talem attingi numerum cui repugnet unam addi.

2) Sed quaeritur num repugnet *multitudo* actu infinita, i. e. collectio plurium unitorum sine limite, seu sine ultimo; et iterum facile concedunt omnes repugnare ut actu existant simul omnia possibilis cum omnibus suis determinationibus possibilibus, quarum plurimae sunt insociabiles, v. c. ut omnes possibilis homines sint simul calvi et pilati, nascentes et octogenarii; quam dicunt multitudinem *absolute infinitam*.

3) Sed quaeritur ulterius num repugnet multitudo etiam *relative infinita* actu, i. e. ut simul existant omnia possibilis ejusdem v. c. speciei, abstrahendo ab eorum ulterioribus determinationibus, attenda sola *multitudine ut sic*; — et hoc alii negant, affirmant alii. — Cfr. *S. Thom.* 1 p. q. 14. a. 12; — verit. q. 2. aa. 9, 10; — *q. lib.* 9. a. 1; et 12. a. 2.

**Prob. 1°** Multitudo infinita actu, supponi nequit indeterminata, sed determinata existens; et potest cogitari tota per modum unius; — *a.* ea sumpta tota per modum unius, non intrinsece repugnat unum addi individuum, et secundum et tertium...; et ita multitudo jam non erat infinita sed indefinita; *e.*

*Ad maj.* Quidquid existit, existit aliquo determinato modo, non abstracto et vago.

**Prob. min.** Repugnantia novi individui addendi inveniri deberet: *a)* aut in ipsis ejus notis intrinsecis, — *b)* aut in ejus coexistentia cum ceteris ejusdem speciei jam existentibus, — *c)* aut eo quod omnia supponendo hujus speciei individua, hoc novum jam unum ex illis omnibus fuerit, ac proin non novum additum sit; — *a.* horum nihil valet; *e.*

*Ad min. a)* Eaedem notae essentialis in singulis aliis individuis sociabiles erant; *e.* et in illo novo.

*Ad b)* Notae essentialis istius et ceterorum individuorum sunt eadem; *e.* non se mutuo negant et tollunt.

*Ad c)* Gratis et non nisi absurde affirmatur, ita supponi posse omnia individua ut exhausta sit species universalis; — nam v. c. ponamus omnes hos infinitos homines in una linea infinita: non repugnat cogitari unus insuper homo extra hanc lineam, qui non sit ex ea desumptus.

**Prob. 2°** Omnis multitudo constat individuis; *a.* collectio individuorum nequit esse actu infinita; *e.*

**Prob. min.** Si tollo unum individuum, id quod manet aut est infinitum aut non; — *a.* si primum: datur infinitum majus et infinitum uno minus, — si secundum: datur infinitum uno differens a finito, — quae sunt absurda; *e.*

*ad min.* Haec sunt absurda, nam: 1) infinitum est quod omni limite caret, seu quo majus nec esse nec concipi potest, cui addi nihil potest; — *a.* infinito minore posset aliquid majus esse et concipi (scilicet infinitum majus), eique posset addi id quo differt ab alio; — *e.* esset simul et non esset infinitum.

2) addere finitum finito non est tollere omnem limitem, sed alium pro alio limite ponere; *e.* summa duorum esset simul infinita et terminata seu finita.

**Prob. 3°** Multitudo infinita constaret decadibus, centenariis individuo-

rum, aut infinite multis, aut finite multis; — *a.* si primum: tot sunt decades, centenarii... quot unitates; — si secundum: datur infinitum, decies, centies tantum finito majus; — et quidem in eodem genere multitudinis abstractae; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo repugnat non solum multitudo actu *infinita*: *simultanea*, sed etiam *successiva*. i. e. series actu infinita; nam eadem valent argumenta.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo repugnat etiam *extensio actu infinita*; nam: *a)* omnis extensio seu magnitudo constat partibus quantitate finitis; *e.* ut ipsa possit esse infinita, partes illae deberent esse infinite multae; — *b)* si extensio esset actu infinita, ab aliquo determinato puncto ejus deberent alia puncta aliqua infinite distare; *a.* hoc repugnat; *e.*

*ad min.* Ab hoc puncto determinato, in quacumque linea, multa saltem puncta finite distarent; *e.* si in ista linea aliquod punctum infinite distaret, haberetur in ista linea punctum in quo fieret transitus a finito ad infinitum, quod est absurdum; *e.*

**Coroll. 3°** Ergo quoties mathematici dicunt infinitum, intelligendum non est infinitum actu, sed pro re nata, aliquando indefinitum dicunt, v. c. quum in optica solares radii dicuntur a *distancia infinita* venire, sensus est, eos tam parum divergere, ut practice quasi a foco *indefinite distante* proveniant, i. e. cujus distantia tanta sit ut jam nihil juvet aliquid addere, quia jamjam pro parallelis haberi possint radii; — aliquando autem impossibile et nullum dicunt, v. c. quum in geometria duae rectae parallelae dicuntur concurrere in *distancia infinita*, sensus est, eas *nunquam posse* in unum concurrere; — vel quum in algebra dicitur  $\frac{a}{0}$  esse *signum infiniti*, sensus est, symbolum hoc *nullum posse valorem* habere, nam sicut  $\frac{8}{2} = 4$  quia  $2 + 4 = 8$ , et  $\frac{a}{2} = b$  quia  $2b = a$ , ita  $\frac{a}{0} = \infty$  quia  $0 \infty = a$ ; sed hoc ultimum repugnat, nullus enim valor est, nec finitus nec infinitus, cujus si nihil sumpseris, sumpseris positivam quantitatem *a.*

**Objic. 1°** Multitudo possibilium in statu possibilitatis est tota actu; *a.* non finita; *e.* infinita. — *R. d. maj.* spectato ejus fundamento remoto et proximo (divina essentia et cognitione), *c.*; spectatis possibilibus in se, *sd.* sunt simul possibilis singula, *c.*; est multitudo totalis una possibilium, *n.*

**Objic. 2°** Multitudo infinita in potentia (indefinita) ea est quae actu habet primum et ultimum, cui alia addi possunt; — infinita in actu ea est quae habet actu nec primum nec ultimum, cui nihil addi potest, quae nec numerando assignari potest; — *a.* hujus secundi modi est possibilium multitudo; *e.* — *R. tr. 1 part. maj.* — *d. 2 part. maj.* quae inter ea quae habet ad modum unius collectionis, nec primum habet nec..., *c.*; quae inter ea quae semper sunt tot ut plura, quin sit collectio una..., *n.*; — *c. d. min.*

**Objic. 3°** Multitudo possibilium quatenus objicitur cognitioni divinae, talis est ut nihil possit addi; *e.* — *R. d. ant. i. e.* cognoscuntur singuli termini ita ut nullus maneat ignotus, *c.*; cognoscuntur esse multitudo determinata talis ut nihil possit addi, *n.*

**Objic. 4°** Si possibilis non sint infinita multitudo complectens tot quin



plura, jam a) Deus non uno actu illa omnia cognoscit, sed actu successivo et discursivo, — b) possibilitas unius oritur post possibilitatem alterius, et non erit ab aeterno possibilitas intrinseca; e. — R. d. ant si Deus illa non distributive (omnia singula) cognoscat, e; si non collective (omnia ut collecta) cognoscat, n.

explic. a) Si non distributive cognosceret, jam non esset omnium possibilitas simul, quod est absurdum; — b) si non collective cognoscat, non est possibilitas collectionis omnium simultaneae, quod negamus esse absurdum; — c) nec propterea est Dei cognitio imperfecta, quod ea cognoscit talia qualia sunt).

#### QUAESTIO 2.

##### De entis perfectione quoad existentiam.

Ad duas revocanda esset haec perfectio, ad necessitatem, ejusque oppositam contingentiam, et ad immutabilitatem ejusque oppositam mutabilitatem. Attamen de sola necessitate et contingentia hic loci agemus; de mutabilitate vero quum philosophica pauca per modum corollariorum subnectere sufficiat, cetera quae passim apud auctores inveniuntur, theologica potius quam philosophica, vel saltem soli theologiae, nusquam vero philosophiae utilia, difficilia satis de conversione disputabilia, ad theologiam remitemus.

#### Propositio 75.

**Ens a se et ens absolute necessarium convertuntur.**

**Notiones.** *Ens a se* : quod habet rationem sufficientem adaequatam suae existentiae in seipso; — *ens ab alio*, quod habet... in alio.

*Ens necessarium* : quod ita existit ut repugnet non existere; — *ens contingens* : quod potest existere vel non existere.

Agitur hic de necessitate *absoluta*, non *hypothetica*, i. e. quae a nulla conditione adjecta dependeat, cujus negatio sit intrinsece impossibilis et repugnans.

*Convertuntur*, i. e. potest simpliciter converti propositio : omne ens a se est absolute necessarium, et omne ens absolute necessarium est a se.

**Stat. quaest.** Non quaeritur utrum existat tale ens; neque utrum plura talia sint possible; — sed quid illi conceptus requirant vel exhibeant, seu qua ratione inter se cohaereant.

**Prop. 1<sup>a</sup> pars** (*ens a se*). 1<sup>o</sup> Ens non potest esse a se nisi quia sine ulla effectione existit, propterea solum quia talis est essentia; a. talis essentia absolute necessario existit; e.

*Ad maj.* Ens esset a se, aut quia essentia seipsam ex possibili actualem effecit, aut quia talis est essentia, sine effectione; a. primum repugnat; e.

*Ad min.* Talis essentia includit notam existentiae, vel in ea consistit; e. nisi existat, jam non erit talis essentia.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Quod repugnat concipi ut non existens, existit necessario; a. ens a se repugnat concipi ut non existens; e.

*Prob. min.* Si non est existens, non potest a se habere rationem sufficientem suae existentiae, sed debet ab alio accipere; e. esset ab alio, non a se.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*ens necessarium*). Ens absolute necessarium, illud est cujus non existentia absolute repugnat; a. si rationem sufficientem existentiae habet in alio a se distincto, ejus non existentia non absolute repugnat, sed hypothetice (scilicet supposito quod illud aliud ponat rationem sufficientem); e.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo ens a se nec initium habere nec finem potest; nam secus ejus non existentia aliquando fuisset vel foret intrinsece possibilis, nec jam esset ens absolute necessarium.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ens contingens est ab alio, nam secus esset a se et necessarium seu non contingens; — ergo ens contingens existere nequit nisi ab aliqua causa producat, et existentiam suam amittere potest.

#### Propositio 76.

**Ens absolute necessarium est ens realissimum.**

**Notiones.** 1) *Realissimum* : habens omnem realitatem, perfectionem simplicem, gradu infinito; actus omnino purus in omni ordine. — Cfr. *Suar.* met. d. 30. s. 2.

2) Quoad hanc propositionem ejusque probationem primam et praecipuam, ad quam reliquae omnes tandem reducuntur, tota difficultas in hoc unice sita est, ut rite retineatur conceptus *intrinsecae seu absolutae necessitatis*, nec confundatur cum conceptu necessitatis alicujus *hypotheticae et extrinsecae*.

3) Essentiae omnes sunt necessariae (cfr. supr. prop. 14), sed *hypothetice*, in sensu composito; scilicet essentia (definitio) v. c. hominis non potest simul esse essentia hominis, et in aliam mutari, v. c. animalis non rationalis; attamen si mutatur, jam non amplius quidem manet eadem essentia, sed id quod manet non est aliquid in seipso intrinsece contradictorium et absolute impossibile; et sic natura humana non erat *absolute* necessaria sed *hypothetice* : dum maneret humana.

4) Item essentiae omnes creatae existunt necessario sed *hypothetice* : in sensu composito, i. e. non possunt simul existere et non existere; attamen si cessant existere, jam non amplius quidem manet haec res ut existens, manet tamen hujus rei conceptus essentialis non intrinsece contradictorius, v. c. hominis mere possibilis, non existentis; et sic existentia hujus entis non erat *absolute* necessaria, sed *hypothetice* : dum influeret causa sufficiens existendi physice.

5) Agitur de necessitate absoluta essentiae et existentiae, i. e. de essentia quae si velit concipi ut in aliud mutata, concipiatur aliquid remanens meta-

physice impossibile; et si velit concipi ut non existens, concipiatur ut intrinsece contradictorium quid, etiam in sensu diviso.

**Prob. 1°** Ens cujus existentia est absolute necessaria, habet essentiam absolute necessariam (i. e. in qua vel minima mutatio notarum, sive in melius sive in pejus, per additam sive affirmationem sive negationem perfectionis, induceret intrinsecam impossibilitatem totius essentiae); — *a.* essentia absolute necessaria est necessario infinita, seu realissima; *e.*

*Ad maj.* Ens ex intrinseca necessitate absoluta existens, ex eadem intrinseca necessitate est tale quale est, nam: sicut indeterminatum non potest existere, ita non potest esse necessitas absoluta existentiae indeterminatae, sed solum determinatae; *a.* existentia determinata est talis determinata essentia actu existens; *e.*

*Ad min.* 1) Omnis perfectio, ut talis (i. e. perfectio simplex) est aliquid positivum; *a.* perfectio positiva cum aliis perfectionibus positivis est semper compossibilis, nec potest inducere intrinsecam repugnantiam; — 2) omnis imperfectio, ut talis (i. e. ut limites ponens) est aliquid negativum; *a.* negatio perfectionis, addita positivis perfectionibus connexis, non potest adesse ex intrinseca necessitate; — ergo in essentia absolute necessaria, nulla perfectio simplex potest necessario deesse, nulla imperfectio potest necessario adesse; ergo e converso omnis perfectio simplex necessario adest, omnis imperfectio necessario deest.

**Resum. argum. brevius.** Quidquid inest enti necessario, necessario inest; *a.* nulla imperfectio necessario inest; *e.* necessario nulla inest.

**Prob. 2°** Ens a se necessario habet aliquam realitatem; *a.* hanc nequit habere gradu finito; *e.* infinito.

*Prob. min.* Si haberet gradu 100°, posset habere etiam gradu 101° (nam nulla repugnantia *intrinseca*); *a.* si hoc, esset in potentia (absolute) ad ulteriorem perfectionem, ac proin potentiale in ipsa ratione entis; *e.* non absolute necessarium.

**Prob. 3°** Si ens a se non esset realissimum, esset limitatum aut a se aut ab alio; *a.* neutrum; *e.*

*Ad min. a) (non ab alio).* Id repugnat a-se-itati, quum solum a sua essentia possit pendere.

*b) (non a se).* Haec limitatio fieret aut in prima constitutione, aut postea; *a.* neutrum; *e.* — *ad min. a' (non primum).* Quod nondum est, nequit agere nec libere nec necessario; — et ens necessarium non proprie se constituit, sed necessario existit constitutum.

*ad e' (non secundum).* Ens necessarium, absoluta necessitate constitutum, non potest fieri aliter (fieret potentiale).

**Objic. 1°** Posset esse naturaliter determinatum ad certam perfectionem. — *R. n.* (nulla potest esse ratio vel causa cur *necessitas intrinseca* essendi ut sic, potius determinetur ad hoc genus quam ad aliud, ad hunc gradum quam ad meliorem).

**Objic. 2°** Realitas entis a se (ratio sufficiens) supponitur aut infinita aut finita; *a.* si primum: supponitur quod est probandum; si secundum: non sequitur infinitum; *e.* — *R. d. maj.* supponitur objective, *c;* subjective pro nostra cognitione, ut ex ea arguamus infinitum vel finitum, *n.*

**Objic. 3°** Argumentum nititur principio: realitatem realitate non excludi; *a.* id non valet de realitate finita; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* quatenus limitem includo, et proin implicite dico ulteriorem excludi, *c;* quatenus solam realitatem ut sic inspicio, *n.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo ens absolute necessarium est absolute immutabile; nam mutatio est transitus ab uno statu vel perfectione ad aliam; *e.* supponit non omnem perfectionem inesse, et ens esse in potentia ad eam.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo omne ens mutabile est contingens, et supponit aliud ens, a quo mutetur, vel a quo determinetur ad se mutandum.

## QUAESTIO 3.

## De perfectione ex relationibus orta.

## Propositio 77.

**Opus ordinatum est causae intelligentis effectus.**

**Notiones.** 1) *Ordo* est perfectio aliqua multitudinis; ejus principium est in relationibus multorum; — definitur: «parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio» (August.), — seu «plurium dispositio secundum aliquam eorum relationem,» — seu «unitas in multitudine et varietate.»

2) *Ordo* est vel *staticus*, si res ipsae disponuntur, — vel *dynamicus*, si rerum operationes disponuntur.

*Ordo* si oritur ex una relatione est *simplex*, — vel si ex pluribus simul, est *compositus*.

3) *Ordo* potest oriri variis ex variis relationibus tum logicis, tum realibus; — unde etiam eadem res possunt alium et alium habere ordinem pro alia et alia relatione quae attenditur.

4) Secundum relationes reales, praecipue attenditur: *ordo symmetricus*, ex aequalitate vel inaequalitate multorum; — *ordo harmonicus*, ex similitudine vel dissimilitudine; — *ordo finalis*, ex relatione causae et effectus, i. e. ex aptitudine mediorum ad finem.

**Stat. quaest.** *Opus ordinatum*: non negamus plures causas posse per accidens (i. e. praeter omnem intentionem) aliquando in unum opus concurrere; sed dicimus: opus in quo appareat *dispositio ordinata et constans* non posse tribui tali fortuito concursui, sed solum intellectui ordinanti.

**Prob.** Omne opus causam habere debet, eamque sibi proportionatam; *a.* causa operis ordinati proportionata esse nequit nisi intellectus; *e.*

*Prob. min.* *Opus ordinatum* manifestat constantiam et uniformitatem in

multis disponendis, et quidem secundum certas relationes; — *a.* talis constantiae et uniformitatis non potest proportionata esse causa, nisi 1) aut quae sibi ipsi finem proponit, certas relationes percipit, secundum certum exemplar operatur, ac proin intelligens, — 2) aut quae natura sua ad tale opus est determinata inconscie, sed ab alio auctore hujus naturae intelligente superiore; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo ex opere ordinato entis comperimus illud esse intelligens, aut saltem ab intelligente determinatum; — et ex opere inordinato concludimus illud intelligentia carere, aut saltem intelligentia sua in hoc opere non duci.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo si opus est quidem ordinatum ad certum finem, sed immutabiliter, ubi *v. c.* finis jam non est attingendus propter circumstantiam accidentalem; concludimus esse naturam determinatam ad unum, sed non se determinare ipsam intelligenter.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ergo *semper invenitur unum ut principale et dirigens in multis ordinatis ad unum.*

### Propositio 78.

**Pulchritudo objectiva est, recte definitur splendor ordinis, reperiturque tum in corporalibus tum in spiritualibus.**

**Notiones.** 1) *Pulchrum*, ex sensu communi secundum effectus a S<sup>o</sup> Thoma definitur: «quod visum placet;» *i. e.* id cuius ipsa cognitio qua talis jucunda est, seu cuius apprehensio excitat in cognoscente delectationem cum admiratione.

2) *Pulchritudo* a variis varie definitur: *a)* unitas in multitudine et varietate, — *b)* splendor seu claritas in perfectione et ordine relucens, — *c)* splendor veri (*i. e.* intellectum adaequantis), — *d)* idea formis externis expressa, — *e)* bonitas rerum intrinseca, quatenus haec animae intellectuali eam contemplanti causa est delectationis, — *f)* modus essendi per quem formaliter se clare ostendit ens ita se habens sicut ejus naturae convenit.

3) *Pulchrum* dividitur *a)* in ideale et reale, — *b)* in naturale, morale et artificiale.

**Stat. quaest.** 1) In prima parte dicimus pulchritudinem non esse aliquid mere relativum et variabile pro dispositionibus variis nostris subjectivis, sed aliquid objective reale et absolute tale pro omnibus hominibus sufficienter evolutis.

2) In secunda parte proponimus definitionem pulchritudinis quae melius conceptum determinet; non dicimus alias omnes esse totaliter falsas; sed singulis aliquid deest necessarium, vel abundat inutile.

3) In tertia parte dicimus non solum corporibus vere compositis ex partibus, sed etiam spiritibus, simplicibus nempe substantiis, objectivam inesse

pulchritudinem; ostendendum est illis ordinem inesse vero aliquo et objective modo, licet aliter quam corporibus.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (objectiva est).** 1<sup>o</sup> Plurima sunt in quibus ita multorum et inaequalium et dissimilium fit reductio ad unitatem ordinatam, ut ipsa sui perceptione nobis placeant; — *a.* illa non dicuntur huic pulchra et alii turpia, quasi subjective, relative; sed dicuntur pulchra absolute, *i. e.* objective; *e.*

*Ad maj. v. c.* formosus vultus hominis, pictura in qua harmonica colorum distributio, corpus in quo «congruentia partium cum quadam venustate colorum» (Aug.), musicus concentus, aedificium architectonicum.

**Prop. 2<sup>o</sup>** Teste consensu communi hominum: *a)* dantur regulae artium apud omnes homines acceptae ut objective necessariae ad pulchritudinem; — *b)* si quis pulchrum esse negat quod ceteri affirmant, dicitur sensu pulchri destitutus; — *c)* auctor operis pulchri famam dicitur immortalem adeptus; — *a.* haec esse non possent si notio pulchri esset subjectiva, relativa, mutabilis; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (est splendor ordinis).** Pulchritudinis essentiam constituunt tria elementa: 1) *integritas seu perfectio* (nam quae manca sunt, ut difformia displicent); — 2) *ordo*, *i. e.* debita proportio sive consonantia (nam inordinata animum potius offendunt); — 3) *claritas seu splendor*, *i. e.* facilis et suavis perceptibilitas hujus ordinis et integritas (nam lumen intellectuale in sui simili magis delectatur); — *a.* haec tria elementa apte exprimuntur in proposita definitione; *e.*

*Ad maj.* Ex inductione, omnium consideratione quae pulchra dicuntur, via ascensus, haec tria inveniuntur, et haec tria solum.

*Ad min.* Tertium et secundum ipsis verbis exprimuntur; primum autem necessario subintelligitur, nam lucide splendere, *i. e.* facile et suaviter percipi non potest ordo non integer, seu manca unitas in multitudine et varietate.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (tum... tum...)** 1<sup>o</sup> *In corporalibus*: nemo negat.

2<sup>o</sup> *In spiritualibus*: 1) In substantiis simplicibus non quidem sunt partes essentiales quae ordinentur, sed esse possunt accidentia, *v. c.* actus, habitus intellectus vel voluntatis, quae coordinentur in unum placens.

2) Etiam in ipsa essentia considerari potest unitas simplicitatis et multiplicitas virtualis seu aequivalentia multis, eaque objectiva.

3) Imo in ipso Deo, essentia admirabilis simplicitatis, splendet *a)* objectiva multiplicitas essentiarum possibilium in Deo necessarie fundata, et rerum creaturarum ac sub divino concursu agentium; quae omnia non possunt non percipi si Deus sufficienter cognoscitur; — *b)* objectiva eminentia qua omni rerum omnium multiplicitati abunde aequivaleat infinita illa simplex perfectio divina; — *c)* ipsa trium personarum distinctio in simplici una substantia (si quidem placet aliquid ex sola revelatione notum adungere ceteris).

**Objic. 1<sup>o</sup>** Ruina placet ut pulchra; *a.* non est in ea integritas, nec ordo; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* in ea ut aedificio, *c;* ut signo antiquitatis, facile iterum

per phantasia restaurandae, *n.* (quod si fieri nequeat, jam nec placet ruinae aspectus).

**Objic. 2<sup>o</sup>** Saepe ideo dicitur pulchra oratio, ode, ... quia non ordo, sed inordinatio apparet. — *R. d.* inordinatio dictionis quoad regulas ordinarias, *c*; quoad finem ad quem ut medium adhibetur, v. c. vehementiam affectuum exprimentam, *n.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Saepe dicuntur pulchra, quae nullum ordinem, nullam varietatem exhibent, v. c. pratum viride, velum rubrum, coelum nocturnum. — *R. d.* dicuntur proprie, *n*; improprie, *c.* (sunt potius grata, utilia ad aliquid pulchri efficiendum, vel associatione idearum recordationem alicujus pulchri vel grati excitant...).

**Objic. 4<sup>o</sup>** *De gustibus et de coloribus non est disputandum*, i. e. de pulchritudine; *e.* haec est subjectiva, relativa. — *R. 1<sup>o</sup> d. ant.* i. e. de pulchri perceptione, vel de delectatione subjectiva, *c*; de ipsa pulchritudine, *n.* (sicut falso adhaerere potest intellectus, ita et falso splendore aliquo delectari; atque inde perversus sensus pulchri; sic v. c. rudiores magis delectantur splendore qui magis visum vel auditum percipit, ordinem et integritatem minus percipiunt; exulti magis percipiunt splendorem intellectualem, ordinis unitatem, ejusque principium et normam, scilicet relationes; pulchro ideali magis delectantur). — *R. 2<sup>o</sup> d. ant.* si omnia elementa pulchri sufficienter adsunt, vel si nullum adest, *n*; si insufficienti gradu adsunt, vel si aliqua adsunt, alia desunt, *sd.* ex subjectiva dispositione alius ad alia magis attendit, et sic alius aliter judicare poterit, *c*; secus, *n.*

**Objic. 5<sup>o</sup>** Saepe pulchrum alius dicit quod alius turpe; *e.* — *R. d.* i. e. unus ordinem ejusque splendorem percipit, alius non, *c*; secus, *n.*

**Objic. 6<sup>o</sup>** Definitio pulchri debet talis esse ut etiam Deo conveniat (qui est vere pulcher); *a.* splendor ordinis non proprie invenitur in Deo, sed per analogicam explicationem tantum; *c.* — *R. d. maj.* conveniat Deo et creaturis analogice, sicut omnis realitas, et perfectio, et ipsum esse, *c*; univoce, *n.* — *c. d. min.* convenit analogice tantum, quia conceptum ex solis creaturis haurimus (quod idem dicendum de omni alia perfectione), *c*; secus, *n.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo differt *pulchrum* a vero, a bono, ab ordine, non tam materialiter quam formaliter: i. e. eadem res potest esse vera, bona, ordinata, pulchra, sed non sunt haec attributa synonyma; differunt enim consideratione formali.


**Coroll. 2<sup>m</sup>** Nonnisi intellectualis cognoscens pulchritudinem percipere potest, etiamsi de corporali sensibili pulchritudine agatur; nam nec ordinem, nec proinde ejus splendorem solus sensus percipit, quia relationes quibus ordo nititur percipere nequit. Et hoc sensu, sed nimis exclusive, definit Plato pulchritudinem: splendorem veri; quasi solis ideis intellectualibus possit pulchritudo competere.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ad perfectionem pulchritudinis requiritur ut veritas intelligibilis repraesentetur in signo sensibili apto: pro statu scilicet praesente

hominis; nam aliter facile et suaviter percipi non poterit veritas ordinis, quantacumque sit objective. Et hoc oblivisci videtur Plato, idealem solam definiens pulchritudinem.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Sensibilis pulchritudo proprie non dicitur nisi quoad visum et auditum; nam gratas quidem sensationes habere possunt ceteri sensus, sed unitatem ordinis proportionemque non exhibent intellectui.

**Coroll. 5<sup>m</sup>** Falso opinantur *romantici* in artibus liberalibus, v. c. rhetorica, poesi, musica, pictura, sculptura, architectonica, non necessario certas esse regulas servandas objectivas, sed sufficere si vaga et incerta nos inspiratione duci sinamus; nam vagum et incertum nequit dare verum determinatum, nec ordinem, nec integrum, nec claritatem.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA

DIRECCIÓN GENERAL DE

## INDEX.

INTRODUCTIO AD PHILOSOPHIAM . . . . .	1
<b>LIBER I. — LOGICA.</b>	
PROOEMIUM . . . . .	5
<b>PARS I. — LOGICA SUBJECTIVA.</b>	
<b>CAPUT I. — De simplici idea, ejusque signo . . . . .</b>	6
QUAESTIO 1 <sup>a</sup> . DE SIMPLICI IDEA. . . . .	<i>ib.</i>
§ 1. De natura ideae . . . . .	<i>ib.</i>
§ 2. De divisionibus idearum . . . . .	7
I. Secundum originem . . . . .	<i>ib.</i>
II. Secundum objectum . . . . .	<i>ib.</i>
III. Secundum comprehensionem . . . . .	8
IV. Secundum extensionem . . . . .	<i>ib.</i>
V. Secundum descensum. . . . .	10
VI. Secundum comparationem idearum inter se . . . . .	11
VII. Secundum perfectionem in repraesentando . . . . .	12
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> . DE TERMINO, IDEAE SIGNO . . . . .	<i>ib.</i>
§ 1. De natura signi et termini . . . . .	<i>ib.</i>
§ 2. De usu terminorum . . . . .	13
<b>CAPUT II. — De iudicio, ejusque signo . . . . .</b>	15
QUAESTIO 1 <sup>a</sup> . DE JUDICIO . . . . .	<i>ib.</i>
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> . DE PROPOSITIONE, JUDICII SIGNO . . . . .	16
§ 1. De natura propositionis. . . . .	<i>ib.</i>
§ 2. De divisionibus propositionum . . . . .	17
I. Secundum extensionem subjecti . . . . .	18
II. Secundum copulae modum. . . . .	<i>ib.</i>
III. Secundum propositionis materiam significandam . . . . .	19
IV. secundum modum exprimendi vocabulis . . . . .	20
§ 3. De comparatione propositionum . . . . .	21
<b>CAPUT III. — De divisione. . . . .</b>	23
<b>CAPUT IV. — De definitione . . . . .</b>	24
<b>CAPUT V. — De ratiocinio, ejusque signo . . . . .</b>	26
§ 1. De syllogismi natura et legibus . . . . .	<i>ib.</i>
§ 2. De syllogismi figuris . . . . .	29
§ 3. De syllogismi modis . . . . .	30

§ 4. De aliis argumentationibus . . . . .	31
§ 5. De fallaciis . . . . .	32
Appendix. Regulae disputationis oralis . . . . .	33

## PARS II. — LOGICA OBJECTIVA.

<b>CAPUT I. — De vero et falso . . . . .</b>	<b>35</b>
QUAESTIO 1. DE VERO. . . . .	<i>ib.</i>
Prop. 1. Verum in genere describi potest : adaequatio rei et intellectus . . . . .	<i>ib.</i>
Prop. 2. Veritas competere potest tum simplici apprehensioni, tum iudicio . . . . .	36
Prop. 3. Veritas speciali modo inest iudicio, ita ut tum solum veritatis proprie dictae nomine designetur . . . . .	37
Prop. 4. Major haec perfectio in iudicio quam in idea, in eo consistit quod in iudicio veritas est in intellectu tamquam cognitum in cognoscente . . . . .	<i>ib.</i>
QUAESTIO 2. DE FALSO . . . . .	39
Prop. 5. Falsitas positiva competere non potest per se simplici apprehensioni . . . . .	<i>ib.</i>
Prop. 6. Falsitas positiva competere potest iudicio; at non ex natura rei, sed per accidens tantum . . . . .	40
QUAESTIO 3. DE GRADIBUS VERI ET FALSI. . . . .	41
Prop. 7. Falsitas, et formaliter et materialiter et subjective spectata, gradus admittit . . . . .	<i>ib.</i>
Prop. 8. Veritas, et materialiter et subjective sed non formaliter spectata, gradus admittit . . . . .	42
<b>CAPUT II. — De statibus mentis relate ad verum . . . . .</b>	<b><i>ib.</i></b>
QUAESTIO 1. DE CERTITUDINE . . . . .	43
Prop. 9. Certitudo proprie dicta recte definitur : status mentis, rei cognitae firmiter adhaerentis, ex motivis quae omnem errandi formidinem excludant . . . . .	<i>id.</i>
Prop. 10. Certitudo gradus admittit, non in exclusione dubii, sed in firmitate assensus . . . . .	45
Prop. 11. Dividitur quidem specificè certitudo objective spectata, in metaphysicam, physicam et moralem; at non ipsa certitudo formaliter spectata . . . . .	46
QUAESTIO 2. DE OPINIONE . . . . .	47
Prop. 12. Opinio probabilis gradus admittit . . . . .	<i>ib.</i>
Prop. 13. Opinio, etiam maxime probabilis, essentialiter differt a certitudine proprie dicta . . . . .	48
Prop. 14. Usus calculi probabilitatum legitimus est, dummodo nec rebus moralibus applicetur, neque ex eo concludatur certitudinem esse meram probabilitatum summam . . . . .	49
Prop. 15. Opinio probabilis per se non eliditur in conflictu opinionis etiam certo probabilioris . . . . .	51
QUAESTIO 3. DE EXISTENTIA CERTITUDINIS . . . . .	52
ARTICULUS 1. De certitudine primitiva . . . . .	<i>ib.</i>
Prop. 16. Inest singulis hominibus, ratione utentibus, adhaesio primitiva et naturalis multis veritatibus, ut objective certis . . . . .	<i>ib.</i>
Prop. 17. Illa adhaesio primitiva et naturalis, est vera et proprie dicta certitudo; quae a certitudine philosophica non quoad rem differt sed quoad modum . . . . .	53
ARTICULUS 2. De negatione certitudinis, seu scepticismo . . . . .	54
Prop. 18. Cum sceptico, qui de omnibus dubitat, nulla disputatio institui potest, sed nec ipse valet sui dubii legitimitatem probare . . . . .	<i>ib.</i>

Prop. 19. Scepticismus universalis, sive ut factum internum, sive ut systema doctrinae, est absurdus . . . . .	55
Prop. 20. Scepticismus objectivus partialis nequit dari in actibus mere directis; et logice duceret ad scepticismum universalem . . . . .	57
Prop. 21. In actibus reflexis possibilis quidem est scepticismus objectivus partialis actualis, non tamen habitualis . . . . .	58
Prop. 22. Qui vellet nihil nisi demonstratum admittere ut certum, opus aggregaretur inutile et scepticum . . . . .	59
ARTICULUS 3. De primis veritatibus certis . . . . .	<i>ib.</i>
Prop. 23. Tres veritates : propria cujusque existentia, principium contradictionis, aptitudo rationis ad verum cognoscendum, saltem implicitite in omni iudicio percipiuntur . . . . .	<i>ib.</i>
Prop. 24. Tres illae veritates sunt fundamentum omnis iudicii certi . . . . .	60
Prop. 25. Tres illae veritates demonstrari nec possunt nec debent . . . . .	61
Prop. 26. In methodica dubitatione Cartesii multa sunt vitia gravissima . . . . .	62
QUAESTIO 4. DE MEDIIS AD CERTITUDINEM ACQUIRENDAM. . . . .	63
ARTICULUS 1. De experientia : primo medio . . . . .	<i>ib.</i>
§ 1. De sensu intimo . . . . .	64
Prop. 27. Omnis certitudo, subjective spectata, in sensu intimo aliquod fundamentum habet . . . . .	<i>ib.</i>
Prop. 28. Testimonium sensus intimi de existentia phaenomenorum subjectivorum, de existentia subjecti, et de natura generica phaenomenorum, ab omni errore est immune . . . . .	<i>ib.</i>
§ 2. De sensu externo . . . . .	65
Prop. 29. Testimonio sensus externi, prout est affectio subjecti, certo constat de existentia proprii corporis . . . . .	<i>ib.</i>
Prop. 30. Sensationes corporum quae sunt in nobis, operationi Dei, corporibus non existentibus, tribui non possunt . . . . .	66
Prop. 31. nec internae animi nostri conformationi, nec operationi nostrae, corporibus non existentibus . . . . .	68
Prop. 32. sed ipsis corporibus, quae sunt ut nobis exhibentur : aliquid a nobis distinctum, extensum, et resistens . . . . .	69
Prop. 33. Testimonium sensus externi, de corporum sensibilibus propriis, est ab omni errore immune . . . . .	70
Prop. 34. Item de corporum sensibilibus communibus . . . . .	72
Prop. 35. De sensibili per accidens vero, non quidem est falsum positive, sed facile in errorem inducit . . . . .	73
§ 3. De imaginatione et memoria . . . . .	74
Prop. 36. Imaginatio per se quidem non fallit, sed facilem reddit errorem . . . . .	<i>ib.</i>
Prop. 37. Testimonium memoriae positive falsum esse nequit . . . . .	75
ARTICULUS 2. De intellectu : secundo medio . . . . .	76
§ 1. De simplici apprehensione . . . . .	77
Prop. 38. Ideis exhiberi objectivum valorem, est veritas per se indemonstrabilis; sed ab ipsis eam negantibus, aut de ea dubitantibus, admittenda; et evidens . . . . .	<i>ib.</i>
Prop. 39. Nominalismus purus est absurdus . . . . .	78
Prop. 40. Conceptualismus est falsus . . . . .	79
Prop. 41. Formae platonicae sunt absurdae . . . . .	<i>ib.</i>
Prop. 42. Ontologismus est absurdus . . . . .	80
Prop. 43. Rejiciendus est realismus a parte rei . . . . .	81

<i>Prop.</i> 44. Universale directum existit in rebus singularibus secundum id quod concipitur, non secundum modum quo concipitur . . . . .	82
<i>Prop.</i> 45. Universale reflexum formaliter existit in mente solum, fundamentaliter in rebus singularibus . . . . .	83
§ 2. De iudicio . . . . .	85
<i>Prop.</i> 46. In iudiciis analyticis immediatis efformandis, mens per se errare nequit; certitudo autem horum iudiciorum est metaphysica, absoluta . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 47. In iudiciis syntheticis immediatis formandis, mens per se non errat; certitudo autem horum iudiciorum est physica, hypothetica . . . . .	86
<i>Prop.</i> 48. Kantii systema, quoad consilium quo crism rationis purae instituit, absurdum est . . . . .	87
<i>Prop.</i> 49. Kantii systema, quoad fundamentum cui criticam superstruxit, falsum est . . . . .	88
<i>Prop.</i> 50. Kantii systema, quoad terminum ad quem critica pervenit, absurdum est . . . . .	90
§ 3. De ratiocinio . . . . .	91
<i>Prop.</i> 51. Ratiocinio comparantur iudicia mediata, quae per se nequeunt esse falsa, et quae possunt novae esse cognitiones . . . . .	<i>ib.</i>
§ 4. De sensu naturae communi . . . . .	94
<i>Prop.</i> 52. Iudicia sensus naturae communi falsa esse nequeunt . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 53. Consensus uniformis, universalis, constans, circa veritatem necessariam vitae physicae, vel ordini morali, sociali, religioso, signum est illud iudicium esse naturale, seu a sensu communi procedere . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 54. Iudicia sensus naturae communi, ab ipsa ratione et propter evidentiam suam ferri possunt . . . . .	95
§ 5. De inductione . . . . .	97
<i>Prop.</i> 55. Inductio completa a processu syllogistico formaliter non differt . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 56. Inductio incompleta stricte dicta a processu syllogistico formaliter non differt . . . . .	99
<i>Prop.</i> 57. Inductione stricte dicta acquirere possumus iudicia synthetica universalialia certa, certitudinis proprie dictae physicae . . . . .	100
<i>Prop.</i> 58. Inductio latius dicta a processu syllogistico formaliter non differt; nec potest per se dare nisi probabilitatem tantum . . . . .	103
<i>Prop.</i> 59. Inductio improprie dicta, seu ex hypothesi, probabilis tantum est . . . . .	104
§ 6. De scientia et methodo . . . . .	105
<i>Prop.</i> 60. Scientia, seu cognitio perfecta, est cognitio rei per causas ontologicas, seu per demonstrationem . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 61. Ad scientiam duplex apte ducere potest methodus: analytica et synthetica . . . . .	107
<i>Prop.</i> 62. Gravissima sunt vitia methodi positivistarum . . . . .	108
ARTICULUS 3. De testimonio humano: tertio medio . . . . .	111
<i>Prop.</i> 63. Auctoritas humani testimonii, sive dogmatici, sive historici, omnibus utilis, imo necessaria est . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 64. Testimonium dogmaticum sapientum vel arte peritorum probabilitatem parit, ita ut pro rudibus norma sit cui acquiescere possint, pro excultis vero rationi fere semper cedere debeat . . . . .	112
<i>Prop.</i> 65. Testimonium humanum historicum circa factum coevum nonnunquam certitudinem parit . . . . .	113
<i>Prop.</i> 66. Testimonium humanum historicum traditum, circa factum praeteritum nonnunquam certitudinem parit . . . . .	114
<i>Prop.</i> 67. Testimonium humanum historicum scriptum, circa factum praeteritum nonnunquam certitudinem parit . . . . .	116
<i>Prop.</i> 68. Testimonium humanum historicum, etiamsi non omnes necessariae supra requisitae conditiones adsint, saepe probabilitatem parit . . . . .	117

<i>Prop.</i> 69. Consensus communis hominum non semper certitudinem parit, circa veritates non necessarias ad vitam physicam vel ordinem moralem, socialem, religiosum . . . . .	117
QUAESTIO 5. DE CRITERIO ULTIMO DIGNOSCENDAE CERTITUDINIS . . . . .	118
<i>Prop.</i> 70. Ultimum fundamentum certitudinis non est consensus communis . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 71. neque est fides divina . . . . .	119
<i>Prop.</i> 72. neque est caecus instinctus, neque affectus animi . . . . .	120
<i>Prop.</i> 73. neque est conscientia . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 74. sed est de facto et de jure evidentia rei objectiva . . . . .	121
<i>Prop.</i> 75. Evidentia objectiva est criterium certitudinis infallibile . . . . .	122
CAPUT III. — De statu mentis relate ad falsum . . . . .	123
<i>Prop.</i> 76. Erroris objectum est falsitas, sed sub aliqua specie veri proposita . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 77. Nullus error est physice necessarius, sed a libera voluntatis motione oritur . . . . .	124
CAPUT IV. — De statu ignorantiae humanae, seu de limitibus rationis. . . . .	125
<i>Prop.</i> 78. Sunt quaedam veritates quae absolute et per se rationis humanae captum superant . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 79. Veritates illae quae sunt supra rationem humanam, non possunt dici contra rationem esse . . . . .	126
<i>Prop.</i> 80. Veritates quae supra rationem sunt, possunt esse materia doctrinae a revelatione divina procedentis . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 81. Certi esse possumus mediatae revelationis a Deo factae . . . . .	127
<i>Prop.</i> 82. Revelatio divina est hominibus absolute necessaria ad cognitionem veritatum supernaturalium; sed etiam ad cognitionem aliquarum veritatum naturalium utilis est et relative necessaria . . . . .	128

## LIBER II. -- ONTOLOGIA.

PROEEMIUM . . . . .	131
CAPUT I. — De ente in communi . . . . .	132
QUAESTIO 1. DE ENTE, UT SIC . . . . .	133
ARTICULUS 1. De conceptu entis . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 1. Conceptus subjectivus proprius et adaequatus entis, ut sic, est unus. . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 2. Conceptui subjectivo entis respondet conceptus objectivus unus adaequatus immediatus . . . . .	134
<i>Prop.</i> 3. Conceptus objectivus entis, ut sic, est secundum rationem praecisus ab omnibus particularibus, seu membris dividitibus ens. . . . .	135
<i>Prop.</i> 4. Conceptus objectivus entis, prout in re ipsa existit, non est ex natura rei distinctus ac praecisus ab inferioribus in quibus existit . . . . .	136
<i>Prop.</i> 5. Contractio entis ad sua inferiora non fit per modum compositionis, sed solum per modum expressioris conceptionis alicujus entis contenti sub ente . . . . .	138

<i>Prop.</i> 6. Notio entis quatenus tribuitur infinito et finito, substantiae et accidenti, non est aequivoca, neque univoca, sed analogae analogiae attributionis intrinsecae . . . . .	139
ARTICULUS 2. <i>De ente rationis</i> . . . . .	141
<i>Prop.</i> 7. Praeter ens reale, est quoque ens rationis, quod est analogum enti reali analogiae proportionis . . . . .	<i>ib.</i>
ARTICULUS 3. <i>De primis principiis ex idea entis</i> . . . . .	142
<i>Prop.</i> 8. Ex notione entis immediate enascuntur principia identitatis, contradictionis, et exclusi medii . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 9. In ordine adhaesionis principium identitatis non differt a principio contradictionis, atque ita est omnium primum . . . . .	143
<i>Prop.</i> 10. Ut principium contradictionis sit universaliter verum, necessaria est notio « simul » . . . . .	144
QUAESTIO 2. DE ENTE UT ESSENTIA . . . . .	145
ARTICULUS 1. <i>De notione objectiva entis</i> . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 11. Ens ut participium significat aliquid actu existens; ut nomen vero significat essentiam realem . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 12. Ens ut nomen et ens ut participium non significat duplicem notam entis, dividendam aliquam notam communem; sed significat notam entis magis et minus praecisam . . . . .	146
ARTICULUS 2. <i>De essentia</i> . . . . .	147
<i>Prop.</i> 13. Essentias rerum naturalium, saltem quarundam, vere licet imperfecte cognoscimus . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 14. Omne ens suam habet essentiam, quam amittere nequit, immutabilem, indivisibilem necessariam aeternam, infinitam; sed sensu plane diverso atque eadem attributa de Deo praedicantur . . . . .	149
QUAESTIO 3. DE ENTE UT EXISTENTE . . . . .	150
ARTICULUS 1. <i>De actu et potentia</i> . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 15. Potentia et actus generatim in mutua quadam oppositione consistunt . . . . .	<i>ib.</i>
ARTICULUS 2. <i>De Potentia objectiva</i> . . . . .	153
§ 1. Quid sit potentia objectiva . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 16. Quod possibile est, non est omnino nihil . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 17. Possibilia non sunt ea solum quae aliquando existunt . . . . .	154
<i>Prop.</i> 18. Intrinsicam rerum possibilitas nec a rerum existentia, nec ab humano intellectu oritur . . . . .	155
<i>Prop.</i> 19. Intrinsicam possibilitas non a Dei omnipotentia oritur . . . . .	156
<i>Prop.</i> 20. Intrinsicam possibilitas non a Dei voluntate oritur . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 21. Possibilitas intrinsicam ex ipsis rerum essentiis oritur . . . . .	157
§ 2. In quo fundetur potentia objectiva . . . . .	158
<i>Prop.</i> 22. Essentiarum possibilitium ultimum fundamentum est Deus . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 23. Essentiarum possibilitium ultimum fundamentum est divina essentia quatenus est objectum divinae intelligentiae . . . . .	159
ARTICULUS 3. <i>De actu existentiae</i> . . . . .	162
<i>Prop.</i> 24. Essentiae actualis entitas, ejusque existentia, non re distinguuntur, sed tantum in conceptu cum fundamento in re . . . . .	<i>ib.</i>

<b>CAPUT II. — De entis proprietatibus transcendentalibus.</b> . . . .	165
QUAESTIO 1. DE ENTIS PROPRIETATIBUS IN GENERE . . . . .	166
<i>Prop.</i> 25. Ens non habet proprietates reales, sed omnia quae enti attribuuntur tanquam proprietates ejus, addunt ipsi solum negationem aliquam, vel respectum rationis . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 26. Omnes proprietates entis reducuntur ad unum, verum, bonum. . . . .	167
QUAESTIO 2. DE ENTIS PROPRIETATIBUS IN SPECIE . . . . .	168
ARTICULUS 1. <i>De uno</i> . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 27. Unitas transcendentalis significat entitatem rei, connotando negationem divisionis in ipso ente . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 28. Omne ens quod existit vel existere potest, habet unitatem individuationis ex eadem entitate qua constituitur in specie . . . . .	169
ARTICULUS 2. <i>De vero</i> . . . . .	172
<i>Prop.</i> 29. Veritas transcendentalis significat entitatem rei, connotando conceptum intellectus cui talis entitas conformatur, vel conformari potest . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 30. Veritas minus proprie competit rebus quam intellectui . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 31. Res primario dicuntur verae per ordinem ad intellectum divinum; per ordinem autem ad intellectum creatum sunt verae, sed secundo . . . . .	173
<i>Prop.</i> 32. Res creatae ad intellectum divinum comparantur ut mensuratum ad mensuram; et non sunt nisi verae; ad intellectum creatum comparantur ut mensura ad mensuratum, et sunt verae per se, aliquando falsae per accidens . . . . .	<i>ib.</i>
ARTICULUS 3. <i>De bono</i> . . . . .	174
<i>Prop.</i> 33. Bonitas transcendentalis dicit ipsam rei entitatem, connotando aliquam naturam quae aliquam inclinationem ad eam habet . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 34. Malum non consistit in aliquo positivo praecise ut tali sumpto, sed formaliter consistit in aliqua privatione . . . . .	176
<b>CAPUT III. — De entis summis generibus, seu categoriis</b> . . . . .	178
QUAESTIO 1. DE SUBSTANTIA . . . . .	<i>ib.</i>
ARTICULUS 1. <i>De objectivitate substantiae</i> . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 35. Conceptus substantiae non est figmentum mentis, sed exprimit aliquid reale et physicum . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 36. Omnis natura est substantia, et omnis substantia est natura . . . . .	180
<i>Prop.</i> 37. Naturae unitas haberi nequit ubi est pluralitas substantiarum actualium completarum . . . . .	181
ARTICULUS 2. <i>De subsistentia</i> . . . . .	182
<i>Prop.</i> 38. Subsistentia in creatis distinguitur realiter a natura . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 39. Subsistentia est aliquid positivum, non mera negatio . . . . .	184
<i>Prop.</i> 40. Personae identitas reponi nequit in conscientia vel memoria . . . . .	187
QUAESTIO 2. DE ACCIDENTE GENERATIM . . . . .	188
<i>Prop.</i> 41. Accidentium absolutorum entitas realiter distincta est ab entitate substantiae . . . . .	189
<i>Prop.</i> 42. Non potest ostendi intrinsicam impossibilitas existentiae accidentium absolutorum physicorum seorsum a substantia . . . . .	191
<i>Prop.</i> 43. Accidentibus modalibus prorsus essentialis est actualis inhaerentia sub- jecto . . . . .	193




QUAESTIO 3. DE QUANTITATE ET QUALITATE . . . . .	194
ARTICULUS 1. <i>De quantitate.</i> . . . . .	<i>ib.</i>
ARTICULUS 2. <i>De qualitate.</i> . . . . .	195
QUAESTIO 4 DE RELATIONE GENERATIM . . . . .	196
<i>Prop.</i> 44. Existunt in rerum natura relationes reales . . . . .	197
<i>Prop.</i> 45. Relatio, quantum ad id quod ponit in subjecto relationis, a fundamento non distinguitur realiter, sed ratione cum fundamento in re . . . . .	198
<i>Prop.</i> 46. Terminus licet ad relationem necessario et essentialiter requiratur, tamen relationem non ingreditur ut pars iatrinsecus constituens sed solum ut connotatum . . . . .	200
<i>Prop.</i> 47. In termino relationis, formalis ratio terminandi non est aliqua relatio opposita sed est aliqua nota absoluta in termino . . . . .	201
QUAESTIO 5. DE RELATIONIBUS SPECIATIM . . . . .	<i>ib.</i>
ARTICULUS 1. <i>De identitate et distinctione.</i> . . . . .	202
<i>Prop.</i> 48. Principium convenientiae diverso modo applicatur ad identitatem realem et ad logicam . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 49. Non repugnat intrinsece dari duo entia perfecte similia . . . . .	203
<i>Prop.</i> 50. Duplex admittenda est distinctio realis: major, et minor seu modalis; quarum indicia communia sunt: realis origo unius ab altero, separabilitas unius ab alio, repugnantia notarum constituentium duas essentias. . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 51. Ratio qua fit ut una eademque res pluribus ac diversis conceptibus cum veritate percipiatur, tum intellectus nostri imperfectio, tum objecti perfectio est . . . . .	205
<i>Prop.</i> 52. Distinctio formalis a parte rei non est admittenda . . . . .	206
<i>Prop.</i> 53. Distinctio virtualis intrinseca non est admittenda . . . . .	207
ARTICULUS 2. <i>De principio et causa.</i> . . . . .	<i>ib.</i>
§ 1. De principio et causa generatim . . . . .	208
<i>Prop.</i> 54. Principium recte definitur: id a quo aliquid procedit quocumque modo; — vel etiam: id unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 55. Conceptum habemus verae causalitatis, eumque objective realem . . . . .	209
§ 2. De causa efficiente. . . . .	210
<i>Prop.</i> 56. Causa efficiens recte definitur: principium actione sua determinans existentiam alicujus rei novae. . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 57. Causa omnis adaequata continet virtualiter quidquid est perfectionis in effectu . . . . .	212
<i>Prop.</i> 58. Actio specificatur per suum objectum formale . . . . .	213
<i>Prop.</i> 59. Omni actioni correspondet duplex potentia: activa in agente, ex qua effectus dimanat; et passiva in patiente, quae per effectum actuatur et perficitur . . . . .	215
<i>Prop.</i> 60. Potentia subjectiva specificatur per actionem correspondentem . . . . .	217
<i>Prop.</i> 61. Potentiae naturales realiter distinguuntur inter se et a substantia . . . . .	218
<i>Prop.</i> 62. Potentiae naturales entis ab ejus natura physice emanant . . . . .	221
<i>Prop.</i> 63. Actio in distans admitti nequit . . . . .	222
§ 3 De causa finali . . . . .	225
<i>Prop.</i> 64. Finis vera et proprie dicta causa est . . . . .	<i>ib.</i>
§ 4. De causa exemplari . . . . .	227
<i>Prop.</i> 65. Causa exemplaris est forma mente concepta, quam effectus imitatur ex intentione agentis qui determinat sibi finem . . . . .	<i>ib.</i>

§ 5. De causis materiali et formali . . . . .	228
<i>Prop.</i> 66. Materia et forma vera gaudent causalitate, quae consistit non in aliqua actione unius in alteram, sed in mutua communicatione propriae entitatis per immediatam unionem unius cum altera . . . . .	<i>ib.</i>
§ 6. De principiis rationis sufficientis et causalitatis . . . . .	230
<i>Prop.</i> 67. Principium rationis sufficientis, et principium causalitatis sunt immediate evidentialia, et analytica . . . . .	<i>ib.</i>
QUAESTIO 6. DE SEX ULTIMIS CATEGORIIS . . . . .	231
<i>Prop.</i> 68. Sex reliquae categoriae, ut categoriae speciales, sunt denominationes extrinsecae . . . . .	<i>ib.</i>
<b>CAPUT IV. — De entis perfectione</b> . . . . .	233
QUAESTIO 1. DE PERFECTIOE QUOAD ESSENTIAM . . . . .	<i>ib.</i>
ARTICULUS 1. <i>De simplici et composito.</i> . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 69. Simplicitas est perfectior compositione, estque perfectio positiva . . . . .	<i>ib.</i>
ARTICULUS 2. <i>De finito et infinito.</i> . . . . .	234
<i>Prop.</i> 70. Notio finiti non est mere negativa, sed partim negans partim affirmans; qua vero parte negat, non fundatur in praevia notione infiniti . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 71. Notio infiniti non habetur per continuam additionem finiti, sed solum per totalem et positivam limitum remotionem . . . . .	236
<i>Prop.</i> 72. Ens, si habet aliquam infinitatem essentialem habet omnimodam . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 73. Nulla creatura potest esse infinita quoad essentiam, nec quoad vim vel operationem naturalem . . . . .	237
<i>Prop.</i> 74. Multitudo actu infinita repugnat . . . . .	<i>ib.</i>
QUAESTIO 2. DE ENTIS PERFECTIOE QUOAD EXISTENTIAM . . . . .	240
<i>Prop.</i> 75. Ens a se et ens absolute necessarium convertuntur . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 76. Ens absolute necessarium est ens realissimum . . . . .	241
QUAESTIO 3. DE PERFECTIOE EX RELATIONIBUS ORTA . . . . .	243
<i>Prop.</i> 77. Opus ordinatum est causae intelligentis effectus. . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 78. Pulchritudo objectiva est, recte definitur splendor ordinis, reperiturque tum in corporalibus tum in spiritualibus . . . . .	244

CAPILLA ALFONSINA  
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta  
antes de la última fecha abajo indi-  
cada.

			
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN			
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS			

B839

A2

v.1

46115

AUTOR

AA, Jan Simon Van der

TITULO

Praelectionum...

UNL

NUEVO LEÓN

BIBLIOTECAS

